# GESTA PONTIFICVM TVNGRENSIVM, TRAIECTENSIVM, ET LEODIENSIVM

SCRIPSERVNT, AVCTORES PRÆCIPVI,

Ad seriem rerum & temporum collocati, ac in tomos distincti,

*Nunc primùm studio & industriâ R.D. Ioannis Chapeavilli Canonici & Vicarij Leodiensis typis excusi, & annotationibus illustrati.*

Auctores sequens pagina indicabit.

Accessit Venerabilis P. Ægidij Bucherij è Societate IESV de primis Tungrorum seu Leodiensium Episcopis historica disputatio, itemque chronologia posteriorum.



TOMVS I.





LEODII,
Typis Christiani Ouvverx iunioris, propè sanctum Dionysium sub signo patientiæ.
Anno 1612.

# CATHALOGVS AVCTORVM QVI HOC TOMO CONTINENTVR.



## PRIVILEGIVM.

# SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO, DEI GRATIA ARchiepiſcopo & Electori Colonienſi, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, Principi & Epiſcopo Leodienſi, Hildesheimẽſi, Monaſterienſi, Coadiutori Paderbornẽſi, adminiſtratori Stabulenſi & Berchtergadenſi, Comiti Palatino Rheni, vtriuſque Bauariæ, Vveſtphaliæ, Angariæ & Bullonij Duci, Marchioni Francimontano, Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi, &c.

Domino meo clementiſſimo.

CVm pridem veteres nõnullos codices de rebus Diœceſis veſtræ Leodienſis manu-ſcriptos collegiſſem, Princeps Sereniſſime, non alio quidem animo, quã vt ego, qui à Sereniſsimo recolendæ ſemper memoriæ ErneſtoPatruo, ac deceſſore veſtro ſpiritualibus in ea gubernandis adhibebar, illius vſus ac iura ex eorum lectione ediſcerẽ, frequenter miratus ſum videre in eis præclara, quibus DeusOpt: Max: Eccleſiam illam decorare dignatus eſt, ornamenta, Fidem videlicet catholiçam, Apoſtolicam, Romanam à Beato Materno, Sancti Petri Apoſtolorum principis diſcipulo, ad hæc noſtra vſque tempora illibatè propagatam, Eccleſiaſticarum p̃erſonarum, Monaſteriorum, ac ſacrarum ædium frequentiam, Imperatorum, Regum, & aliorum ſummorum Principum erga illam obſeruantiam, munificentiamque, deinde non Eccleſiaſticam modò, ſed & politicam ac ciuilem iuriſdictionem à paruis initijs longè lateque ſeſe protẽdentem, res in eâ præclarè, ac fortiter geſtas, caſus domi, foriſq; fœliciter ſuperatos, adeoq; auctores, qui ea poſteritati conſecrarunt pro eo æuo ita illuſtres, diſertos ac fi-

deles, de quibus Sigibertus, Trithemius, & alij præclaram suis in scriptis fecissent memoriam, quæ omnia magnum profecto Ecclesiæ, & patriæ nostræ Leodiensi, adeoque ipsi Christiano Imperio splendorem conferre possent, si palam publiceque innotescerent.

Cœpi idcircò diligentius per diœcesim vestram Leodiensem de autographis eiusmodi codicibus inquirere, quos omnes cum passim per bibliothecas contemptos, à tineis, blattisque corrodi imò ad thuris, piperisque cucullos accommodari, non sine dolore, ac indignatione aduerterem, delectum feci quorũdam, vt existimo, præcipuorum, quos viris eruditione pietateq; præstantibus mecùm legendos communicaui. Hi pariter dolentes, & indignati tot sanctissimorum huius patriæ Martyrum agones, tot pijssimos, simulque grauissimos Confessorum huius Ecclesiæ labores, tot eorum & aliorum maiorum nostrorum virtute & doctrinâ clarissimorum virorum vitas gestaq; & monumenta ignorari & deperire, instare non desierunt, vt antiquos illos probosq; scriptores, ab interitus periculis, quibus euidenter expositi essent, vindicarem, & in lucem ad communem omnium vsum educerem. Quibus haud difficulter, vel ideò maximè, morem gessi, quod hactenus nullos ferè hisce de rebus probatos auctores typis excusos viderimus. Nam quæ Placentius, Democares, Cratepolius, & alij nõnulli edidêre, ea tantum à veterum horum auctorum scriptis discrepãt, quantum turbidi à limpidissimis, amplissimisque fontibus longâ intercapedine decurrentes riuuli, è quibus historiæ huius studiosi, & honoris Ecclesiæ, patriæque suæ amatores, nec sitim historicæ veritatis, quâ flagrant, extinguere, nec pietatis, prudentiæque Christianæ fructus, quos ex huiusmodi lectione expectare imprimis oportet, colligere vllo modo possint. Siquidem vel cathalogorum more nimis angustis finibus circumscripti, nulla ferè integrè perfecteque scripserunt; vel ieiunè, & parũ solidè res grauissimas attigerunt; vel denique inconsultis veterum scriptis incerta pro certis tradiderunt, aut falso vera, aut maiora vero miscuerunt.

Quę verò Hubertus Thomæ Leodius gloriosus miles, de Tũgris & Eburonibus, alijsque inferioris Germaniæ populis in lucem

cem edidit, non historiã Ecclesiæ Leodiẽsis (cuius vt & Romanæ spurium fuisse se passim in illo suo cõmentariolo demonstrat) sed varias locorum, in quibus Tungri, & Eburones cum Iulio Cæsare pugnarũt, vbi victores, vbi victi fuerunt, nomenclaturas Grammaticorum more disquirit, vt non difficulter illum (prout de se scribit) per vniuersum penè orbem totis viginti annis peregrinatum, in diuersorijs dum cœna paratur, equi insternuntur, frænantur, famulus accingitur, huiusmodi pueriles Etimologias excogitasse credam. Alieniorem verò & iniquiorem ergà Ecclesiam Leodiensem animum gessisse vel ex eo satis clarũ est, quod Pontificibus Leodiensibus, contrà omnem antiquitatem, iurisdictionem adimit, & hæreticorum more, solam verbi Dei declamationem tribuit, atque suam vt impudẽtiam manifestiorem reddat, ne D. Hubertum, Aquitaniæ ducis filium, Leodiensem Pontificem, vrbis Leodinæ agnosceret fundatorem, vel Ambiorigem Tungrorũ Regem, cui cum Cæsare bellũ fuit, vel Leoden quendam Ithacensis Oenopis vlissem ad Troiam sequuti filium, Leodicensis vrbis cõditorem, ex nescio quibus vanissimis coniecturis erroneé, & impiè cõfingit; cum Leodium antè D. Huberti tempora, non vrbem, sed vicum ignobilem, & ferarum magis, quam hominum habitationi idoneum fuisse ex Godeschalci, & Nicolai canonicorum Leodiensium testimonijs, quorum ille ab octingentis, hic à quingentis & suprà annis scripsit, manifestum sit.

Animaduertebã verò multa in hisce nostris auctoribus quæ ad vitam, præsertim nostratum, componendam, momenti plurimũ adferrẽt. Nam cùm, teste Liuio, *hoc in omni historiâ salubre inprimis ac frugiferum sit, quod tanquam in illustri loco positâ, liceat in eâ intueri, vndè tibi, tuæque Reip: quod imitere capias, indè Fœdum inceptu, Fœdum exitu quod vites*, certé nusquam id promptius copiosiusque quam in maiorum historijs. Etenim cum eorũ seu laudis, seu ignominiæ, seu fœlicitatis, seu infortunij pars, in nos suo quodammodo redundet (*corona enim senum Filij Filiorum, & gloria Filiorum patres eorum*) sicut illorum Laudibus impensius delectamur; ita vituperatione ignominiâque acrius cõmouemur. Feriunt quoque nos, & afficiunt potentius quæ in natali solo, vrbibus, templis, domibus, dignitatibus muneribusque

*Liuius in præm. lib. 1. decad.*

*Prouerb. 17.*


que

que nostris, quàm quæ remotis in locis, ac regionibus, officijsque incognitis gesta commemorantur. Nostratia vtpotè viciniora in oculos nostros suaptè incurrunt, nec sui memoriam deponi patiuntur; externa, & à conspectu longè posita, excidūt facilè, & à plerisque omnibus non tam ad imitationem, quam ad otiosam, & sterilem contemplationem, aut admirationem scripta reputantur. Sunt porrò innumera toto quindecim seculorum curriculo à Pontificibus & maioribus nostris edita morum documenta, quæ si à nobis, quo par est animo, perpenderētur, auidius fructuosiusque longè imitanda capesseremus, fugiendaque vitaremus; antiqua etiam dubio procul reflorescerent cleri huius nobilissimi disciplina, reuiuisceret equestris ordinis sedula ergà Antistites & Principes suos obseruantia, redirent, quæ procul exulare videntur, prisca simplicitas, mansuetudo, pax, iustitia, cæteræque christiano homine dignæ virtutes: Ambitio verò, luxus, liuor, ac inuidia, aliæque huiusmodi animarū nostrarum, adeoque totius Reipublicæ huius pestes, exterminarentur.

Atque vt ad vitam moresque componendos, sic & ad veram fidem, auitamque religionem conseruandā, de quâ hodiè, proh dolor, tantoperè controuertitur, auctores illi segetem vbertim subministrant. Quod enim quæso præsentius contra hodiernas hæreses antidotum, quàm si defunctos à mille quingentis annis, qui nos Christo genuerūt Pontifices, testes vtique omni exceptione maiores, in mediū adducamūs, qui omnes vno ore profiteantur quā hodiè ecclesia Leodiēsis amplectitur religionem, eam ipsam esse, quam illi à B. Materno, & ille à B. Petro Apostolorum
Hariger. c. 5. Principe accepit? *beatus* siquidem *Maternus à sancto Petro catholici dogmatis institutionibus sufficiēter edoctus, & christianâ religione roboratus* (inquit Harigerus) vt primū in hæc loca appulit, confractis idolorū simulachris, vni vero Deo & trino templa erexit, altaria cōstruxit, diuinum missæ sacrificiū celebrauit, sanctæ Dei genitricis, & aliorum sanctorum in eis memoriam habuit, conuersos ad fidem baptizauit, verbo Dei ad studium bonorum operum prouocauit, sanctimoniâ vitæ, humilitate imprimis, ac mansuetudine eis præluxit, viaticum corporis Domini sumpsit, & ab alijs sumendum docuit, doctrinam suam miraculorum
signis

ſignis confirmauit, pro his, alijſque infinitis bonorum operum meritis,per manus ſanctorum Eucharij & Valerij ſociorum ſuorum præmium immarceſſibilem gloriæ coronam à Christo recepit. Hæc doctrina, hæc vita, nonne ea ipſa eſt credendi viuendique regula, quam ex eo tempore, & etiamnum ſingulari Dei beneficio tenet Leodienſis Eccleſia? Quod cùm ita eſſe per hæc Pontificum noſtrorum geſta luce clarius appareat, quis non vel tenuiſſimi ſenſus lector aduertat, nequaquam apoſtolicas & veras religiones illas eſſe, quæ recens à Luthero, Caluino, & alijs eiuſdem farinæ hominibus excogitatæ, templa, altaria, miſſæ ſacrificium, virtutem ſacramentorum, ſanctorum cum Chriſto regnantium venerationem & inuocationem, bonorumque operum merita euertunt, & mortuâ quâdam fide contentæ, latiſſimam ad omnia ſcelera feneſtram aperiunt?

Denique habent hoc veluti proprium ſcriptores noſtri, quod lectores ſuos non vt plerique in ſolâ ferè & continuâ rerum caducarum contemplatione ſpecioſis verbis retineant; ſed eos ſanctâ ſuâ & modeſtâ eloquentiâ, paſſim, vel ad cœleſtia & æterna eleuant, vel in eorũ, ſi quandò opus eſt, narratione ſic verſantur, vt eos ſæpiùs cùm Eccleſiaſte exclamare cogant: *vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Et quamuis in eorum ſcriptis virtutes & ornamenta quibus plerique ſcripta ſua veſtire ſolẽt haud ita reperiantur, tamen inter ætatis illius quâ vixêre hiſtoricos, non mediocrem etiam ab eloquentiâ laudem mihi mereri videntur Quanquam nec viros religioſos de ſacrorum pontificum geſtis ſcribentes, profanâ eloquentiâ diffluere, ſed ſacrâ, graui & ſolidâ ſeſe continere decebat, quæ hic ſi non verborum lepôre, & lenocinijs aures, certè ſuauibus ſanctæ, & venerandæ cuiuſdam ſapientiæ verbis, pectus animumque commouere potentius depræhendentur: vt vehementer fallar, niſi etiam qui legendis politioribus literis aſſueti ſunt, ſi Chriſtianâ modeſtiâ retenti, horum ſcriptorum lectionem non fuerint dedignati, idipſum reipsâ experiantur: accidatque illis, vt ſicut libentius veriores quàm formoſiores habent amicos, ſic libentius veriores hoſcè quàm diſertiores legant auctores. De me certè ingenuè fatebor, quod in ijs legẽdis tantam ſæpè voluptatem perceperim; vt plerumque poſt publica negotia, frequentes animi moleſtias, & fatigationes

*Eccleſ. ca. 1.*

*De hoc genere eloquentiæ vide D. Auguſt. de Doctrinâ Chriſti lib. 4. cap. 6. & 7.*

tigationes, inter multorũ liuorẽ & inuidentiã, inter probra maledictaq;,quibus iã totis tribus,ſupra triginta annis in odioſis Inquiſitoris, Examinatoris & Vicarij generalis officijs expoſit⁹ fui, nullũ poſt ſacras litteras præſentius ſolatiũ, hocce ſenio meo repererim,quã ad horum ſcriptorũ lectionem,meditationẽq;,tanquàm ad ſuauiſſimum tranquillitatis animi portum recurrere.

Et hæc quidem,aliaque huiuſmodi,Sereniſsime Princeps,impulêre me,vt partem temporis,quod ab officijs publicis ſuffurari licuit, libenter auctoribus illis, qui *geſta Pontificum Leodiẽſium* ſcripſerũt ab interitu & obliuione vindicandis,impenderem.In quo non parum quidem laboris, & difficultatis reperi,eâ re iamdudum à multis multoties tentatâ deploratâque:ſed moleſtiam vicit Eccleſiæ patriæque amor , vicit & ipſius argumenti delectatio, quin & optaſſem plus operæ in eorum elucidatione conferre, ſi ætas mea,publicæque occupationes permiſiſſent.

Porrò ſicut ante quingentos quinquaginta circiter annos Anſelmus canonicus Leodienſis Harigeri & ſuum opus Annoni ſecundo tunc Archiepiſcopo Colonienſi meritiſsimo, nomine Leodienſis Eccleſiæ filiæ ſuæ dedit dicauitque, ita & erat hoc ipſum opus,nouo nunc auctoque ſub habitu luci publicę typis dõnatũ Ser. Principi Erneſto Archiepiſcopo Colonienſi eidẽque Epiſcopo Leodiẽſi digniſsimo à me deuotum. Cui enim eccleſiaſtici ſcriptoris congruentius ſudaret ingenium,quã illi,qui ſe murũ pro Eccleſiâ Dei,cõtra oẽs hæreticorũ machinatiões ſemper oppoſuit,qui rebus imperij in pace cõſeruãdis,inter Sereniſſimos Principes Electores,auctoritate, cõſilio,fidelitate,zelo,facilè primus,Imperatori catholico gratiſſim⁹ ſemper adſtitit: qui impiorũ conatus,inſidias,fraudes, conuenticula ſæpius detexit, & diſturbauit:qui pro verâ,& priſcâ religione in hac,& alijs diœceſibus conſeruandâ promouendaq;, bellâ, acres contentiones, labores ingẽtes, continuas animi ſollicitudines,& ſumptus immenſos,ſæpiùs ſuſcepit,ſuſtinuit,perfecit;qui ſeditiones periculoſas plerũq; ſola vultus ſui ſerenitate cõpreſsit: qui hoc periculoſiſsimo & ſuſpicioſiſsimo tẽpore,vicinis prouincijs circũquaque inter ſe bellorum inteſtinorum incendijs conflagrantibus, rabieq; hæreſeon agitatis & attritis nos in pace ac fide catholicâ admirabili dexteritate & fælicitate conſeruauit, auxitque. Et vt de me pauca dicam , qui toto Epiſcopatus ſui tempore, hoc eſt,

toto

toto vnius & triginta annorum ſpatio, me veluti filium ſuum, paterno ſinu fouit, dignitatibus immerentem ornauit, ſuum in ſpiritualibus vicarium generalem conſtituit, & liuidos actionũ mearum obtrectatores frequenter confudit.

Erat, inquam, Sereniſsime Princeps, hoc quicquid eſt operis illi paratum: verùm poſtquam ab hoc prauo ſæculo in beatum Altiſsimus eum nuper euocauit, & Serenitatem veſtram illius in locum ſurrogauit; cui potero *Geſta Pontificum Leodienſium* aptius, quam illi pontifici dedicare, à quo non Leodienſis tantum, ſed & vniuerſalis Eccleſia, ipſumque Imperium, non minora quam à Magno illo Erneſto eius patruo, amoris & officiorum expectant monumenta? Quid enim ſibi non promittant Catholicæ Eccleſiæ filij, qui genus veſtrum Imperiale Regaleque, cui nullum neque antiquitate, neque ſplendore facilè comparari poſsit, agnoſcunt? Quid ſibi non polliceantur, qui heroicam veſtram indolem, & optimam à teneris incunabulis, ad omnem virtutem & eruditionem, educationẽ pernoſcunt? Quid à Celſitudine veſtrâ non expectent, qui diuino nutu, raro exemplo, vident illam tot dignitatibus, & tiâris, tot ditionibus, ac prouincijs latiſsimis ſimul ac ditiſsimis cumulatam, vt poſt paſtorum paſtorem nulli in Eccleſiâ cedat? Nec immerito quidem ab eâ hæc ſibi pollicentur catholici omnes, & nos imprimis Leodienſis Eccleſiæ filij, vtpotè qui illam ſub initium pontificatus ſui Leodienſis, cum actionum ſuarum curſum videmus inſtituiſſe, ita omnia patriæ negotia ordinaſſe, vt facilè omnes intelligant, quid in reliquum tempus, ab ipſius prudentiâ & regendi dexteritate bonis omnibus ſit ſperandum, quid improbis pertimeſcendum.

Hunc ergo geſtorum Pontificum Leodienſium tomum primum, vt Sereniſsima Celſitudo veſtra gratulationis vice, ſub hiſce Leodienſis ſui pontificatus auſpicijs prodeuntem, pro ſpectato ſuo in ſponſam Eccleſiam Leodienſem illiuſque pontifices affectu ſuſcipere, ſuoque patrocinio protegere dignetur, rogo. Eſt in eo ſucceſsiuum à B. Materno primo Epiſcopo ad VVaſonem vſque quinquaginta duorum ſanctitate, & eruditione genereque illuſtrium (quos inter, nonnulli etiam familiæ veſtræ proceres eminent) examen pontificum, ordine, diſtinctéque

ãã partim

partim ab Harigero abbate Lobiēſi, partim ab Anſelmo canonico Leodienſi conſcriptum, additionibus Ægidij Aureæ vallis religioſi, & nouiſsimis meis annotationibus locupletatum. Sequetur porrò breui, Deo cooperante, ſecūdus, & tertius & ſi vita pauculos ad annos prorogata fuerit, accedet quartus, & vltimus, in quo Sereniſsimi Erneſti, ſuauiſsimæ recordationis, patrui veſtri pro Eccleſiâ Imperioque geſta grandiori, veraci tamen ſtylo deſcribentur. Intereà Deum Opt. Max: precabor, vt vota Ser^tis^ veſtræ, quæ ex illius ore & pectore didici tum eſſe ſanctiſsima, tum Eccleſiæ Dei vtiliſsima, ſingulari ſuâ clementiâ & bonitate proſperare dignetur. Datum Leodij prid. non. Maij 1612.

*Ser^mæ^ C. veſtræ*

obſeruantiſſimus ſeruitor.

IOAN. CHAPEAVILLE.

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

ANtequam ad lectionem Harigeri & Anselmi accingaris, amice lector, nonnulla sunt, quæ te scire, haud abs re fore existimaui. Ac quidem inter plurimos M. S. Codices qui gesta Pontificum Leodiensium (sic enim à veteribus inscribuntur) continent, & multorum manibus circumferuntur, nos Harigerum & Anselmum typis euulgandos delegisse: quod alij plerique omnes anonimi sunt & ignoti, barbari etiam & multâ sæpè vanitate referti, & quicquid certi boniuè habent, propemodum de verbo ad verbum ex M. S. horum auctorum exemplaribus desumpserunt : vt haud difficulter indè appareat eos omnium primos, & præcipuos esse, qui eiusmodi gesta posteritati consecrarunt. Etsi enim non defuerint docti pariter & fideles, qui antè eos, nunc vnius, nunc alterius Pontificis vitas scripserunt, prout de Godeschalco, & alijs suis locis notauimus, nihilominus qui ordinem, & seriem eorum continuarent antè Harigerum & Anselmum, non reperiuntur. Equidem floruit Harigerus sub annum Domini, 980. vir vtique non solum ecclesiasticâ dignitate præcellens, sed etiam literarum scientiâ clarus: quo, nec minus literarum monimentis celebris fuit Anselmus canonicus Leodiensis, ipsum Harigerum post quinquaginta annos circiter sequutus; vt ex subiectis infrà eorū ex Sigeberto elogijs, manifestum est.

Porrò in recognoscendis eorum scriptis, non paruæ nobis occurrerunt difficultates: ac primum quidem, quod inter vetera manuscripta Harigeri exemplaria vnum Ecclesiæ collegiatæ sancti Martini Leodiensis, non Harigeri abbatis Lobiensis, sed Notgeri Episcopi Leodiensis nomen pro auctore præferret, vndè nonnulli illius fortè exemplar sequuti sunt, & scrupulum de auctore non paucis mouerunt. Verum Harigerum genuinum illius auctorem esse ex eo satis liquet, quod omnes qui post eum gesta Pontificum Leodiensium scripserunt, vnanimi sententiâ illum auctorem faciant. Anselmus quidē Harigero 50. annis tantum, vti diximus, iunior, in epistolâ suâ dedicatoriâ ad Annonem Archiepiscopum Coloniensem, cui hæc eadem gesta Pontificum dedicat, dum inquit. Horum quidem pars prior ab Harigero Lobiensis Cœnobij abbate, absque capitulis est conscripta, cui nos Capitula prænotantes, nostram cum Capitulis Lucubratiunculam coaptare studuimus; hæc enim prior pars, is ipse est liber de quo hic agimus, cui suam lucubratiunculam, hoc est, secundum librum suum, ipse Anselmus coaptauit. Aegidius quoque aureæ vallis, qui floruit anno Domini 1240. gesta Pontificum Leodiensium, vbi Anselmus desiit, prosequutus, in præfatione sui libri ad Mauritium Noui Monasterij propè Huyum abbatem, disertis verbis huius libri auctorem facit Harigerum. Idem faciunt seposito omni scrupulo, quotquot deinceps gesta Pontificum Leodiensium scripserunt; Ioannes Præsbyter qui floruit circa annum Domini 1350. Ioannes vltramosanus circa annum 1390. Placentius circa annum 1520. Ioannes Bruysthemius circa annum 1540. Adde quod Sigebertus vir in historiâ clarißimus vt tempore sic & loco Harigero Cœnobij Lobiensis abbati, & Anselmo Ecclesiæ sancti Lamberti canonico proximus (floruit enim in Gemblacensi Monasterio diœcesis tunc Leodiensis tempore Henrici Imperatoris tertij, regis quarti circa annum Domini 1110) describens nomina eorum, qui suis scriptis Ecclesiam illustrarunt, dicit Harigerum inter alia scripsisse gesta Pontificum Leodiensium nullam

*Notgeri Episcopi sui mentionem faciens. Sic & Trithemius abbas Spanhemensis, qui floruit circa annum Domini millesimum quadringentesimum octuagesimum, in libro de Illustribus Ecclesiæ scriptoribus nongentos & septuaginta scriptores congerens, quorũ volumina, gradus, conditiones, dignitates, ac tempora potuit reperire, inter alios nomen, gradum, & tempus Harigeri reperit; & non potuit ipse Germanus Notgeri Sueui Episcopi Leodiensis celeberrimi, si gesta Pontificum Leodiensium scripsisset, reperire? Tot testimonijs & argumentis conuicti, procul omni dubitatione fateri cogimur Harigerum non Notgerum, huius primi libri esse auctorem.*

*Verum quid dicemus de exemplari illo, alijsque, si quæ sint nomen Notgeri præferentibus? suggerit quod respondeamus vetustus auctor Anonimus, qui circa annum Domini 1160. gesta Abbatum Lobiensium post Fulcuinum prosequens, dicit Harigerum Notgero Episcopo charum & familiarem fuisse, nihilque sine eius consilio & obsequio egisse, sic enim ille.* Intantum prædicto venerabili Notgero Episcopo charus & familiaris fuit, vt non solum in domesticis vel ecclesiasticis rebus, sed in palatinis quoque negotijs, quorum tunc temporis præcipuus erat exequutor idem Episcopus, eum inter primos semper habuerit, nec in Lotharingiâ solum, sed & in Italiâ vbi Ottoni secundo adhuc puero, regnum præparabat, eius obsequijs & consilijs vsus fuerit. *Si in omnibus Harigeri consilijs & obsequijs vtebatur Notgerus, quid verosimilius dicere possemus, quam Notgerum Imperij negotijs districtum, non scripsisse quidem librum hunc, sed familiari suo Harigero, vt scriberet, mandasse, Harigerum verò librum suum sub Notgeri nomine edidisse, tum quod scriptionis illius ipsi auctor fuisset Notgerus, tum quod ita eum maioris futurum auctoritatis speraret Harigerus. Consonat huic ipsa epistola nuncupatoria ad VVerinfridum Abbatem Stabulensem, vbi Harigerus sub nomine Notgeri ipsum alloquens, inquit,* Simulque visus es ne dicam precari, potius exhortari, vt eam (*nimirum S. Remacli vitam*) non modò exampliari, verum aliquanto lepidius mandarem poliri: *mandauit ergo Notgerus Harigero, Harigerus obtemperauit, nec tantum hoc, sed verosimiliter etiam celebre Notgeri nomen operi suo præposuit, vnde nata huiusmodi exemplaria. Cæterum veritate postmodum detectâ, non amplius Notgero, sed Harigero liber adscriptus est.*

*Occurrit & hoc, posse quibusdam videri librum Anselmi non esse integrum & genuinum illius fœtum, sed tantum epytomen & breuiarium, propter hæc præfationis ad illum verba.* Deinceps quæ sequuntur ex alterius opusculi libello quem quidam S. Lamberti Canonicus Anselmi nomine composuit sunt annexa, *Verum Anselmi integrum & perfectum volumen esse, ex eo certum est, quod omnes qui Anselmum in scribendo gesta Pontificum Leodiensium sequuti sunt, puta Aegidius aurea vallis, Ioannes Presbyter, Ioannes Bruisthemius, & alij, inserunt suis scriptis eundem Anselmi textum quem hic proferimus, nisi quod aliquando, aliqua sua immisceant, quod sæpè facit Aegidius: vel subindè resecent, quod alij faciũt frequentius. Quin & Aegidius in præfatione suâ ad Mauritium abbatem, expressè dicit Harigerum & Anselmum* vnum post alium vsque ad sua tempora, partes superiores *hoc est, primum & secundum librum quos iam edimus*, Fideliter, sed breuiter scripsisse & multa relatu digna, nescio quâ de causâ omisisse. *Non ergo magnũ aliquem codicem scripsit Anselmus ex quo ista abbreuiata sunt*

*sunt, sed breuem & succinctum, qualem hic promulgamus. Adde auctorem huius libri in præfatione suâ testari se* Breuiario quodam nomina singulorum Episcoporum cum paucis quorundam ipsorũ gestis perstrinxisse, nisi quod in vitâ Domini VVasonis paulò diutius immoratus sit, vt desiderio Dominæ Idæ satisfaceret. *Vndè apparet hunc librum ab ipsomet Anselmo dici* Breuiarium, *quia scilicet breuis erat, deficiente materiâ & fortè Archiuis Ecclesiæ S. Lamberti Normannorum persequutione deperditis. Cum ergò ab ipsomet auctore* Breuiarium *vocetur, non est quod ab alio breuiatum existimemus. Quamobrem verba in præfatione ad Anselmi librum superius allegata, nil aliud volunt, quam quod Anselmus ( modestiæ gratiâ sub alterius nomine loquens ) hæc gesta Pontificum desumpserit ex libro quem ipse de omnium Pontificum gestis vsque ad sua tempora scripserat, truncatis viginti septem primorum Episcoporum gestis & præfatione ad Idam, Harigerique libro, qui gesta viginti septem Episcoporum primorum iam ante scripta continebat, annexuerit.*

*Occurrit tertiò in quibusdam M. S. Codicibus Harigeri & Anselmi aliquam reperiri styli diuersitatem: nam duo exemplaria Alnense & S. Martini Leodiensis fusiorẽ & ornatiorem quibusdam in locis dictionem habent, reliqua omnia exemplaria quæ videre licuit, ijsdem in locis breuiorem & magis historiæ accommodatum sequuntur, seruatâ interim per omnia in omnibus exemplaribus earundem rerum gestarum conformitate: quod cum vnde proueniret certò videre non possemus & nobis aliquod exemplar sequendum esset, Aegidij Aureæ vallis sequi maluimus, tum quod Harigerum & Anselmum in scribendo proximè sequutus est, vndè & de genuino eius textu reliquis certius iudicare potuit, tum quod omnes qui deindè gesta Pontificum Leodiensium scripserunt, Ioannes Præsbyter, Bruisthemius & alij, exemplar Aegidij etiam sequuti videntur.*

*Sed nec in vero & genuino textu ipsius Aegidij conquirendo difficultas defuit, tum propter ipsius exemplariorum varietatem, tum propter infinitos ferè errores, quibus ea passim scatebant. Ab hac difficultate nos profectò ægrè admodum extricassemus, nisi in exemplar quod ipsius auctoris autographum esse existimamus, singulari Dei prouidentiâ nuper incidissemus. Cum enim in Monasterio S. Huberti in Arduennâ pro dirigendâ moderni abbatis electione essemus, & ad Priorem & Conuentum Monasterij aureæ vallis ( quod à diui Huberti monasterio octo tantum milliaribus distat ) de vitâ & gestis Aegidij dum viueret eorum confratris sciscitantes, scripsissemus; nec quicquam horum apud eos reperiri ex pio & erudito patre Pontio Bonnay moderno loci illius priore accepissemus, ex senioribus verò Monasterij sancti Huberti inaudiremus religiosos aureæ vallis pretiosiora mobilia sua, vt Gallorum incendijs aut depradationi eriperent solitos pridem ad suum monasterium deferre, statim incessit animus sancti Huberti bibliothecam diligenter perlustrandi, ac de codicibus manuscriptis, qui eo in loco frequentes sunt inquirendi; quod dum facimus, incidimus in Codicem perantiquum pergameneum, coopertura perelegantis, literis initialibus auro exornatis, gesta Pontificum Tungrensium, Traiectensium, & Leodiensium continentem, in cuius initio & fine verba hæc ascripta erant.* Liber sanctæ Mariæ aureæ vallis Cistertiensis ordinis, Treuirẽsis diœcesis; qui eum abstulerit anathema sit. *Quæ omnia simul inspecta & considerata, mihi suspicionem iniccere illud ipsum exemplar autographum esse Aegidij, eoq; nomine tanto in precio ab ipsâ Aureâ valle*

*habitum*

*habitum. Suspicionem auxit, quod in illius lectione offendimus passim multas graues & doctas marginales annotationes, quas peruetustus illarum scriptor interiectis signis monet in textu reponendas; quin & deprehendimus in eodem exemplari vbi Aegidius post Anselmum prosequitur gesta Pontificum Leodiensium adiecta viginti septem capita, quæ in alijs nullis codicibus, quos saltem huc vsque videre licuit, reperiuntur; eaque suis locis ita ordine disposita, eâ characteris vetustate & manus vniformitate descripta, vt non ab alio, quam ab ipso Aegidio, vel eius amanuensi adscita fuisse facilè credas. Quocirca nec miraberis, amice lector, si collatâ ad exemplaria tua, hac nostrâ editione, plura in eâ quam in tuis, nonnulla etiam fortè immutata reperias, cum vel hinc facilè appareat Aegidium virum in historiâ Ecclesiæ Leodiensis compilandâ diligentissimum, codices suos quo ad vixit magis semper ac magis adornasse.*

*Postremò cum Aegidius multas ad Harigerum & Anselmum notas & additiones fecisset, ac promiscuè in contextu citra vllam distinctionem interseruisset, optaremus verò pro maiori fide & scriptorum dignitate suum cuique reddere: non parua fuit difficultas in additionibus huiusmodi à genuino textu distinguendis, sed & hanc quoque tandem adiutorio duorum codicum, vnius Alnensis Monasterij, alterius, Cruciferorum Leodiensium Harigeri & Anselmi scripta absque Aegidij additionibus continentium, fœliciter vt spero superauimus.*

*Omitto alias difficultates in conferendis omnibus huiusmodi exemplaribus, in quibus neque dyphtongi, neque accẽtus, neque commota, neque orationis distinctiones reperias; contra solecismos non paucos & confusionem contextus magnam promiscuè videas, quæ omnia quantum in nobis fuit, saluâ in omnibus textus de verbo ad verbum integritate, restituimus, subiecta (quanquam raro, ne te in minutioribus occuparemus) lectionum varietate, loca quoque sacrarum scripturarum, ac sanctorum Patrum, aliorumq; scriptorum in margine designauimus; insuper ad plurimorum capitum calcem annotationes subiecimus, quibus passim notos & probatos auctores eadem cum Harigero & Anselmo scribentes, ad maiorem eorum fidem designamus.*

*Laborem hunc boni consule lector, & alias, quæ occurrerint difficultates, tu ipse supera, nostros & auctorum defectus supple, nobis satis superque est, tibi pro modulo, quantum per occupationes licuit, viam ad meliora in difficilimis pulcherimisq; patriæ nostræ rebus, strauisse.*

*Interim ne ingrati simus, mecum gratias ages ijs, qui pro suo in patriam amore, nobis ad hanc editionem exemplaria subministrarunt, ac primum quidem Reuerendo in Christo Domino Nicolao de Fanson monasterij sancti Huberti in Arduennâ abbati, viro pietate, industriâ ac literaturâ conspicuo, ex cuius monasterio præstantissimum exemplar autographum Aegidij in membranis descriptum & ad multas difficultates, vti iam diximus superandas oportunissimum, mutuò accepimus.*

*Secundò gratiam habemus Reuerendo pariter in Christo Domino Henrico Velpen monasterij Alnensis abbati viro religione ac eruditione præstanti, à cuius quoq; monasterio pergameneum Codicem textum Harigeri & Anselmi absque Aegidij additionibus complectentem, non sine magno fructu, deprompsimus.*

*Tertiò prædicamus & habemus gratiam viro non minus pietate quam generis nobilitate perillustri Theodorico à Groesbeeck fœl. m. Episcopi Leodiensis Fratri, qui pro veteri suâ in me humanitate, Codicem quoque pargameneum concessit, in quo nō solum Harigeri, Anselmi, & Aegidij, sed etiam eos proximè sequentis Ioannis Hoxemij*

*canonici*

*canonici & scholastici Leodiensis textus fideliter exaratus ad futurorum etiam tomorum editionem oportunus, continetur.*

*Quartò gratiam referimus integritate & candore peramabili viro Fratri Domino Guilhelmo Herkenroede Canonicorum regularium Tungrensium Priori meritissimo, qui nobis similiter M. S. exemplar Harigeri, Anselmi, Aegidij, ac iam dicti Hoxemij, necnon Radulphi de Rivo ecclesiæ Tugrẽsis Decani eum subsequentis, ad futuros quoq; tomos perutile communicauit.*

*Quintò non minorem quoq; gratiam debemus & agimus pio ac erudito Fratri Domino Hermanno ab VVoestenraed Cruciferorum Conuentus Leodiensis Priori benè merito, qui M. S. pariter Codicem Harigeri & Anselmi absque Aegidij additionibus textui tamen eiusdem conformem, nobis magno cum laboris & molestiarum leuamine accommodauit.*

*Sextò gratiam pariter debemus & agimus Eruditissimo pientissimoq; & cordatissimo viro Fratri Chrisostomo Madogonio Conuentus Capucinorum Leodiensium Guardiano, qui & operi nostro M. S. exemplar verbotenus (omissâ tantum præfatione Anselmi ad Annonem Archiepiscopum) Codici aureæ vallis correspondens, contulit.*

*Septimò meritas agimus grates pietate ac doctrinâ historiarumq; nostrarum scientiâ commendabili viro, Domino Danieli Raymundi S. Materni in Ecclesiâ Cathedrali Leodiensi canonico, qui nobis fidele exemplar ex peruetusto membraneo Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini Leodiensis Codice desumptum adiecit per omnia Codici Alnẽsi simile, saluo quod (prout dictum est) Notgeri Episcopi nomen præfert.*

*Denique Reuerendo in Christo Domino Ogero Loncin Monasterij S. Laurentij abbati dignissimo, necnon Reuerendis pariter Dominis abbatibus S. Iacobi, Lobiensi, Gemblacensi, & Priori Stabulensi: magnifico insuper & honorabili viro Ioanni Curtio Domino tẽporali de Oupie, Vuengnis, Hermal, &c. qui nõ quidem Harigeri aut Anselmi, sed aliorum quorundã tum vetustorũ, tum recentiũ auctorũ exemplaria ad historiam & notationes nostras oportuna (de quibus condignam suis temporibus & loco mentiotionem faciemus) nobis impertiti sunt: His inquam omnibus & singulis pro liberali promptôq; erga nos officio, speciales debemus & agimus gratias. Referet illis, quam non possumus Deus Opt: Max: mercedem, & Ecclesia patriaq; Leodiensis laudem immortalem.*

*Ecclesiastici cap. 44.*

LAudemus viros gloriosos & parentes nostros, in generatione suâ.

*Ambrosius sermone 77. in Natalem Tauricorum.*

SPecialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus.

# EPISTOLA DEDICATORIA.

*Domino Annoni, venerabili Coloniensium Archipræsuli, præsbyterorum infimus Anselmus, prædicare annum Domini acceptum, & suam Christi familiæ fideliter dispensare annonam.*

GLoria omnipotenti Deo, qui nostris ita nomen suum dignatus est glorificare temporibus, vt te qualem cognouimus, seruum suum sanctæ Coloniæ sponsum, Leodiensi Ecclesiæ præfecerit Archiepiscopum: quarum altera, Leodiensis videlilicet Ecclesia, matris suæ venerabilis Coloniæ oppido gaudet, tam fideliter te inuigilare prouectibus, & toto desiderij affectu, in amplexus tuæ charitatis gestiens, sanctę tuę paternitatis exoptat adiuuari, pariter & confoueri adminiculis. Atque, vt hoc sibi propensiùs tua debeat beata benignitas, hæc suorum per me dirigit gesta Pontificum, vt qui per te ipsum studiosè satis ad melioris vitæ arcem niteris, his profectò amplius ad virtutem accendaris. *Exemplis Sanctorum accendimur ad virtutem.*

Horum quidem pars prior ab Harigero, Lobiensis cœnobij Abbate, absque capitulis est conscripta: cui nos capitula prænotantes, nostram cum capitulis suis elucubratiunculam coaptare studuimus. *Harigerus auctor est huius libri.* Et cùm illa superior eorundem gesta Pontificum, à primo vsque ad vicesimum septimū, scilicet à sancto Materno, vsque ad sanctum Remaclum digesserit; nos quoque opus nostrum, quod precatu Dominæ Idæ Abbatissæ cōscripseramus, decapitantes, ne eadem replicando fastidium legenti faceremus, à beato Theodardo cœpimus, & ordinem Episcoporum, vsque ad Dominum VVazonem, quem quinquagesimū secundum esse constat, prosequuti sumus; *Anselmus est auctor libri sequentis.* nihil ponentes, nisi quod aut legimus, aut certa fidelium personarum relatione didicimus, aut certè ipsi præsētes vidimus & audiuimus. *Anselmus fide dignus.* Enimuero matrē suā, sanctam videlicet Coloniam, latere non decet, quot & quales habuerit Legia rectores; vt si quos eorum Deo placuisse cognoue-

rit, vnde abundantiùs gaudeat, sedula mater inueniat. Matrum enim est, filiarum prouentus, suos existimare.

*Cineres Ebregisi Episcopi Leodiensis ex Trumonia villa diœcesis Leodiensis translati sunt Coloniã per Brunonem Archiepiscopũ Colonien.*

Quæ etiam præter candidatorum milia Martyrum, vnius ex patronis nostris, beati videlicet Ebregisi, nouerit se cineres seruare, quos in Trumonia, nostri Episcopij villa consepultos, vt hæc eadem testantur gesta, à Brunone Archiepiscopo, eodemque (vt aiunt) duce in monasterium sanctæ Ceciliæ, omnes eiusdem Trimoniæ indignæ perhibent esse translatos, vbi hodieque vacuum eius in maximo honore habetur sepulchrum.

*Ebregisus alius est ab Euergislo.*

At, quod vestrates cum Euergislum vocãt ex aliquo nominis huius Episcopo, cuius mausoleum forsitan ignoratur, ob nominis consonantiam, huic nostro Ebregiso hoc attributum esse arbitramur; licet nonnulli hunc eundem & Coloniensem & nostrum vno tempore fuisse contendant, eundemque cum B. Seuerino, Antecessore (vt aiunt) suo, vocum Angelicarum in transitu B. Martini psallentium auditorem asserant. Quod si ita esset, idem qui Coloniensibus quartus, nobis vicesimus quartus extitisset. Sed hoc impossibile esse, liquidò ex temporum ratione colligitur: in transitu enim B. Martini, secundus Archadij & Honorij annus erat, qui est à dominica incarnatione quadringentesimus primus, à quo ducenti quinquaginta duo, vsque da Dagobertum Regem computantur: circa cuius tempora, hic noster Ebregisus, Traiectensi Cathedræ præsedit. Restat igitur, vt dicant suum Euergislum, aut post transitum S. Martini, per eosdẽ ducentos quinquaginta duos annos, vsque ad Dagobertum vixisse, vt sic videatur credibile eundem vestrum & nostrum episcopum esse potuisse vno tempore, quod fidem excedit: aut nobiscum credant, eos omnimodò diuersos esse; tum quia à tempore diluuij nemo legatur ducentis annis vixisse, tum quia inter Beatum Seruatium, Episcopum nostrum, qui beato Seuerino contemporaneus fuit, & inter istum Ebregisum, tredecim episcopos legamus nobis præfuisse

*Modestia Anselmi.*

In tuo igitur, Archipræsul domine, pendeat arbitrio, vtrum hæc quæ nostra sunt iubeas ignibus dari, necne; quanquam hãc materiam vtcunque dictatam, vti benè viuendi esse possit exemplum, saluam esse expediat.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. Epistola dedicatoria.] *Loco huius tituli, Codex aurea vallis sic habet:* Incipit prologus ad sanctum Annonem Coloniensem Archiepiscopũ in gestis Pontificum Tungrensium, Traiectensium, & Leodiensium.

2. Domino Annoni Venerabili Coloniensium Archipræsuli.] *Hic fuit 34. Archiepiscopus, cuius vitam scripsit quidam canonicus illi coëuus, iussu Reginhardi Sigebergensis cœnobij abbatis libris tribus, quam habes apud Surium tomo sexto.*

3. Ad melioris vitæ arcem niteris.] *Inter innumera sanctitatis argumẽta, quæ in Annone relucebant, præclarum est illud quod Summus Pontifex illi defert his verbis:* Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Annoni Archipiscopo S. Coloniensis Ecclesiæ in Christo Iesu fratri charissimo. Quod à nobis, Deo dilecte frater, expetis, ex officio suscepto & auctoritate apostolica vniuersis debemus ecclesijs: at mihi tecum, in Deo dilecte frater, aliter agendum est; quippè apud virum religiosum, & reuera tàm operibus quàm nomine episcopum. *Vide quam de eo opinionem ipse summus Pontifex habuerit, vt non mireris ecclesiam Leodiensem illi gesta sanctissimorum episcoporum suorum dedicâsse. Vide illius vitæ auctorem li. 1. cap. 26 Mortuus est Coloniæ, sed in suo monasterio Sigebergensi sepultus: cuius mausoleo Reginbardus Sigebergensis abbas hoc epitaphium literis aureis insculpi curauit:*

Patribus egregijs ornata Colonia multis,
  Ecclesiæ speculum misit ad hunc tumulum.
Emicuit mundo noua lux Annone secundo,
  Qui per cuncta suo par erat officio.
Mensibus hoc denis, annis octoque vicenis,
  Quarta Decembris eum lux tulit è medio.

4. Nos quoque opus nostrum, quod precatu Dominę Idæ Abbatissæ conscripseramus.] *Ida Abbatissa fuit monasterij S. Ceciliæ vrbis Coloniensis, Anselmi de sacro fonte spiritualis mater. Hæc rogauit Anselmum, vt scriberet illi gesta S. Ebregisi episcopi Leodiensis, cuius cineres in suo monasterio requiescebant, & VVazonis episcopi, de cuius viri sanctitate & doctrina, multa ab Anselmo, qui VVazoni familiaris erat, inaudiuerat. Huius precibus motus Anselmus non solum SS. Ebregisi & VVazonis, sed & reliquorum omnium episcoporum Leodiensium gesta vsque ad sua tempora descripsit, quorum priorem partem à S. Materno vsque ad sanctum Remaclum, quia vidit etiam ab Harigero paulo ante sua tempora satis diligenter descriptam, à suo libello detruncauit, & posteriorem partem à se compositam, à B. videlicet Theodardo vsque VVasonem, libello Harigeri coaptauit, & de vtraque vnum libellum effecit, quem hic Annoni Archiepiscopo Coloniensium dedicat.*

5. Quos Trumonia nostri episcopij villa.] *Est ergò Trumonia pagus Diœcesis Leodiensis: quod etiam disertis verbis asserunt Codices Alnensis & S. Mar-* tini

*tini lib. 2.c. 1.* Requiescit(*inquiunt*)in eodem sacræ virginis monasterio, corpus B. Ebregisi, qui Tungrensi ecclesiæ præfuit vigesimus quartus, quod à Brunone Archiepiscopo, qui Dux fuisse fertur, à Trumonia, Leodiensis episcopij villa, vbi sepulchrum eius adhuc cernitur, illuc translatum esse affirmant. *Quod nota, tum vt benè intelligas quæstionem, quã hic mouet Anselmus, tum vt caueas ab errore Aegidij aureæ vallis infrà cap. 35. vbi existimat Trumoniam esse pagum Diœcesis Coloniensis.*

6. A Brunone Archiepiscopo, eodem(vt aiunt) duce.] *Tritemius in lib. de viris Illustribus de hoc Brunone sic loquitur* : Rogerus scripsit vitam Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, qui fuit Dux & frater Ottonis Imperatoris. *Habes gesta illius apud Surium tom. 5.*

7. At quod vestrates eum Euergislum vocant.] *De Ebregiso & Euergislo vide quæ fuse satis notauimus ad caput 36. Harigeri ab Aegidio additum, pagina 66.*

# INDEX CAPITVLORVM LIBRI HARIGERI, CVM ADDITIS CAPITVLIS ÆGIDII A LEODIO, AVREÆ VALLIS RELIGIOSI.

Caput primum.

# INDEX CAPITVLORVM LIBRI ANSELMI, CVM ADDITIS CAPITVLIS ÆGIDII A LEODIO, AVREÆ VALLIS RELIGIOSI.

Caput primum.



II. Qualiter

65. De

INDEX RE-

# INDEX RERVM
# IN PRIMVM TOMVM
## GESTORVM PONTIFI-
## CVM TVNGRENSIVM, TRA-
### IECTENSIVM, ET LEOD.



a

Euphrates

F.



Foillani

M.

## N.

## .O.

c poena

## Q.



## R.



Keli-

Taxan-

## T.



## V.



Valen-

Finis indicis rerum maximè memorabilium.

# IN HISTORIAM PONTIFICVM LEODIENSIVM EX DIVERSIS AVTHORIBVS, PER ADMODVM R^dum. D. *Ioan. Chapeauille Canon. & Vicarium generalem Leodienſ. Famennæ Archidiaconū collectā & illuſtratam, R. D. Nicolai Lampſonij Protonot. Apoſt. Eccl. Coll. S. Dioniſij Leod. Decani & C. S. Conſil.*

EPIGRAMMA.

MVlta Deus tribuit tibi, CHAPEAVILLE talenta,
Impendis patriæ quæ, Venerande, tuæ.
Hoc Virtus magnis teſtatur honoribus aucta,
Hoc extant alijs quæ tua ſcripta Libris.
Nec minus hic, tenebris Eburonum ab origine prima
Eruta Pontificum quo datur hiſtoria.
Iure igitur tanto iactat ſe Ciue patrono,
Iure amat vt patriæ Legia grata patrem.

IN EANDEM VENERABILIS DOMINI ÆGIDII AB ONEVZ S. THEOL. *Licentiati, & Concilij Chriſtianitatis Vſſeyenſis Decani,*

VERSVS.

PRæſulis ERNESTI miſerabile legia fatum
Viderat, & cladis conſcia tabuerat.
Non tulit hoc, patriæ noua gloria FERDINANDVS:
Non tulit hoc, patriæ CHAPEAVILLVS honor.
Solantur, certantque, libro hic, virtutibus ille,
Centum ipſi pro vno reddere Pontifices.

IN EANDEM.

PAce tua verum ſit fas, ERNESTE, fateri,
Quem nimis (heu!) magnum mors rapit auſa nefas.
Muneris in partem CHAPAVIL, curæque vocabas,
Præſulibus multis qui ſatis vnus erat.

Pluribus

Pluribus ille simul studiumque operamque daturus,
Pluribus esse locis, si licuisset, erat.
Quod licuit, sacros Eburonum ab origine Patres
Noluit ingenij parte carere sui.
Euoluens cæcâ quos texit nube vetustas,
Ille vices Patrum gessit, & ille tuas.

Io. San. *Societatis IESV.*

IN EANDEM SEBASTIANI HVSTINI
S. Theologiæ licentiati, Ecclesiæ S. Mychaelis
pastoris & examinatoris Diœcesani,

*Carmen, expostulationem Legiæ, & ordinatam eorundem Pontificum seriem, vsque ad VVazonem complectens.*

NVllusne tandem series longas Patrum,
Quas obstinato comprimit silentio
Latens vetustas, proferet? Nemo abdita,
Araneoso quæ situ pridem latent,
Inclyta meorum gesta Præsulum eruet?
Misso pudore nunc age ô VICARIE,
Et orbe toto lucidam præfer facem.
Cessa dolore, LEGIA, emisso queri.
Vides vt alto splendidum cœlo caput
[1]·MATERNVS attollit, prior TVNGRENSIBVS 1
Qui Christiani dogmatis normam dedit?
[2]· NAVITVS ecce Pontifex prodit: dein 2
[3]MARCELLVS: hinc [4]·METROPOLVS: tum proximè 3.4.
Adest [5]SEVERINVS: sequens [6]·FLORENTIVM 5.6.
[7]·MARTINVS agmen septimum Hasbanus trahit: 7.
Tum [8]·MAXIMINVS, cum [9]·VALENTINO (heu dolor) 8.9.
Obliuiosa quos ferus caligine
Abdiderat Hunnus, & lues Normannica. 10
Respirat orbis: præsidet [10]·SERVATIVS,
Et Arriano dogmati bellum mouens,
Profligat Euphratem Vbiorum Antistitem:
Inde imminentis præscius cladis, solum
Tungrense mutat vrbe Traiecto, domos
Grandæuus annis cœlitûm tandem subit.
Vastator Hunnus, efferâ rursus manu,
Velut furenti turbine irruens, nouâ

Cunctum per orbem clade grassatur: ruit
Octauiana funditus sedes, iacet
Æqualis astris quæ fuerat, & Præsule
Deserta luget, centies, bis septies
Donec voluto sole splenduit dies,
Qua destitutæ patriæ nouus parens,
11. His [11] AGRICOLAVS attulit modum malis.
12. En [12] VRSICINVS redditus luci nouæ,
Prodit triumphans: properat & læto gradu
13.14. [13] SIGNATVS, ac [14] RENATVS, ac infulâ grauis
15.16.17. [15] SVPPLICIVS, ac [16] QVIRILLVS, ac [17] EVCHERIVS:
18.19. Sublimis altum [18] FALCO petit: [19] EVCHARIVS
Hunc ponè sequitur, & parens Hoyensium.
20. [20] DOMITIANVS, & sacræ Seruatio.
21. [21] MONVLPHVS ædis conditor: cui comes
22. [22] GONDVLPHVS, vrbem qui nouans Octauiam
Forti impeditur vindicis dei manu.
Ecce Dionanto redditur parens suo,
23.24. [23] PERPETVVS: [24] EBREGISVS in Trumonia
25. Villa resurgit: [25] AGNVS è Tyhonio
Episcopale culmen inuitus petit.
26. Post hunc [26] AMANDVS, Galliarum Apostolus,
Bauonis institutor, & Gandensium
Doctor, quieti dum studet suæ, libens
Cedit Remalo culmen, & curam gregis.
27. Subit [27] REMACLVS, sæculi at fastidio,
Stabula ferarum petit, & excolit nemus;
In Arduennæ partibus structâ domo.
28. Sede [28] THEODARDVS subleuatur: at bona
Adempta repetens, impiâ furum manu
Discerpitur, soloque confixus iacet.
Scelus! sed inter cæteros clarum iubar
29. [29] LAMBERTVS orbi fundit inuictus pugil,
Adulterantis Alpaïdis horret scelus,
Fœdos amores increpat, Dei graues
Minatur iras, nec prius silet, neci
Quàm destinatæ traditum innocens caput.
Misso dolore desine heu tandem queri.

LEGIA

LEGIA Parentis caſtitate Florida,
LEGIA cruore purpurata Præſulis.
Sed ecquis alto promicans ſplendor nouus
Perſtringit oculos? en virum ſpectabilem
Circum fluentis alueum Moſæ locum
Vrbi parantem, mœnibuſque commoda
Dimetientem ſpatia, leges incolis,
Et iura dantem: video, nec me decipit
Fallax imago; nobilis ſtirpe & fide
[30]HVBERTVS ipſe eſt Præſul & parens tuus, 30.
Beata tanto conditore LEGIA.
Ergò dolori ſit modus tandem tuo,
Et Fronte læta conſequentes accipe.
En [31]FLORIBERTVS filius, non impari 31.
Virtute, patrem ſequitur: & [32]FVLCARIO 32.
Succedit [33]AGILFRIDVS: huicque nobiles 33.
[34]GERBALDVS, ac [35]VVALCANDVS: & paucis gregem 34. 35.
[36]PIRARDVS annis dirigens: [37]HIRCARIVS, 36. 37.
Et [38]Frāco, modulās [39]STEPHANVS, ac [40]RICHARIVS 38. 39. 40.
Et [41]HVGO, [42]FARABERTVS: at [43]RATHERII 41. 42. 43.
Ter exulantis excipit ſedem prior
[44]BALDRICVS: hinc [45]ERACLIVS; quem dum vorax 44. 45.
Miro dolore lancinat lupus, tua,
Martine, vota reddiderunt ſoſpitem.
[46]NOTGERVS, vrbis lumen ac Eccleſiæ, 46.
Vrbem ampliatam mœnibus cingit nouis,
Ædeſque ſacras plurimis ſtruit locis.
[47]BALDRICVS alter proximè ſedet: dein 47.
[48]VVOLBODO, pauperum parens, miraculis 48.
Coruſcat: hinc [49]DVRANDVS è tugurio 49.
(Sed litterarum nobilis ſcientiâ)
Subuectus annis præſidet tribus: Deo
Inde [50]REGINARDVS pœnitens larga manu 50.
Laurentianam condit, & dotat domum:
Cathedram [51]NITHARDVS excipit eius nepos: 51.
Demum celebris orbe toto præſidet,
Solerte cura [52]VVAZO, commiſſo gregi, 52.
Et pace clarus, & potens armis, fide

Illuſtris, animo fortis, & æqui tenax,
Ocellus orbis, lucidum Theologicæ
Lumen paleſtræ prouidâ prudentiâ
Ioſeph vt alter, tempore afflicto leuat
Vrbes egenas, Martioque pectore
Signa crucis infert hoſtium turmis, fugat,
Fundit phalanges, omnium firmat bona
Eccleſiarum, clarus & ſolo, & polo
Æternitati poſteræ nomen ſacrat.
Prognata tantis Patribus nunc porrige
Frontem, tenebris erigens merſum caput
LEGIA, per ora currens & doctas manus.
Adhibe querelis terminum tandem tuis.
At tu hos Parentes erutos caligine
Emitte, CHAPEAVILLE, cæteroſque ex ordine
Delineatos ſubijce exculta manu.
Quam gratus alto dum vehit cœlo diem
Titan coruſco lumine vmbroſa fugans
Noctis tenebras, tam ſuauis omnibus
Erit libellus iſte, CHAPPAVILL', tuus.

IN EANDEM.
*Danielis Raymundi, ad S. Maternum, in æde Catedrali Can.*
VERSICVLVS.

QVis, vir magne, nouus pietatis te ardor adurit
  Vt tantæ exantles edere molis opus?
E tenebris profers, Scholioque ornas Eburonum
  Annales; quos laus priſca, Fideſque probant.
Sic cunctis, Patrum patriæ quos fidus amoris
  Feruor alit, fis tu dignus & ipſe parens.
Dumque alijs partos cumulare laboris honores
  Deſudas; temet palma, decuſque manent.
Perge igitur; nec te quæ inſtant grauiora fatigent.
  Maiorum ex geſtis recta ſequenda mone.
Longa Pontificum ſerie, quos LEGIA Tungris
  Translatos, CHRISTO RELLIGIOSA, colit:
Quos neque doctrina Fidei variaſſe, recenſes:
  Extirpa hæreticos; dia trophæa rape.

CHARITAS OMNIA.

## IN EANDEM.

*Gasparis à Rupe I.V. doctoris S. C. C.*

ELEGIA.

EFfodiat qui vult æris ferrique metalla
Vbere quæ tellus fert LEODINA sinu.
Aduehat externas longinqua per æquora merces
Alter, & expositas littore iactet opes.
Componat nummos alius, cistisque repostis
Incubet, argenti cæcus amore sui.
Non hæc te CHAPAVILL' nostras sat note per oras
Cura tenet. Genius non amat illa tuus.
Quos malus æternis liuor damnauerat vmbris
Historiæ auctores, LEGIA SANCTA, tuæ.
Synceros, veteres, geminæ qui gesta Tiaræ,
Et propriæ gentis fortia facta ferunt.
Eruis, atque croco, & fulgenti murice vestis,
Luceque iam luci das præeunte tua.
Sunt illa obscuro quæ puluere proruis æra.
Quas Patriæ MERCES, inuehis ipse tuæ.
Quas diues componis opes, imoque recludis
Pectoris: hæc animi sunt pia sensa tui.
Iam plus sexcentis ABBAS HARIGERVS ab annis
Descripsit nostros (LEGIA) pontifices.
Discipulo à Petri MATERNO, semina primus
Qui fidei TVNGRIS iecerat, orsus opus.
Bis denos supra septem res promouet vsque,
Concludens gestis, DIVE REMACLE tuis.
Indè THEODARDVM in VVASONIS tempora MAGNI
ANSELMVS SVMMÆ PRESBITER ÆDIS agit.
Hi pariter deni bis, supra quinque notantur.
Quos genuit virtus ardua Pontifices.
Tot pia fata senum, tantorum scripta virorum
Tandem (quæ fuerant obliterata) patent.
I lege quisquis amans EBVRO pietatis auitæ
Inuenies claros, quos imitêre patres.
Inuenies omni celebres virtute penates,
Hæc tibi sacra domi, quæ venereris erunt.

Tu

Tu verò CHAPAVIL Patriam, nomenque, decusque,
Ad reliquos pariter porrige Pontifices.
Sit labor alternus, tua munia publica Phœbus
(Quod facit) & chartas Hesperus excipiat.
Dum firmas aliena, simul stabilis tua: quanquam
Gloria scribendo iam tibi CERTA diu est.
Dij patrij caput hoc multùm seruate, vt ab illo
Laus vobis, patriæ commoda plura fluant.

EIVSDEM ANAGRAMMA
IOANNES CHAPEAVILLVS
ANNALES VOLVAS HIC PIE.

SÆpe querebatur Diuûm pia LEGIA Regi
Quod sua tam passim vana forent chronica.
Rex motus, placidè Chapauillum monstrat, & inquit:
ANNALES VOLVAS HIC PIE, amica, tuos.

# SERIES ET NOMINA
## PONTIFICVM LEODIENSIVM, QVORVM GESTA hoc tomo describuntur.

## SIGIBERTVS DE ILLVSTRIBVS ECCLESIÆ SCRIPTORIBVS.

*cap. 138.*

HArigerus abbas Lobiẽsis literali scientiâ clarus, scripsit *Gesta Pontificum Leodiensium*. Scripsit metrico stylo laudabiliter vitam S. Vrsmari. Scripsit ad Hugonem epistolam de quibusdam quæstionibus. Scripsit sub suâ & Adelboldi Episcopi persona dialogum, de dissonantiâ ecclesiæ, de aduentu Domini. Congessit etiam contra Ratbertum multa catholicorum patrum scripta de corpore & sanguine Domini.

## TRITHEMIVS ABBAS SPANHEMENSIS DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

HArigerus abbas Lobiensis cœnobij, ordinis. S. Benedicti, in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, carmine excellens & prosâ, cuius Berno abbas Augiensis meminit, in libro quodam ad Aribonem Moguntinum Archiepiscopum, scripsit dialogum insignem sub personâ sui & Adelboldi clerici & monachi tunc Romæ existentis, postea Episcopi Traiectensis prænotatum de dissonantiâ ecclesiæ; ad Hugonem de quæstionibus: Vitam S. Vrsmari metricè. *Gesta Episcoporum Leodiensium*: de diuinis officijs: de corpore & sanguine Domini & alia plura. Claruit sub Ottone Imperatore tertio, anno Domini 990.

### APPROBATIO.

HAec gesta pontificum Leodiensium omnibus veræ fidei & pietatis cultoribus magno vsui futura esse iudico.
Datum Leodij quinta Maij 1612.

*Carolus Oleanus ecclesiæ Leodiensis Canonicus Theologalis.*

# A GESTA PONTIFICVM TVNGRENSIVM, TRAIECTENSIVM, ET LEODIENSIVM.

A beato Materno primo Leodiensium Episcopo, vsque
B ad beatum Remaclum Episcopum
vigesimum septimum.

*Cum additionibus Ægidij à Leodio aureæ vallis Religiosi.*

Proœmium opusculi sequentis.

## CAPVT PRIMVM.

Omnis antiquitas, vt ait Oratorum maximus, quò propius aberat ab ortu & diuina progenie,
C hoc melius fortassè quæ vera erant cernebat: Verum Angelo Danieli narrante cognouimus, *quia pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* *Dan. 12.* In antiquis vtique vigête ratione veritatis indagatrice, & perspicacia futurorum; in modernis verò fide credulitatis quamprimum pollente, cum plurima scientia præteritorum. Illis diuturnitas vitæ vetustatis obducens callũ, cognitionem præstitit omnium rerum: Nobis è contra, quos calidus sanguis, quos rerum inscientia versat, vtinam non auolet, ob breuem vitam & curam sollicitudinum, antiquorum memorare inuenta virorum:

D *Vixere fortes ante agamemnona* *Horat. lib. 4. carm. ode 9.*
*Multi, sed omnes illachrymabiles*
*Vrgentur ignotiq; longa*
*Nocte: carent quia vate sacro.*

Hæc, vt credo, perpendens, Abbatum Reuerendissime, & quia necesse est quantò iuniores, tantò esse perspicaciores, obtulisti libellum de vita, tàm nostri, quàm vestri specialis patroni, sancti scilicet Remacli, conquæstus, propter incuriam tamen prædecessorũ vestrorum, breuius quàm vt res expostularet, pro magnitudine gestorum eius esse æditam, simulq; visus es, ne dicam precari, potiùs exhortari, vt eam non modò examplari, verũ aliquantò lepidiùs mandarem poliri, tùm quod gestorum illius aliunde sumptorum

ſuppetat copia, tùm quod temporum, quorum diuerſitas nunc maximè ſcito opus eſt, ex cartulario veſtro non deſit notitia. Sed ad hæc, dum te cum tuis omnium artium præſulem eſſe conſtaret, illudq; Pierium animo occurreret, A

*In ſyluam ne ligna feras,*

Et

*Suſpenſam interea librare ſilentia mentem*

cœperant, cum ecce memoriam offendebat, quia vires, quas imperitia denegat, charitas ſubminiſtrat, & quia incœpto tantum opus eſt, cætera res expediet.

Igitur adorſus ſum, & vt verbis cuiuſdam ſapientis vtar, ex illo, quantum res poſcit, aceruo tollam. Exhortatione tua, quæ & præſentis honeſtate propoſiti, & futuræ ætatis vtilitate coniuncta eſt, nihil antiquius exiſtimaui: Et ne auctoritatem diffugere viderer, ei muneri libentius acquieui: Præſumenti enim auctoritas datur, cum credit præſtari poſſe quod petitur; & parere ſcire, æqualis eſt gloria cum imperante. B

*Hilduinus Abbas ſcripſit paſſionem ſancti Dionyſij, Hincmarus vitam ſancti Remigij.*

*Terent. in Adelph.*

Fecerant idem iamdudum ætate venerabiles, Hilduinus Abbas in paſſione ſancti Dionyſij, Hincmarus Archiepiſcopus in vita ſancti Remigij, & alij quamplurimi in multorum compilandis geſtis Sanctorum. Quibus auctoribus obtinere poſſumus optimis, quod in omnibus cauſis & ſolet & debet valere plurimum. *Nam nunquã ita quiſquam benè ſubductâ ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, vſus ſemper aliquid apportet noui.* C

*Auctor ſcribit res geſtas Epiſcoporum, Leodienſium vſque ad ſua tempora.*

Et ne labor hic, qui te adhortante ſuſceptus eſt, inferaciter fiat, non eius modo, cuius meminimus, ſancti ſcilicet Remacli, ſed & cæterorum noſtræ ſedis Pontificum tempora & geſta, quæ vndecunq; potuere corradi, ad noſtra vſque tempora collegi, & cuius potiſſimum anhelabas deſiderio, vitam inde exceptam votis tuis porrexi. Longè quidem, meâ ſententiâ, ab Oratoris optimi excellentia me ratus differre, qui plurima paucis abſoluere, pauca plurimis protelare, vel magna extenuare, maxima è minimis efficere, lata anguſtè, anguſta latè, vulgata decenter, decentia intellectualiter, noua vſitatè, vſitata nouè, & id genus plurima valeat delibare. Cui & à Poëta præcipitur, D

*Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge.*

*Non ſcribit friuola aut dubia.*

Nec, vt Scholares poſito themate, *quibus verbis vti potuit qui iniuriam paſſus eſt, vel ille qui intulit,* aliquid finximus friuolum, imò nec creperum. Quod & ſi eloquentiſſimum quendam dicentem: *quod ſi hac* (inquit) *vterq; non dixit, tamen in voto habuit, & in actu oſtendit,* ſectari cõtenderem, nullius vtique iudicium extimeſcerem. Verum hæc alias.

Miſi, inquam, charitati tuæ munus, quod minus quidem efficientiæ ſecuritate, maximè autem ſuſceptũ eſt amicitiæ præſumptione. magnas etenim in difficillimi operis curſu vires amicitiæ contem-

platio

A platio supplet, & placere cupientibus multa sæpè rerum copia suppeditat. Vnde licet verear, nedum imperato muneri par esse nequeam, deficientis culpa in adhortantis cedat iniuriam; tamen cum tuam specto beneuolentiam, fit omne pronum & facile, &, vt ita dicam, voluptuarium, quod in tuæ iucunditatis impenditur præscriptum.

Hoc autem munere impenso, sollicitum te reddere cupio, quod si quid operum tuorum quandoq; expostulauero, iniurius mihi fueris, si negabis,

*Quisquis magna dedit, voluit sibi magna rependi.*

Sed non arroganter magna, quippè tuis meritis, & nostris votis B imparia. Quapropter oblatrantis timeo morsus inuidiæ, quia in re difficili facile solet liuor præiudicium importare.

*Deniq, non omnes eadem mirantur amantq;:*

Ergò

*Non istic obliquo oculo mea famina quisquam*
*Limet, non odio obscuro, mórsuq, venenet.*

Sed & tu, Pater beatissime, mei laboris, túæq; adhortationis assertor, caueas securum me peractum reddat officium, cùm tibi pudor amici dignius possit conuenire, si displicet.

ANNOTATIONES.

C 1. Gesta Pontificum. ] *Codex aureæ vallis hunc titulum hoc pacto exprimit:* Incipiunt gesta Pontificum Tungrensium, Traiectensium, & Leodiensium ad sanctum Annonem primo descripta, sed postea hic aliqua addita sunt. *Alnensis, hoc modo:* Gesta Pontificum Tungrensium, Traiectensium siue Leodicensium. *Codex Cruciferorum sic:* Gesta Pontificum, Tungrensium Traiectensium, & Leodiensium.

*Codex Aureæ vallis ideo dicit*, ad sanctum Annonem primo descripta, *quia Anselmus opusculum Harigeri, à se per capita distinctum, & alterum, quod ipse de gestis quoq, Pontificum à sancto Theodardo vsque ad VVazonem composuit, dedicauit Annoni Archiepiscopo Coloniensi, vt patet ex epistola dedicatoria Anselmi huic tomo præmissa. Subijcit:* sed postea hic aliqua addita sunt: *quia AEgidius aureævallis volens gesta PontificumLeodiensium post Harigerum & Anselmũ continuare,* D *reperiensq, multa ab eis omissa esse, illa priori & secundo opusculo, loco competenti addere, & notare curauit, prout in præfatione ad Lectorem latius diximus.*

2. Proëmium opusculi sequentis. ] *Scripsit Harigerus libellum suum continuo orationis filo: Anselmus illum per capita distinxit, & epistolam Harigeri ad VVerinfridum Abbatem Stabulensem, nomine Notgeri Episcopi scriptam, fecit capitulum primum, cui titulum hunc præposuit:* Proëmium opusculi sequentis, *quem huic capitulo omnes veteres M. S. Codices conformiter præponunt, nec nos immutare voluimus.*

3. Sed illachrymabiles omnes. ] *Codex Aureæ vallis non habet (omnes) restituimus illud ex antiquo Codice Stabulensi & ipso Horatio.*

4. Abbatum Reuerendissime.] *VVerinfridum intelligit Abbatem Stabulẽsem 32. cui Harigerus opusculum suum primo dedicauit.* A

5. Propter incuriam tamen Prædecessorum vestrorum.] *Codices M.S. monasterij Aureæ vallis, Alnensis, Cruciferorũ, & Ecclesiæ S. Martini Leodiensis legunt:* Propter incuriam tam Prædecessorum vestrorum. *Vnde nobis suspicio fuit aliquid deesse, putà,* quàm nostrorum, *aut quid simile: nos nihil immutauimus.*

6. Vt non modo examplari.] *Ita legunt omnes veteres Codices supra nominati. Surius legit* exemplari *Vtraq; lectio bonum sensum admittit; nos nihil immutauimus, nec vsquam alibi in Codice Aureæ vallis, quem in primis sequendum nobis proposuimus, immutare statuimus, nisi mutationis rationes tam euidentes sint, vt nemo sit, qui si textum hunc impressum cum M. S. Codice conferre velit illas statim non videat & probet. Quare huiusmodi mutationum rationes non annotabimus, ne nimis diligentes videri velle videamur, & forsan Lectoribus tædium pariamus.* B

7. Quibus auctoribus obtinere possumus optimis.] *Codex Aureæ vallis, Cruciferorum & Monasterij Alnensis, Stabulensis & Capucinorum, legunt* obtineri. *Codex Alnensis pro,* auctoribus, *legit* auctoritatibus. *Codex Cruciferorum pro,* optimis, legit oportunis; *Nos loco,* obtineri, *restituimus,* obtinere. *In alijs nihil immutauimus.*

C

## *Quod Deus omnia in numero, & pondere, & mensura constituit, & de mysterio Crucis.*

### CAPVT II.

*Sicut Deus omnia ex nihilo condidit, ita omnia in numero, pondere, & mensura disponit. Sapient. 11.*

DEus summè bonus, cuius diuina ex æterno natura regnat, & in æternum sine aliqua mutabilitate perdurat, omnia prouidè prudenterq; disponens *vniuersa in numero. & mensura, & pondere constituens,* ipsum quoq; vniuersitatis Mundum sponte, sibiq; tantum conscia voluntate, cum non subsisteret, pulchrum pulcherrimus creauit, vt esset; non eum suâ proferens substantiâ, ne coëternus ei crederetur, (quippe ex propria substantia solũ & sibi nota ratione coëternũ, per quod omnia formarẽtur, ex corde eructauerat verbũ) Neq; vt idem crearetur mundus, molitus est aliunde, ne iam vel in materia, vel in coöperatione altrinsecus esset, quod eius omnipotentissimam voluntatem, extra petitis adminiculis, nec satis ad id peragendum sufficientibus adiuuaret, ac subinde tale quiddam esset, quod neque ab ipso factum esset, & tamen esset; Non, inquam, sed verbo cœlos, conuiuificante spiritu volubiles produxit, & vt pellem omnibus superextendit, terram verò, circumlibrantibus vndique elementis in medio omnium collocauit, ita vt cœlesti habitatione cœlo dignas naturas efficeret, de terra verò, terrena componeret D

A neret. Quippè omnipotentiſſimus, ſolus ſummè bonus, ſolus naturaliter vnus. & quod huiuſmodi ſit ſolus, vt nihil aliud ſit niſi bonus, qui omnia de nihilo, & ex non ſubſiſtētibus, nempe ſolus ſubſiſtens, creauit valde bona. Quæ quoniam non ſunt ſimplicia (non enim per ſe prodierunt, nec eſſe prorſus poterant, niſi ea is qui ſolus naturaliter bonus eſt, eſſe voluiſſet) ideo quia bonum eorum à ſummo bono prodijt, eorum quoque eſſe, neceſſe eſt bonum ſit.

Omnia inquam, in numero, & menſura, & pondere, ſuis quoque temporibus proditura conſtituit, ipſumque vniuerſitatis mundum, prædefinita diſpoſitione, quadripartitis elementis conſtantem, *Quid quatuor elementa & quatuor plagæ mundi ſignificent.*
B quatuor quoque plagarum climate quadrauit, diſpoſitiſſima diſpenſatione, vt credi datur, iam præſignans, quod hominem, quem creaturus erat, & propter quem cuncta viſibilia fabricabat, ipſumque quod idem pro noſtra aſſumpturus erat ſalute humanum corpus, quadrifaria eſſet ſoliditate perfecturus, inſigneque inde viuificæ Crucis, vt eſſet obſtaculum aduerſus omnium inſidias inimicorum, quadrilatera porrectione facturus. Quod in charitatis omnium virtutum perfectiſſimę plenitudine videtur Apoſtolus commendare: *In charitate* (inquit) *radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo, longitudo, & profundum.* In latitudine, ſcilicet opera bona *Eph. 3.* *Quid ſignificet latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum Crucis Chriſti.*
C Charitatis; in longitudine, perſeuerantia perfectionis; in altitudine, præmia Regni cœleſtis; in profundo, inſcrutabilia ſignans iudicia Omnipotentis, huicque intellectui coaptans myſterium ſalutiferæ Crucis. Quod ideò auctor redemptionis noſtræ voluit ſponte ſubire, *Luc 5. Math. 13.* vt paſſis palmis in Cruce, reliquoque diſtentus corpore, ipſa membrorum poſitione, omnia ad ſe credatur traxiſſe. In latitudine, quò per tranſuerſum extenduntur manus, propter operum bonorum ſecundum charitatem exhibitionem. In longitudine quoque propter totius corporis crucifixionem, voluntatem in exhibitione charitatis longanimem, borealem ſuæ agnitioni plagam, miſſis cultoribus addixit pariter & auſtralem. In altitudine, quò caput voluit emi-
D nere, propter ſuperiorum promiſſorum expectationem, orientalem multis accenſis prædicantium luminaribus irradiari voluit partem. In profundo autem, quò ſub pedibus pars Crucis in abſcundito terræ defixa latuit, propter occultam hominum ex Dei voluntate vocationem, plagam ſuæ voluntati mancipare dignatus eſt occidentalem.

Nec fruſtra illuc miſericordiſſimum ſpecialius deflexit intuitum: *non enim qui ſani ſunt egent medico, venitq; vocare peccatores ad pœnitentiam non iuſtos*; orientalibus etenim nomen Domini timentibus ſol iuſtitiæ quodam modo videbatur exortus, cum occidentales tenebris ignorantiæ ſemper obtecti, delegiſſent eatenus Creaturæ potius quam Creatori deſeruiſſe. *Luc. 5.*

ANNOTATIONES. A

1. Vniuersa in numero, mensura, & pondere constituens.] *Vulgata editio legit*: Omnia in mensura, & numero, & pondere disponens.

2. Ipsum quoq; vniuersitatis mũdum.] *Decidit hic Auctor breuiter multas de creatione mundi quaestiones, de quibus conformiter agit & disputat D. Thomas 1. 2. quaest. 44. vsq. ad quaest. 47.*

3. Quae sit latitudo, longitudo, & profundum.] *De his vide Chrysost. in hom. de Cruce & latrone, qua incipit, Hodierna die, nõ longe à principio, & D. Aug. in epist. 120. cap. 26. & tract. 119. in Ioan.*

---

## *Quod Dominus occidentales partes Apostolorum Principibus, Petro, & Paulo dignatus est illustrare.* B

## CAPVT III.

NOn, inquam, frustra occiduis partibus pendens in Cruce specialius benignissimum obtutum dignatus est intendere, quas voluit tantis Doctoribus, Petro videlicet cum Paulo, Apostolorum Principibus, vt geminis lampadibus illustrare: Qui post plura virtutum & documentorum insignia, diuersis linguis & sermonibus mirabiliter praebita; Paulus quidem, qui plus omnibus laborauit, vsque Illiricum Christi praedicans Euangelium, tandem biennio ante victoriosissimae mortis triumphum Romanae arci contra Neronem & Symonem Magum Petro se intulit socium. Petrus autem & ipse, quibusdam Ecclesijs, deinde Antiochenâ benè fundatâ Ecclesiâ, pluribus iam ante annis, eandem Vrbem, totius orbis primatum sibi defendentem, suo salutifero illustrauerat aduentu. Quorum quis fuerit exitus, satis ostendit textus eorũ gloriosissimae passionis. Hoc tantum suffecerit nescientibus memorasse, per biennium ante consummationem, eos in commune cum Symone Mago conflictasse, postq; detectionem & deiectionem Magi, ab Agrippa & Nerone, alterum Crucis confixione, alterum capitis detruncatione, neci simul addictos fuisse. Sed vt ad quod animum induximus, articulum inflectamus, paululum praetermissa ad memoriam reuocemus. C D

*Petrus & Paulus geminae lãpades occidentis.*

*Petrus fundatâ Ecclesia Antiochena venit Romam.*

*Petrus & Paulus pariter Symonem Magũ expugnant. Simul pro Christo, sed diuerso supplicij genere moriuntur.*

ANNOTATIONES.

1. Romanae arci contra Neronem & Symonem Magum.] *Negat tamen Caluinus in acta c. 8. Magum istum vnquam Romae fuisse, contra omnem antiquitatem, Augustinum lib. de haeresibus, Tertullianum in apol. Eusebium, & alios, qui & meminerunt statuae Romae ipsi erectae.*

2. Deinde Antiochenâ bene fundatâ Ecclesia.] *Adstipulatur Eusebius in Chronico; sic enim ait*: Petrus natione Galilaeus, Christianorum Pontifex primus, cùm primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam

A mam proficiſcitur, ibi Euangeliũ prædicans viginti quinque annis, eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat. Sedere verò cœpit Petrus Antiochiæ vltimo Tiberij Imperatoris Anno, à Chriſto nato 38.

3. Eos, *ſcilicet Petrum & Paulum*, in commune cum Symone Mago conflictaſſe. ] *Sigebertus de viris illuſtribus c. 1. ſcribit, Marcellum Marci Præfecti Vrbis Romæ filium, ex diſcipulo Symonis Magi B. Petri Apoſtoli diſcipulum, conflictum Apoſtolorum Petri & Pauli cum Symone Mago, cui aſſiduus interfuit, rogatu Chriſtianorum, qui non interfuerant, fideliter conſcripſiſſe, & Eccleſijs Dei prope vel procul poſitis, legendum conceſſiſſe.*

B

## *Quod Petrus Romam venerit.*

### CAPVT IIII.

*Petrus Romã venit.* *In Antiochena Eccleſia B. Petro ſuccedit Euodius.* *Petrus 25. annis Romæ annunciat Euangelium, id eſt, vſq; ad annum Neronis 14. & à paſſione 36.* *It obuiam Iudæorum, Philoſophorum, & Symonis Magi erroribus.* *Petrus ad omnes Galliæ & Italiæ fines mittit Cultores vineæ Chriſti.* *Mittit Marcũ ad Aquileiã 2. ingreſſiõis ſuæ in Vrbem.* *Mittit B. Clementem in Galliam Mediomatricum Vrbem.* *Mittit S. Dionyſiũ Lutetiã.*

ANnus erat Claudij Cæſaris ſecundus, qui erat à paſſione Dominica tertius decimus, cum Petrus ante Antiochiam, pro ſe ordinato Euodio, venit Romam, vbi per viginti quinque annos Chriſtum annuncians, id eſt, vſq; ad annum Neronis quartum decimum, & à Domini paſſione triceſimum ſextum, animaduertit ſuam per ſe prædicationem, ad præoccupandam omnem occidentalem plagam, ſuo ſpecialiter Apoſtolatui deſtinatam, non poſſe ſufficere. In magna enim Vrbe, & totius orbis Principe, quia maxi- C mus vndiq; circumfluentium gentium erat incurſus, maximus totius idolatriæ vigebat cultus, & quia tam Symonis Magi, quam & multorum Philoſophorum, & maximè Iudæorum legem Moyſi defendẽtium, obuiandum ſibi ſciebat erroribus, delectis bonis vineæ Chriſti cultoribus, miſit qui officium tantæ legationis explerent in omnibus & Italiæ, & Galliæ finibus. Ex quibus Marcum, ſecundo ingreſſionis ſuæ Romam anno, cum Euangelio à ſe quidem dictato, ab eo vero conſcripto, ad Aquileiam, & alias quamplures Italiæ Vrbes, nouiſſimè verò ad Alexandriam & Ægyptum direxit. Alijs Galliarum partibus Prædicatores idoneos, & teſtes Chriſti veridicos miſit, quos hic, quia alias feſtinare contendit, ſingillatim nomi- D nare intentio non admittit. Ad Galliam itaq; quæ comata dicitur, Mediomatricum Vrbi, beatum Clementem direxerat Epiſcopum, non eum autem, qui quartus ab ipſo Romanæ Sedis adminiſtrauit Pontificatum, quiq; poſtea cum alijs multis veritatis aſſertoribus ad Galliam braccatam Pariſiorum Lutetiæ Vrbi S. miſit Dionyſium.

### ANNOTATIONES.

1. Annus erat Claudij Cæſaris ſecundus. ] *Petrum Romam veniſſe anno ſecũdo Claudij Imperatoris, conſtat tum Euſebij, tum cæterorum Hiſtoricorum auctoritate.*

2. Pro ſe ordinato Euodio. ] *Euodium à Petro Antiochiæ conſtitutum Epiſcopum, docet D. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ignatio, & ipſe Ignatius*

*tius in epist. 12. ad Antiochenos idem affirmat:* Mementote *(inquit)* Euodij beatissimi Patris vestri, qui primus post Apostolos gubernacula Ecclesiæ vestræ sortitus est. A

3. Vbi per viginti quinq; annos.] *Consentit D. Hyeron. de viris illust. in Petro:* Symon Petrus *(inquit)* ad expugnandum Symonem Magum Romam pergit, ibiq; viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit vsq; ad vltimum, id est, decimum quartum Neronis annum, à quo & affixus Cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso.

4. Delectis bonis vineæ cultoribus.] Quinam fuerint, qui diuersis temporibus ad diuersas instituendas Ecclesias, per Occidentem à Petro sunt missi discipuli & ordinati Episcopi, licet Scriptorum B inopiâ obscurum penè remanserit, *(inquit Baronius tom. 1.)* aliquot tamen, quos recensitos inuenimus, hic enumerasse voluimus. Habuit à Petro institutos Episcopos Sicilia Pancratium, Martianum, Berillum, & Philippum; Capua Priscum; Neapolis Aspren, aliter Asprenatem; Tarracina Epaphroditum; Equicolæ populi Marcum, alium tamen ab Euangelista; Ptolomæum Nepe; Romulum Fesulæ; Paulinum Luca; Rauenna Apollinarem; Verona Euprepium; Patauiũ Prosdocimum; Tycinum Syrum; Aquileia post Marcum, Hermagoram; In Gallijs Lemouicenses, Tholosani & Burdegalenses Martialem; Tungrenses, Colonienses, & Treuirenses Maternum, necnon Valerium; Rhemenses Sixtum, Arelatenses Trophimum, Senonenses Sabinianum; Cenomacenses Iulianum, Vienna & Maguntia Crescentem; Cathalaunum Memmium; Bituricenses Vrsinum; Aruernenses Austremonium; Sanctonenses Eutropium; Germania Eucharium, Egistum, & Martianum; Hispaniæ Torquarũ, Cresiphontem, Secundum, Indaletium, Cecilium, Hesychium, Euphratium, & alios in Britãnia etiam Petri operâ Euangelium penetrasse tradunt. Haud mirum: eâ enim Insulâ anno superiori à Claudio subiugatâ, ad prædicationem Euangelij patuit aditus. Multa his scimus addenda fuisse de compluribus alijs, qui à Petro missi dicuntur discipuli, sed tẽperantius agimus, consultius existimantes ex multis pauca referre, quã multa incerta, ac nobis non satis explorata coaceruare. *Hactenus Baronius: In quo tamen nota, Eucharium non fuisse separatim missum in Germaniam, sed simul missos Valerium & Maternum, & ex Germania penetrasse vsq; ad Treuirenses, Colonienses, & Tungrenses; sic enim Historicorum nostratium antiquissimi fidelissimiq;, Harigerus & Aegidius Aureæ vallis, & consequenter omnes alij tradunt, vt infra clarè videbis, quæ prolixius fortè idcircò annotauimus, vt statum Ecclesiæ illius temporis Lector vtcumq; perspicere possit.* C D

Quod

A

## *Quod Eucharium, Valerium, atq; Maternum Treuirim miserit.*

## CAPVT V.

SVb ipso enim tempore beatus Petrus ad Metropolim, Treuirorũ scilicet Ciuitatem, ternos destinauerat vnicæ Trinitatis astipulatores, in vnitate Fidei, corde, & animo, pariter & virtute concordes, Eucharium videlicet, Valerium atq; Maternum: Et Euchariũ quidem Pontificatus, Valerium verò Diaconatus, Maternum autem *Eucharius primus Treuirensis Episcopus. Valerius eius Diaconus. Maternus Subdiaconus.*
B Subdiaconatus donauit honore, & Apostolica eis data benedictione: Videtis (inquit) fratres, quanta est messis Dominicæ sationis, quamq; multis indigeat operarijs. Quia igitur omnibus Catholici dogmatis sanctionibus à me sufficienter edocti, & Christiana Religione estis roborati, euntes in Christi nomine, partes occiduas aggredimini, vt boni milites præliamini bella Dei nostri, murum validissimũ infidelitatis, quo totus Galliæ vallatur populus ac Germaniæ, diuini verbi spiculo perfodite, ariete Fidei propugnate. Potestas quoq; nobis à Christo collata in ligandi ac soluendi auctoritate, vobis semper adsit, comitante & nostra oratione, cum nostri Apostolatus sorte. Tali itaq; dotatam benedictione societatem hanc frater-
C nitatis absoluit abire. Qui vrbe Romà egressi, peregrinatione suscepta fœlici, circum circa incunctanter nomen prædicabant Domini Iesu Christi, cum vix paucorum euaserant iter dierum, & tanti sodalitij perpessi sunt dispendium.

ANNOTATIONES.

Sub ipso enim tempore.] *Marianus Scotus lib. 2. chronic. dicit Eucharium, Valerium, & Maternum missos à Petro anno dominica incarnationis 54. Claudij anno 12. Episcopatus Petri Roma octauo.*

*De his tribus mentionem faciunt Beda, Vsuardus, Ado in suis martyrologijs, Gregorius Turonensis in vitis SS. Patrum, in Nicetio Treuirensi Episcopo cap. 17. prope finem, Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. 2. & alij.*
D

## *Qualiter beatus Maternus defunctus per baculum eius resuscitatus sit.*

## CAPVT VI.

NAm cùm in Elegiam Castellum deuenissent, ibiq; prædicandi gratià morarentur, S. Maternus à febre valida interceptus humanis subitò rebus est exemptus. Reliqui dolore insperato perculsi, sed de Dei pietate non dubij, beato sepulto corpore, protinus ad Apostolum Petrum regressi sunt, infortunium quod ac- *B. Maternus febre moritur.*

ciderat, nunciantes. Quos benignè consolans: Reuertimini (inquit) & vobiscum tollentes nostri petalium Pontificij, super defuncti corpus ponite, auctoritate diuina contestantes vt concitè surgat, iterq; cœptum peragens, opus Euangelistæ faciat, ministerium iniunctum expleat: En, inquam, baculus Pontificalis signorum patrator efficacissimus, totius virtutis solamen, & alleuiatio laboris, sicut fuit mecum semper in omnibus, ita votis vestris semper adsit propitius. Hac iterum Apostolica consolatione firmati, quadragesimo defunctionis beati viri die, ad corpus cũ fide regressi sunt, quo terrâ ægesto, vt veritatis promissa firmarentur: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet*: Et vt eorum mentes ad signa patranda corroborarentur, cuius vmbra sanauerat omne genus morborum, eius baculus beatum reuocauit à morte Maternum. Sed quod putamus super recepto sodali animis eorum accumulatum est gaudium? Quanta super profunditate iudiciorum Dei! super potentia Diuinitatis eius inenarrabili! quæq; apud Superos viderat, etsi omnia linguâ promere non licebat, conferendo, & itineris conuiantium laborem leuiabat, & ad Christi magnalia prædicanda mentes Collegarum amplius animabat! Incolæ verò loci laudes Deo reddebant, & multi Paganorũ baptismi gratiam consecuti, vnitati fidei se coniunxerũt, & mortis illius occasio, multorum fuit ad vitam resurrectio. In quo loco postea Christiani Ecclesiam construxerunt, eiq; ex eo quod acciderat, nomen resurrectionis imposuerunt. Illi verò postquam multos ad fidem imbuerunt, valedicentes fratribus, per Gallias, & quocumq; transibant, verbi diuini semen spargentes, ad antiquissimam Treuirorum, trium Ciuitatum metropolim, Vrbem tandem peruenerunt. Quarum mediam matremq;, Mediomatricum scilicet Ciuitatem, Romani, ob memoriam Metij Suffetij Albanorum Regis, Metim vocauerant, sicut & ob memoriam Tulli Tertij Romanorum Regis, Leucum Aulercorum populosam Ciuitatem Tullum nominauerant. Metensem, inquam, Vrbem quidam diuini iubaris iam irradiauerat spiculus, beatus videlicet Clemens, ab Apostolo Petro eidem Vrbi iam ante præmissus. Quò cùm venisset, & sub theatrales arenas, quia aliud non habuerat, hospitium accepisset, Ecclesiam sub beati Petri nomine paruulam dedicauit, in qua multos scœnicis maximè ludis, & lupanaribus deditos, ad Christum conuertit.

A B C D

*Baculus Pontificalis Petri Apostoli, patrator signorum efficacissimus.*

*Ioan. 12.*

*Maternum 40 diebus mortuũ & sepultũ excitat à mortuis.*

*Viso miraculo multi Paganorum baptizantur.*

*Ecclesiam construunt, & nomen ei resurrectiõis imponũt.*

*Metis vnde dicta.*

*Clemens à beato Petro Metim missus.*

*Ecclesiolã sub B. Petri nomine dedicat.*

### ANNOTATIONES.

1. Nam cum in Elegiam castellum.] *Vicum scilicet grandem Galliæ, Argentinensis Diœcesis, qui locus est in Elizatio pago. Reperies hanc annotationem ascriptam hoc loco margini Codicis Aureæ vallis, procul dubio ab ipso Aegidio Codicis auctore, vt & alias plures, quæ à me suis locis, ne quid vel exiguum illius Codicis pereat, annotabuntur.*

2. Maternus à febre valida interceptus humanis subitò rebus est exemp-

A exemptus.] *Otto Episcopus Frisingensis in suo chron. lib. 3. cap 15.* Dum (*inquit*) Valerius, & Eucharius, & Maternus à Petro Treuirim destinati alpes transissent, Maternus in via moritur, quo facto perculsi socij, Romam reuertuntur. Beatus itaque Petrus Apostolus Pastoralem virgam, vt traditur, per eos, ad eum suscitandum misit: qui venientes ad locum sepulchri, triginta tres dies inuenerunt eum in monumento iacentem; attamen viri Dei, fide & bonis operibus pleni, sub obedientia Magistri, admotâ virgâ, sociũ à morte suscitauerunt. *Hæc conformiter ad Harigerum, & Aegidium Aurea vallis necnon ad omnia nostratia latina & gallica chronica, exceptò, quod omnia constanter affirment Maternũ non 33. sed 40. à morte die suscitatum fuisse, vt postea plenius narrabitur.*

B

*Quod illi tres viri Ciuitatem Treuirorum ingressi, per Ciuitates & Castella euangelizauerunt, & de insigni fonte Tungris.*

## CAPVT VII.

TRes igitur viri iam dicti Treuirorum Ciuitatem ingressi, vt vbique Trinitas, quæ ab eis prædicabatur, sub vnius veri Dei cul- C tu innotesceret, sub vnius ipsorum trium Pontificatu, alias duas ciuitates adiêre, Agrippinam cognomento Coloniam & Tungrensem, cuius Plinius secundus, qui temporibus Traiani Augusti, quadringentis ante eius subuersionem annis claruit, in libro de natura aquarum mentionem facit, in hæc verba: *Tungris ciuitas Galliæ, fontem habet insignem, pluribus bullis stillantem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. Purgat hæc corpora, tertianas febres discutit, calculorũ vitio adest, aqua igni admota turbida fit, ac postremò rubescit.* Hęc est Octauia, ob honorem Octauiani Augusti, vel matris eius sororis Iulij Cęsaris, qui primus Gallias Romano subegit imperio, & fertur Germania fuisse nominata. In quibus ciuitatibus, iã dicti tres viri semina verbi serentes, multos ad Dei viui cultum conuertebant. Flectebatur leui iugo D Christi ferocitas Gallorum, curuabatur imperio fidei ceruicositas Germanorum, & Gallicanus, teste Ieronimo, coturnus, *qui monstra non habuit, sed viris fortibus semper & eloquentissimis abundauit*, piscatorum discipulis, magisterioq; fauorabiliter corda submittit. Lætabatur à Patre hæreditas Christi, quia lugebat imminuta quotidie portio Diaboli.

*Trinitas diuinarum personarum sub vnius veri Dei cultu prædicatur.*

*D. Hier. aduer sus Vigil.*

*Gallia laus Hier. contra Vigilam.*

A

## *Qualiter S. Eucharius populum resistentem orationibus ligauerit & absoluerit.*

### CAPVT VIII.

*Idolorum Pontifices armant populum cōtra Eucharium. Conuertit se ad orationis arma Miraculo protegitur Eucharius. Lapidare volentes Eucharium obrigescunt.*

VEnerabili igitur Euchario populis indesinenter verbum salutis intonante, Pontifices idolorum contra viros Dei irâ vehementer accensi, populi partem aduersus eos incitauerunt, & expellentes eos à ciuitate, ad lapides currebant. At vir S. Eucharius ad orationis arma, se cum suis conuertit, obsecrans Dei clementiam vt & ipsis contra incredulos præberet auxilium, & insanis infideliũ turbis ad cognoscendam fidei veritatem, aperiret sensum capabilem. Ad hæc, illa omnis sæuientium turba ita celitus obligata est, vt alij ex eis incassum iactui innitentes, brachijs extensis inflexibiles starent; alij pro colligendis lapidibus deorsum inclinati, terræ pronis ceruicibus inhærerent. Dumque hoc per vnius horæ spatium ageretur, vt cuncti per varios modos nexibus superni numinis astricti tenerentur, cœperunt omnes iam nimio fatigati dolore, absolutionem suorum membrorum humiliter petere, seq; si absoluerentur, credituros promittere. Tunc S. Eucharius omnem illam rebellantium multitudinem à vinculo doloris precibus absoluit, & ad priorem statum, reddita sanitate restaurauit. Quo viso miraculo, omnes pariter ad pedes Sanctorum prouoluũtur, rogantes, vt eis viam salutis ostenderent, & quid eis pro sua recuperatione agendum, quidue vitandum esset, insinuarent. B C

*Populus ad pedes Eucharij prouoluitur.*

## *Quod filium Albanæ viduæ resuscitauerit.*

### CAPVT IX.

*Prædicatio Eucharij cōfirmatur miraculo. Vnicus Albanæ mulieris nobilis filius, Eucharij oratione ad vitam reuocatur.*

AD hæc sancto prædicante Euchario, compuncti sunt corde, adfuitq; huic salutiferæ admonitioni diuinæ virtutis confirmatio, quam subsecuta est mox stupendi miraculi attestatio. Aderat namq; spectaculo huic quędam vidua nomine Albana, genere præclara, rebus opulentissima, quæ à famulis illuc cum festinatione currentibus triste nimis accepit nuncium, vnicum videlicet filium, quem domi reliquerat, subita morte defunctum. Quod audiens illa, protinus B. viri pedibus prouoluta, pro filij resuscitatione cum lachrymis precabatur, quem si recipere saluum mereretur, cum sua familia Christo deinceps se credituram pollicebatur. Cuius fletibus Sanctus Dei motus, ibat cum illa, & pro tanti miraculi nouitate, cum eo turba copiosa, & introiens domum cum duobus comitibus solis, reliquum populum expectantem pro foribus reliquit D

A reliquit, & prius quidem genua flectens, in orationem se dedit; ab oratione surgens ad corpus accessit, tenensq; manum eius cum fiducia, dixit: Dico tibi iuuenis, vt in nomine Iesu Christi, qui vnicum viduæ filium sua virtute resuscitauit, tu quoque ad præsentem lucem redeas, & deinceps relicto Dæmonũ errore, Creatorem tuũ recta fide recognoscas. Qui protinus spiritu recepto surrexit, & Deo gratias agere cœpit, statimq; vir sanctus à domo egrediens, vniuerso spectante populo, viuum & incolumem matri puerum reconsignauit. Tunc omnes qui aderant, magnis vocibus clamare cœperunt: verè magnus & potentissimus Deus Christianorum, qui talia signa per seruos suos operatur. Eadem die baptizata est Albana cum B filio, ac tota familia, & de populo turba non modica, cuius domus postea à sancto Euchario in Ecclesiam est consecrata.

*Deus Christianorum magnus & potentissimus agnoscitur. Albana vidua cum tota familia baptizatur. Domus Albanæ in Ecclesiam consecratur.*

ANNOTATIONES.

Ad hæc predicante Euchario.] *Ita Codices Aureæ vallis & cruciferorum. Codex Alnensis omittit* Ad hec, *Nos nihil immutauimus.*

---

## *Quod reuelatum sit cuidam Senatori omnes oportere baptizari.*

## CAPVT X.

C Post hæc, vir quidam nobilis eiusdem vrbis Senator, vidit somnium ad salutem ciuium profuturum, virum scilicet quendam coram se stantem, vultu elegantem, vestibus splendidis coruscantem, crucem manu ferentem, ac sibi dicentem. Isti viri peregrini serui sunt Dei excelsi, & propter vestram salutem huc destinati, & ideò si mortem euadere, & ad vitam perpetuam vultis pertingere, verbis eorum & præceptis incunctanter obedite. His dictis, ab eius oculis disparuit. Mane facto, conuocatis ciuibus, cum ex ordine rem retulisset, inspirante Dei gratia, tantus feruor omnes accendit, vt virorum Dei auxilia peterent, & baptismum sitienter appeterent, tantaque per tres dies fuit ad illos populi concursio, vt D in flumine, quod per mediam currit ciuitatem, præ nimia oppressione baptizaretur. Vnde & accidisse creditur, vt ex eo tempore riuus ipse, ob infusionem sacri olei, oliua deriuatiuè nuncuparetur. Interim ciuitas ab idolorum pollutione mundatur, & error superstitiosus abijcitur, destruuntur Dæmonum aræ, Christi per loca fabricantur Ecclesiæ: Personat latè per Vrbem tuba salutaris, omnesq; inuitat ad gratiam credulitatis, armisque fidei contra spirituales nequitias muniuntur, hymnus nouus in Vrbe publicè canitur, & quæ antea Creatorem suum fugiendo fuerat adultera, nunc per fidem conuersa, facta est CHRISTI sacratissima sponsa.

*Somnium diuinitus immissũ. Senator ciuibus visionem refert. Magnus populi concursus ad baptismum. Fluuius oliua nuncupatus. Destruuntur Dæmonum aræ, & fabricantur Christi Ecclesiæ.*

Per vniuersam circumquaq; regionem verbum vitæ prædicabant, & tàm sermone, quam virtutibus longè lateq; pollebant: nam cæcos illuminabant, debiles restaurabant, mortuos suscitabant, Dæmones fugabant, languores omnes curabant. A

## De obitu Beati Eucharij.

## CAPVT XI.

*B. Eucharius per 23. annos rexit Episcopatum Treuiren. B. Eucharius ab Angelo discit decessum sibi imminere.*

BEatus igitur Eucharius, cùm per viginti & tres annos in Vrbe Treuirensi Pôtificali functus officio, res Ecclesiasticas strennuè administrasset, prouectę iam factus ætatis, nocte quadam, apparente sibi Angelo, decessum suum didicit imminere, & ad requiem sibi promissam properare. Qua de re, conuocatis ad se discipulis, dixit eis: Scio me, charissimi, de hoc sæculo citius migraturum, & idcircò vos exhortor, vt fidem firmam, spem inconcussam, charitatem veram inter vos habeatis, & nequaquam deinceps Diabolicis erroribus consentiatis. Quod de me terreum est, terræ commendate, spiritum vestris orationibus iuuate. Ad B. verò Valerium dixit: Commendo tibi, charissime, Christi Ecclesiam, vt illam caste custodias, vt nullis errorum deceptionibus, in diebus tuis pollui sinas. Mensuram pabuli spiritualis conseruis tuis in tempore largiter eroga, commissa tibi talenta fideliter in eis multiplica, vt cum retributionis tempus aduenerit, ad gaudium Domini tui fœliciter introducaris. Hæc dicēte Euchario, subitò lux clara velut fulgur, per vnius horæ spatium, totam, in qua erat cellulam circumfulsit. At ipse valedicens fratribus, demississq; reuerenter oculis, reliquit hoc triste sæculum, & cum ipsa luce, quinto idus Decembris, lætus migrauit ad Christum. Tunc discipuli pro eius exitu sacras exequias celebrârunt, & corpus eius in Ecclesia extra Vrbem sita, cum hymnis & pijs lachrymis sepeliêrunt. B C

*Petit sepeliri & orationibus adiuuari. Commendat B. Valerio Christi Ecclesiam.*

*Lux magna subitò exorta cellulam B. Eucharij illustrat Moritur 5. Idus Decem. Celebrantur exequiæ cum hymnis & pijs lachrymis.*

ANNOTATIONES.

Migrauit ad Christum.] *Codex Aureæ vallis in marginali annotatione*, anno (*inquit*) Domini septuagesimo quinto. D

## De vita & obitu Beati Valerij, successoris eius.

## CAPVT XII.

*B. Euchario succedit B. Valerius in Episcopatum Treu. Quindecim annis vixit in Episcopatu. Multos populos conuertit.*

POst cuius obitum beatus Valerius in ministerium Sacerdotale successit, quod per annos quindecim, sanctè viuendo, & verbū vitæ prædicando, probatissimè rexit: In quo temporis spatio multos ad Deum populos, verbis, pariter exemplis, atq; signis admirandis conuertit, quippè qui tam studiosè verbo prædicationis instabat, vt iam tunc per Gallias & Germaniam Christiani Paganos & reli-

A & religione superarent, & numero. Erat namq; eius doctrina singulis congrua, cunctisq; audientibus dulcis & grata; vnde ob mellifluam sermonum eius facundiam, vndiq; populi confluebant, & ex eius ore aliquod saltem verbum audire cupiebant. Quantum verò ad proprios mores pertinuit, vt breuiter narrẽ, fuit cogitatione mundissimus, vtilis verbo ac discretus, irreprehensibilis in operibus, & sic per actiuã vitam singulis extitit compassione proximus, vt præ cæteris tamen contemplationi esset intentus. Nec contemplatio eum à fraterna prouisione retinebat, nec actualis sollicitudo à contemplationis arce remouebat. Deniq; salutaribus Euangelij monitis edoctus, dominici verbi pabulum conseruis suis fideliter B dispensauit, & credita sibi talenta spiritualibus augmentis multiplicauit. His igitur perfectionis operibus strenuè intentus, cum ad venerabiles canos peruenisset, apparẽte sibi per visum nocte quadam B. Euchario, vocationem suam imminere cognouit. Qua de re, sicut ab eodem Sancto iussus fuerat, die sequenti venerabilẽ Maternum in conspectu totius Ecclesiæ ad Sacerdotalem gradum solemniter prouexit, & eum de studio commissi ministerij diligenter instruxit. Cumq; per prædictum spatium, ob famã depositionis eius, aduenientes fideles de exercitio sanctæ conuersationis instanter instrueret, illucescente iam quinto die, oratoriũ ingressus, viaticũ C Domini corporis accepit, & post hæc inter discipulorum manus, quarto Calendas Februarij spiritũ cælo reddidit: cuius corpus colligentes Discipuli, sacratissimo corpori B. Eucharij coaptauerunt, & in eodem sarcofago cum diuinis laudibus condiderunt.

*B. Valerij melliflua facundia.* *B. Valerij virtutes.* *B. Eucharius apparet noctu Valerio, à quo discit imminẽtem decessum.* *B. Valerius Maternum prouehit ad Sacerdotalem gradum.* *Valerius morti vicinus sumit viaticum Corporis Domini.* *Moritur anno gratiæ 90. 4. Calend. Feb.* *Sepelitur in eodem sarcofago cum Euchario.*

## ANNOTATIONES.

1. Post cuius obitum B. Valerius. ] *Gesta B. Valerij, quæ hoc toto capite describit Harigerus, desumpta sunt prope de verbo ad verbum ex vita S. Valerij descripta per quendam Golscherum S. Mathiæ Treuiris monachum, qui testatur alibi, se post excidium Treuiricæ Vrbis, inter relictos cineres, hæc & quædam alia in chartulis scripta reperisse. Habes hanc vitam ex insigni M. S. Codice descriptam apud Surium* D *tom. 1.*

*De hoc beato Valerio agunt in suis martyrologijs ad diem 29. Ianuarij, Beda, Vsuardus, Ado, & cæteri, vt ante obiter diximus.*

2. Valerius in ministerium Sacerdotale successit. ] *scilicet Euchario. Adstipulatur Marianus Scotus in chron. lib. 2. anno Domini 75. Vnde patet errare Democharem in tabulis Episcoporum Treuirensium, qui scribit Maternum immediatè successisse Euchario, & Valerium Materno.*

3. Quarto Calendas Februarij spiritum cœlo reddidit. ] *Aegidius Aureæ vallis in sua marginali annotatione,* anno (*inquit*) gratiæ 90.

Quod

A

## Quod B. Maternus tot annis Episcopus fuerit, quot diebus in sepulchro iacuit.

### CAPVT XIII.

*B. Maternus suscipit Pötificalem apicem.*

DEinde B. Maternus Pontificalem suscipiens apicem, per Ciuitates & Regiones, diuini verbi cœpit spargere semen, ad viam salutis cunctos assidua admonitione prouocare, magnis virtutibus crescere, signis & miraculis clarescere. Et quantò quotidianis incrementis fidelium multitudinem plus augeri conspiceret, tantò diligentius iniunctum ministerium regulariter studebat ordinare. Nunquam hunc liberæ potestatis auctoritas extulit, sed humiliter cuncta disposuit, æqualem se subditis, studio dilectionis sanctæ exhibuit. In omnibus, quæ probabiliter, Deo fauente, agere potuit, non suam, sed Christi gloriam quæsiuit. Mitissimus semper extitit, consolabatur afflictos, pauit egenos, vestiuit nudos, redemit captiuos, suscepit peregrinos, errantibus viam salutis ostendit, desperatos ad spem veniæ animauit, benè currentes ad appetēda potiora incitauit, auersos oratione & admonitione ad viam veritatis reduxit, & modò docendo, modò sustinendo, modò in periculis se obijciendo, omnibus indesinenter pio solamine occurrit. His ergò atq; alijs bonorum operum studijs fultus, ad sanctam senectutem peruenit, & sicut quadraginta diebus prius iacuerat in Sepulchro, ita & totidem annis postea mansit in Sacerdotali ministerio.

*Virtutes B. Materni.* B

*B. Matern. 40. annis vixit in Sacerdotali ministerio.* C

## Quod B. Maternus Episcopus Tungrenses & Agrippinenses conuertit, & de fonte, de quo Plinius mentionem facit.

### CAPVT XIII.

*Ab Aegidio additum.*

D

*B. Maternus tertius Treuiris Episcopus.*

*Adit Coloniā & Tūgrensem Ciuitates.*

DEinde beatus Maternus tertius in Treuirensi vrbe Pontificalē suscipiens apicem, per Ciuitates & Regiones diuini verbi cœpit spargere semen, ad viam salutis cunctos assidua admonitione prouocare, magnis virtutibus crescere, signis ac miraculis clarescere. Hic beatus vir, diuina sibi reuelante gratia, ciuitates alias duas sibi contiguas adijt, Agrippinam cognomento Coloniā, & Tungrēsem Ciuitatē. Cumq; per descensum Mosellæ & Rheni, secus ripā Castellis & Villis prædicasset, & Dominos oppidorum & villarum conuertisset, & maximè Dominum Bonnensem, peruenit Coloniā: in qua, prædicatiōne sua, destructo iuxta Capitolium in porta cultu Martis, ac per Ciuitatem templis diuersorum Deorum, duas principales

A pales Ecclesias, cum alijs Sanctorũ diuersis oratorijs, vnam in honorem Domini nostri, quæ nunc dicitur S. Cæciliæ; aliam B. Petri, quæ nunc dicitur S. Victoris . . . . . ædificauit. In dicta verò Ecclesia B. Cæciliæ, nouissimis temporibus repertum est corpus gloriosum B. Paulini martyris discipuli S. Materni, qui propter prædicationem & fidem Christi, in dicta Ciuitate Coloniensi martyrio meruit coronari. Fundauit per Diœcesim Coloniensem multas Sanctorum diuersorũ Ecclesias, primò destructis idolatriæ templis, & multos nobiles signis & miraculis ad fidem Christi conuertit. Cumq; prædicando, & ægrotos sanando, per Villas & Oppida transiret, peruenit Traiectum, vbi in strata publica, quæ appellatur
B via regia, dedicauit Ecclesiam in honore Domini Saluatoris, & Apostolorum Principis, populo ad fidem exhortato, peruenit ad florentissimam, siue nobilissimam Ciuitatem Tungris, quam Tungrus cum Persis primo incoluit . . . . . . . . .

Hæc Turingiorum Metropolis Francorum Tungris, quæ iuxta præsagiũ B. Seruatij coram Hunnis, iussu Dei corruit, florentissima, famosissimaq; erat. Vrbiũ quippe Europæ fulgebat & Africæ quatuor inter maximas, Romam, Carthaginem, Numantiamq; nobilitate nominis æquiparans. Nam post subuersionem Troiæ plures Duces ad ipsam pertinentes, cum suis agminibus diuersas partes orbis adierunt, & firmas Ciuitates condiderunt, & in hoc quantum robore suo valuerint, sequacibus ostenderunt: A quorum progenie
C ædificata est illa famosissima Ciuitas Tungris, quæ magnitudine sua & altitudine ædificiorum, Romæ, vel Carthagini, vt suprà diximus, similis videbatur. Cuius Plinius secundus, qui temporibus Traiani Augusti quadringẽtis circiter annis ante subuersionem eius claruit, in libro de naturis aquarum mentionem facit in hæc verba: *Tungris Ciuitas Galliæ fontem habet insignem, pluribus bullis stillantem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorum vitio adest: aqua igni admota turbida fit, ac postremò rubescit.*

*Tungris magnitudo.*

*Origo Tungrensis Ciuitatis.*

*Tungris Ciuitas Galliæ.*

Appellata porrò traditur *Tungris*, quasi *Tunderis*, siue, *Tu vngeris*, eò quòd à latere tunderetur Oceani vndis, vel quòd tanquam pigmen-
D tosis vngeretur terræ marisq; copijs, per mare sibi illatis. Hæc & Octauia, ob honorem Octauiani Augusti, vel matris eius sororis Iulij Cæsaris, qui primus post Iulium Cæsarem Gallias Romano subegit imperio, & Germania fertur fuisse nominata. Monstratur verum esse, quod de mari dicimus, quia tumuli arenarum & curuamina ibi adhuc spectantur littorum.

*Vnde dicta.*

*Tungris dicta olim Octauia & quare.*

Quæritur autem à multis, quomodò, vel quarè mare, quod ibi fluebat, disparuerit. Et multi inde multa loquuntur: Sed nos absolutè dicimus, quod ira Dei in vltionem malorum, commodum maris & abundantias rerum ab eodem loco abstulerit. Sicut autem Ciuitas Tungris, ita omnis regio Tungria, incolæ verò dicebantur Tungri.

*Mare quomodo & quare à Ciuitate Tungrensi disparuerit.*

C Contra

*B. Maternus, vt Tungren. ad fidem Iesu Christi conuertat, multorum odijs & gladijs se exponit.*

*Tungris recipit signa militiæ Christianæ.*

*Damnatur cultura Iouis, Iunonis, & Veneris, & Templum B. Mariæ Virginis extruitur.*

*Dedicantur Ecclesiæ SS. vsque ad numerū 72 cōgregationū.*

*B. Maternus per Episcopatū plures fundat Ecclesias, & inprimis Huy & Traiecti.*

Contra istos pugnaturus beatus Maternus, vexillo Crucis armatus, A & cupidus pro Christo mortis, omnium se odijs & gladijs exposuit. Luctabatur patientia contra proteruiam, lenitas aduersus superbiam: Sanctitas contra prophanos, ratio aduersus insensatos: Ex illa parte furor, ex ista pudor: Illic Pōtificum capitolij, plebisq; iniuriosa tumultuatio, istic salutis prædicatio: Illic ad extremum tormentorum, omnisq; generis mortium terror, istic prodigiorum signorumq; cœlestium splendor, donec pondere veritatis attrita est ciuitas falsitatis; vt non solum receperit signa militiæ Christianæ, sed confregerit quoq; signa fallacis idolatriæ. Instruebantur Tungrenses iugum Domini ferre, qui consueuerant inferre. Facta est Ciuitas decimis & oblationibus Christo tributaria, quæ tributa Pro- B uinciarū exegerat temeraria. Namq; à paucis fides, tanquam modico de fomite scintilla incipiens, paulatimq; ab Augusto, velut ignis in arundineto, latius latiusq; discurrens, conuoluit ad vltimum omnes. Damnatur cultura Iouis, Iunonisq;, ac Veneris: Extruitur templum B. Mariæ perpetuæ Virginis: Emundantur delubra Dæmonum: dedicantur Ecclesiæ Sanctorum, vsque ad numerum septuaginta duarum congregationum. Sed & per suos Episcopatus plurimas fundauit Ecclesias, inter quas eminet Ecclesia B. Mariæ Hoyensis, vt testatur Theoduinus Leodiensis Episcopus, qui in ea requiescit; sed & in vita B. Seruatij legimus, quod ipse fundauerit Eccle- C siam Traiectensem, quæ modò dicitur ad Sanctum Seruatium, in honore Sancti Petri Apostoli.

## ANNOTATIONES.

*1. Ponuntur hic duo capita sub eodem numero decimo tertio, quia fere nihil diuersum habent, quod in alijs capitibus numerisq; aliquoties accidet, ne quid Harigeri vel Aegidij depereat.*

2. *De Materno agunt Beda, Molanus, Baronius in martyrologijs die 14. Septēbris. Plura de eo in actis S. Gereonis & sociorum, quæ teste Vincentio scripsit peruetustus auctor Heliuandus, quæ habentur apud Surium tom. 5. Optatus Mileuitanus Episcopus sub finem libri primi contra Donatistas, dicit ad vrbem Romam ventum esse à tribus Gallicanis Episcopis, vt iudices essent in causa Donati & Cæciliani, inter quos primo* D *loco recenset Maternum ex Agrippina Ciuitate. Nominat eundem Constantinus lib. 10 historiæ Ecclesiasticæ Eusebij; Verum ex temporum distantia colligitur hunc Maternum diuersum esse ab illo, quem tres Diœceses constanter celebrant, vt sibi à Petro Apostolo missum. Idcircò Reuerendissimus Lindanus Episcopus Ruremundensis apud Baronium, existimat duos fuisse eiusdem nominis Episcopos Colonienses. Vide illum in martyrologio Romano die 14. Septembris.*

3. Deinde beatus Maternus.] *Quædam hic, sicut & in alijs plerisq; locis, ab Aegidio repetuntur, quædam etiam minus certa asseueranter ponuntur, alia non tàm hystoriæ ipsius contextum, quam notas ad ipsum sapere videntur; alia deniq; ab eodem minus latinè vel ordinatè, aut concinnè scribuntur, quæ omnia libenter emendare studuissemus, nisi existimassemus satius esse, veterum illorum scripta fideliter de verbo ad*

verbum

A *verbum referre, quam vel minimum quicquam innouando mutare. Quæ causa est vt speremus Lectorem nobiscum facilius tædium huiusmodi, si quando occurrerit, deuoraturum.*

4. A latere tunderetur vndis.] *Videtur eandem opinionem habuisse Raymundus Marlianus, in commentario ad Iulium Cæsarem:* Tungros (*inquit*) Belgarum populos Tacitus facit. Hi cis Rhenum & Mosam inter Eburones numerantur. Oppidum est nomen retinens, olim Ciuitas Episcopalis. Huius sedes posthac fuit ad Leodiensem Vrbem translata, vsque ad cuius oppidi mœnia, vt pleriq; volunt, Oceanus protẽdebatur: Cuius rei quædam illius vetustatis monumenta cernuntur.

B 5. Sed & per suos Episcopatus.] *Non quod Maternus tribus Episcopatibus simul præfuerit, sed vni præfuit, qui postmodũ in tres distinctus & diuisus fuit vt suo loco notabimus.*

---

## *De constantia B. Materni, & quod tot annis Episcopus fuerit, quot diebus in sepulchro iacuit, & quod in tribus Ciuitatibus vna die celebrauerit.*

## CAPVT XIIII.

C *Ab Aegidio additum.*

TVnc B. Maternus Tungrensium primus Episcopus, ab vniuerso populo eligitur, & in Pontificali Cathedra intronizatur. *B. Maternus Tungrensium 1. Episcopus.* Qui beatus vir quantò quotidianis incrementis fidelium multitudinem plus augeri conspiceret; tantò diligentius iniunctum ministerium regulariter ordinare studebat. Nunquam hunc liberæ potestatis auctoritas extulit, sed humiliter cuncta disposuit, æqualem se subditis, studio sanctæ dilectionis exhibuit. *Virtutes B. Materni.* In omnibus quæ probabiliter, Deo fauente agere potuit, non suam, sed Christi gloriam quæsiuit. Mitissimus semper extitit, cõsolabatur afflictos, pauit egenos, vestiuit nudos, redemit captiuos, suscepit peregrinos, errantibus viam salutis ostendit, desperatos ad spem veniæ animauit, D benè currentes ad appetenda potiora incitauit, auersos oratione & admonitione ad viam veritatis reduxit, & modò docendo, modò sustinendo, modò in periculis se obijciendo, omnibus indesinenter pio solamine occurrit. *Vixit in Episcopatu 40. annis.* His ergò atq; alijs huiusmodi bonorum operũ studijs fultus, ad sanctam senectutem peruenit, & sicut quadraginta diebus prius iacuerat in sepulchro; ita & totidem annis postea mansit in Sacerdotali ministerio. *Præfuit tribus Ciuitatibus, Treuirensi, Tãgrensi, & Coloniensi.* Cùm igitur beatus Maternus Tungrenses & Agrippinenses ad fidem Christi conuertisset, & in his tribus Ciuitatibus, Treuirensi, Tungrensi, ac Coloniensi

 Ponti-

Pontificali iure præfuisset, fertur quod in singulis, Angelo ducente, A
miraculose, vno eodemq; paschali die, diuinum officiū celebrauit.

ANNOTATIONES.

1. His ergo atque alijs.] *Ladernacēsis Ecclesiæ historia, & M.S. Codices plures Monasterij Stabulensis, quos ante plures annos diligenter perlustraui, narrant, S. Simetrium à S. Materno in infantia resuscitatum, eaq; occasione Albanam eius matrem cum prole, fidei sacramenta suscepisse, eiq; nomen dedisse Simetriū sextum Comitem de Salmis. Hic cum postmodum Romā profectus fuisset, & in titulo, quem Pius Papa construxerat, apud Praxedem latitaret, diuinaq; mysteria celebraret, Anthonius Augustus cum 22. alijs, absq; vlla interrogatione, gladio puniri præcepit in eodem titulo.* B *Quorum corpora Praxedis collegit & sepeliuit 7. Kalen. Iunij. Cæterū Papolenus, seu Babolenus, qui B. Remaclo in regimine Monasterij Malmundariensis successit, corpus martyris è Roma Stabuletum retulit, & in primaria Monasterij hæreditate Villa de Lierneur, siue Ladernaco, congruo honore collocauit, fuitq; decretū, vt prædicta Villa se filiam Stabulensis Ecclesiæ recognosceret, sub censu vnius esterlini ex qualibet domo persoluendi, & vt sarcophagum martyris annuè nona die Maij Stabuletum, cum hymnis & processione, in indicium filialis subiectionis deferrent. Fit autem mentio huius loci & martyris lib. 2. miraculorum Remacli:* Fiscus (*inquit Ledernaus*) nostro Monasterio addictus est: In eo Ecclesia est S. Simetrij & aliorū virtutibus illustris. *Legi in Monasterio Stabulensi originem Comitum Salmensiū, versibus per quendam Religiosum Stabulensem eleganter descriptam, in qua præclara fit & Materni & Simetrij mentio.* C

*Apud M. Richardum de Wassebourg Archidiaconum Verdunensem, lib. 3. antiquitatum, in instrumento donationis allodiorum factæ Ecclesiæ Hasteriensi supra Mosam positæ, anno Domini 656. indictione duodecima, regnante Sigeberto filio Dagoberti Regis, legitur Maternus consecrasse Ecclesiam Hasteriensem his verbis:* Erat autem Hasteriensis Ecclesia à priscis temporibus à S. Materno Petri Apostoli discipulo consecrata.

2. Et sicut quadraginta diebus.] *Errat ergo Otto Episcopus Frisingensis in suo chronico lib. 3. cap. 15. qui dicit Maternum tantum triginta tribus diebus in monumento iacuisse, vt ante obiter notauimus.*

3. Vno eodemq; Paschali die.] *Igitur malè quædam nostratia chronica* D *M. S. quæ sub nomine Aegidij seu fratrum Aureæ vallis circumferuntur, dicunt Natali id contigisse.*

## *Qualiter eum Eucharius & Valerius de hoc mundo per visum vocauerint.*

## CAPVT XV.

Accidit autem nocte quadam, dum iuxta consuetum sibi vsum sanctorū loca psallens inuiseret, vt ingressus Ecclesiam Domino supplicaturus, orationem cum psalmodia protelaret, ab instantia precum oppido lassaretur, & leui correptus somno, viderit sibi apparere per visum sanctos suos Sodales, Eucharium videlicet

delicet & Valerium, sacerdotalibus infulis coruscantes, coronas
A singulas rosis ac lilijs, & diuersarum specierum gemmis, mirabili arte intextas capitibus gestantes, tertiamq; consimilem manibus protendentes, atq; dicentes: Materne frater, sicut iam ante promissum nostrum habueras, ante diem tuę dormitionis visitandi gratiâ ad te venimus, prænunciantes te die tertia corpus hoc relicturum, & ad inenarrabilia Domini tui gaudia introituru͂. En cerne præmij tui incorruptibile͂ corona͂, à paradiso perpetuæ amœnitatis à Christo tibi per nos transmissam: Cuius flos nunquam marcessit, cuius odor nunquam à suauitate deficit, cuius perseuerantia finem non nouit, quam post vitæ huius corruptionem incorruptibiliter possi-
B debis, & in consortio Regis æterni, cum eo laureatus æternaliter perseuerabis. His dictis disparuerunt.

*Beati Eucharius & Valerius coronati apparentes noste B. Materno, coronam rosis ac lilijs co͂textam offerunt. Prænunciãt eũ tertia die moriturum.*

Excitus ille à somno, exhilaratus quidem à visione, molestiam tamen corporalem iam sensit adesse, accersitoq; ministro, cum eius munimine ad cellulam redijt, & seorsum familiaribus suis rei ordinem pandit. Die verò crastina, conuocatâ fratrum caterua͂, cœpit eos studiosè de fidei integritate monere, animos eorum ad cœleste desiderium delectabilibus verbis accendere, ac per totam diem salutaria dans eis monita, vsq; ad noctis mediu͂ sermonem protraxit, & quod noctis superfuit, in psalmis & hymnis cum fratribus trãse-
C git. Post Gallorum verò cantum, instãte iam die, venit desuper vox, audientibus cunctis, qui aderant, dicens ei; Veni dilecte Dei Materne: qui mox accepto Dominici Corporis viatico, cùm valedixisset fratribus, eleuatis in cœlum manibus, & se Deo commendans, animam exhalauit. Pro cuius absolutione, qui aderant fideles, condignas exequias expleuerunt, & eius corpus prope SS. Eucharij & Valerij reliquias honorabiliter posuerunt.

*B. Maternus reducitur æger ad cellulam. Exhortatur fratres ad integritatem fidei co͂seruandam.*

*Accipit viaticum Dominici Corporis.*



ANNOTATIONES.

Pro cuius absolutione.] *Hæc vsq; ad finem capitis omissa ab Aegidio Aureæ vallis ex Codice Cruciferorum, vt integer Harigeri textus habeatur, restituta sunt.*

D

## *Qualiter apud Coloniam obijt.*

## CAPVT XVI. *Ab Aegidio additum.*

Obijt autem B. Maternus apud Coloniam senex decimo octauo Calend. Octobris, anno Domini centesimo trigesimo. Cuius obitu Treuiri comperto, mox Coloniam profecti sunt, Pastorem suum repetentes: Aderant & Tungrenses, qui sibi cum Colonijs eum retentare satagebant. Certatum diu ab vtrisq;: Interim quidam venerandus senex in Vrbe apparuit, monens ciues, vt à lite desistentes, suis parerent consilijs, & vt corpus Pontificis in naui ponentes, deinde à littore fluctibus impellentes,

*Moritur anno Domini 130. 18. Cal. Octob. Colonienses & Tungren. certatim repetunt corpus B. Materni. Angelus dirimit certamen miraculo.*

quò Deus velit abire finat. Mira res: Mox vt Angelus consuluerat, factum est: Nauis sacro corpore onusta, nullo se regente Nauclero, Angelico remigio, contra fluctus dirigitur, & paruo horæ spatio, miliario confecto, in loco qui ex tristitia Coloniensium, roze tunc vocatus est, littori applicatur. Tunc Treuiri corpus sui Pontificis à Deo sibi destinatum, cum debita gratiarum actione suscipientes, Treuirim reuexerunt, & in Ecclesia non longè à corporibus Sanctorum Eucharij & Valerij, honorabiliter sepulturæ tradiderunt. A

*S. Materni corpus sepelitur non lõge à corporibus SS. Eucharij & Valerij.*

ANNOTATIONES.

Anno Domini centesimo trigesimo.] *Marianus Scotus*, anno (*inquit*) sexto Sacerdotij Sixti, Imperij autem Ætij Adriani Cæsaris octauo, anno Dominicæ incarnationis centesimo vigesimo octauo. B

---

*De octo Episcopis, qui B. Materno in sede Tungrensi successerunt.*

CAPVT XVII.

POst eius decessum, in Pontificio sibi per ordinem successerunt, Nauitus, Marcellus, Metropolus, Seuerinus, Florentius, Maximinus, Valentinus. Et hi quorum Imperatorum vel Consulum claruerint tempore, vel quos vita singulorum habuerit exitus, quotq; annis administrauerint singuli officium Pontificatus, vel quis illorũ sepulturæ sit locus, nullius à nobis requirat exactio, cum Ecclesiarum totius Galliæ memoriam aboleuerit facta per Hũnos subuersio. Hoc certum tenemus, omnium Ecclesiarum copias exuberasse, circa ea scilicet tempora, quibus Vrbi Romanæ præerat Constantinus Augustus, succedentibus ei Constante & Constantio filijs eius. C

*Nominantur 8. Episcopi qui proxime successerunt beato Materno in Episcopatu.*

*Quare de eorum gestis nihil habeamus.*

---

*De octo Episcopis, qui B. Materno in sede Tungrensi successerunt.*

CAPVT XVII. D

*Ab Aegidio additum.*

POst decessum beati Materni, in Pontificio sibi per ordinem successerunt.

Vir pretiosus, & omni laude dignissimus beatus Nauitus surrexit secundus Episcopus. Hic multos conuertit ad fidem, videntibus signa & miracula, quæ per eum Dominus faciebat. Qui postquam Sacerdotium multis gubernasset annis, scilicet sexaginta & amplius, in senectute bona migrauit ad Dominum, sepultusque est in

*Nauitus 2. Tũgreñ. Episcopus*

*Rexit Episcopatum 60. annos & amplius*

A in Vrbe Tungrensi. Floruit sub Apostolicis Euarista, Alexādro, Sixto, Thelesphoro, Hyginio, & Pio, cuius tertio anno obijt.

Post cuius decessum tertius successit sanctus Marcellus, vir omni sanctitate conspicuus. *B. Marcellus 3. Tungrorum Episcopus.*

Post decessum sancti Marcelli Episcopi, beatus Metropolus cum digna virtutum moderatione, quartus Episcopus successit. *B. Metropolus 4. Tungrorum Episcopus.*

Quintus Episcopus, quinque pollens talentis, sanctus Seuerinus Antistes extitit. Iste sanctus Seuerinus non est ille Coloniensis Archiepiscopus, de quo in vita sancti Martini legitur, sed fuit alius ante eum. *B. Seuerinus 5.*

Perfectione sui ordinis sextus Tungrensis Ecclesiæ Episcopus floruit S. Florentius. *B. Florentius 6* B

Loco septimo à beato Materno, septiformi spiritu Dei redimitus, contra vim Dæmonum martem agebat B. Martinus Episcopus. *Martinus 7.*

Octauo numero ordinatur beatus Maximinus Episcopus, magnaliter octo beatitudinum sanctitate perfectus. *B. Maximinus 8.*

Nonus Tungrensium Episcopus, beatus Valentinus, nouem ordinum Angelorum valenter amicus. *B. Valentinus 9.*

Sed hi quorum Imperatorum vel Cōsulum claruerint tempore, vel quos vita singulorum habuerit exitus, quotq; annis administrauerint singuli officium pontificatus, nullius à nobis requirat exa- C ctio, cum Ecclesiarum totius Galliæ memoriam horum aboleuerit facta per Hūnos subuersio. Qua subuersione imminente, beatus Seruatius, de quo dicturi sumus, eorum corpora in vrbe Tungrensi sepulta, apud Traiectum transtulit, & in cripta, vbi postmodum ipse sepultus est, cum alijs multis Sanctorum reliquijs, quas de Tungrensi vrbe transtulerat, honorificè sepeliuit. *Quo tempore & quanto Episcopatum administrârint hi 8. prænominati non scitur & quare. Horum 8. Episcoporum corpora, B. Seruatius à Ciuitate Tungrensi Traiectum transtulit.*

Non est autem prætereundum quod hi octo iam dicti Episcopi, etiam Treuirensi Ecclesiæ præfuisse leguntur. *Hi 8. Episcopi præfuerunt quoq; Treuirensi Ecclesiæ.*

### Annotationes.

1. Sepultusq; est in vrbe Tungrensi.] *Annotatio marginalis codicis Aurea* D *vallis sic habet*, Huius festum agi potest duodecimo Calend. Octobris.

2. Marcellus vir omni sanctitate conspicuus.] A quibusdam (*inquit Codex Aurea vallis ibidem*) agitur festum septimo Calend. Octobris.

3. Martem agebat B. Martinus Episcopus.] *Hic Hasbanorum Apostolus appellatur, quia, vt festi eius lectiones habent, Christum in plerisq; Hasbaniæ villulis prædicando, populum ab alta cæcitate liberauit: In Horion tamen prædicationem eius, qua indigni erant, renuerunt, & hospitio excipi prohibuerunt, contumelijsq; affectū expulerunt. Huius obitus ponitur anno ducentesimo septuagesimo sexto secundū Molanum in chronico Sanctorum Belgij cap. 1.*

4. Sed hi quorum Imperatorum.] *Idem queruntur Annales Treuirenses & Ioannes Enen in gestis Treuirorum Pontificum; nam viginti Pontificum ante Agritiū, inter quos omnes nostri vsq; ad sanctum Seruatium nominantur, scribunt se ignorare tempora, annos administrationis, exitus, tumulos, hacq; intercidisse in persecutioni-*

*bus*

*bus, & postea in Hunnorum & Normannorum excidijs, quæ frequentia fuerunt, vt videre est lib. 6. Saluiani de vero iudicio, vbi deplorat, & æquißime Dei dispositioni ascribit, quod opulentißima Vrbs (de Treuirensi loquitur) ter continuatis euersionibus per Hunnos excisa, cum excidijs non corrigeretur, quarto perire meruerit. Subijcitq́; dictus Enen, Pontifices, feruente tunc persecutione, Præsulatum exercuisse non manifestè, sed sicut ad Hebreos cap. 11. Apostolus ait:* In solitudinibus, & montibus, in speluncis & cauernis. *Quod & idem de nostris verè dicere possumus. Nihilominus ex antiqua traditione, Breuiarium Leodiense celebrat Natalem Beati Materni 14. Septembris. Treuirense celebrat Natalem Nauiti septima Iulij; Marcelli, quinta Septembris, Metropoli, octaua Octobris, Seuerini 24. Octobris, Florentij 16. Octobris, Maximini 20. Iunij. De his fit officium de Pontifice martyre, extenso nomine martyrij ad eos, qui sub paganorum & tyrannorum persecutionibus multa pro fide Christi paßi sunt. De plerisq́; enim nobis satis certum est, eos non ab alijs illata, sed propria morte obijsse.*

---

## *De S. Valentino Episcopo nono.*

### CAPVT XVIII. *Ab Aegidio additum.*

BEatus autem Valentinus horum vltimus Spiritus Sancti attactu præmonitus, seu quolibet Ecclesiasticæ traditionis exemplo prędoctus, quocúq; Dei nutu iussuúe inductus, cum ad extrema vitæ vergeret, baculum pastoralem super altare beatæ Mariæ virginis ponens, sub indissolubilis anathematis vetuit animaduersione, ne quis inde temerarius tolleret, ne quis orbato præsulatui mercenarius immergeret, donec per reuelationem Iesu Christi cominus electio idoneum Doctorem & Episcopũ animarũ suarũ inueniret.

*S. Valentinus vetat sub anathemate, ne electio fiat Episcopi absq; reuelatione Iesu Christi.*

Quâ sententiâ cunctis conterritis, retroque cędentibus vniuersis, absq; benedictione Pontificali, sedes Tungrensium mœrebat septem annis. Perpendere quis negligat magnanimitatem præcipiẽtis, obedientiamq́; plebis? Verè digno pastore dignus populus, quẽ tantâ morâ votis expectat & precibus. Obijt idem beatus Valentinus ante annum dominicæ incarnationis trecentesimum octauum, scilicet, circa ea tempora, quibus vrbi Romanæ præerat Constantinus Augustus, succedentibus ei Constante & Constantio filijs eius, sepultusq́; est honorificè in ecclesia S. Mariæ Tungrensis, iuxta suos collegas, scilicet Tungrenses Episcopos: cuius festum à quibusdam agitur septimo idus Iunij. Quo similiter die celebratur festiuitas B. Candidi Episcopi & Confessoris, cuius corpus requiescit Traiecti iuxta Sanctorum corpora Pontificum Tungrensium.

*S. Valentinus moritur ante annũ Dñi 305.*

### ANNOTATIONES.

Celebratur festiuitas B. Candidi.] *De hoc sic Aegidius in marginali annotatione:* Hic post obitum B. Seruatij, Domimo sibi reuelante, relictâ patriâ

A patriâ, peregrè fertur venisse ad tumulum S. Seruatij, & illi Ecclesiæ per multos annos, sede vacante, nocte ac die deuotè deseruijsse vsq; ad obitum suum, in tempore D. Agricolai Episcopi.

## *Qualiter in diuersis locis orthodoxi viri Arrianæ hæresi restiterunt.*

### CAPVT XIX.

His etiam diebus Arriana pullulare cœpit rabies, quæ breui tẽporis successu, erroris sui veneno, totum respersit orbẽ Romanum: cuius pesti resistebant potissimum à turre veri Dauid ædificata cum propugnaculis, a collo scilicet Ecclesiæ dependentes B clypei, omnis armatura fortiũ, Syluester Romanus Pontifex, Athanasius, Alexandrinus, Ambrosius Mediolanensis, Maximinus Treuirensis, Hylarius Pictauiensis, Martinus Turonensis, Anianus Aurelianensis, Seuerinus Coloniensis, Eusebius Vercellensis, & æque alij catholici præclari temporis eius Episcopi: Ex quibus Athanasius toto orbe fugatur, sed à Maximino Treuirorum Episcopo intrepide suscipitur. Paulinus post eum Episcopus cum Rodiano & Hylario æquè Galliarum Episcopis, in Phrygia exilio damnantur, vbi & Paulinus Treuirensis exulans vitâ decessit.

*Hæresis Arriana pullulat per vniuersum Romanũ orbem.* *Cant. 4.* *Arrianæ hæresi qui inprimis restiterunt.* *D. Athanasius fugatur, & à Maximino Treuirorum Episcopo suscipitur.* *SS. Paulinus Rodianus, & Hylarius exilio dãnantur.* *S. Paulinus in exilio moritur*

### ANNOTATIONES.

1. His etiam diebus Arriana cœpit rabies.] *Anno Domini trecentesimo* C *vigesimo, iuxta calculum Henrici Contracti in chronico, Arrius presbiter de Ecclesia eiectus, multos errori suo sociauit, & Ecclesiam sua heresi impugnauit.*

2. Maximinus Treuirensis.] *Vitam huius scribit Lupus Waldoni anno Domini 839. Habes illam apud Surium tom. 2.*

3. Seuerinus Coloniensis.] *De hoc scribit Fortunatus presbiter: illius quoq; meminit Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap. 45. Martyrologium Vsuardi 23. Octobris sic de eo habet:* Ciuitate Colonia natalis dies Seuerini Episcopi & Confessoris, cuius catholica fide, maximoq; sudore ac sana doctrina Coloniensium, Burdegalensium, Tungrensium, vicinorumq; Ecclesiæ, ab infestatione Arrianæ hæresis sunt defẽsæ, qui D & in transitu B. Martini audire meruit voces psallentiũ Angelorũ.

4. Sed à Maximino intrepidè suscipitur.] *Adstipulatur D. Hieron. in chron. Theodoretus lib. 2. hist. cap. primo, dicit Athanasium mansisse apud Maximinũ toto biennio & mensibus quatuor. Otto Episcopus Frisingensis in chron. lib. 4. cap. 7. dicit quosdam scribere, illum Treuiri manentem, symbolum,* quicũq; vult saluus esse, *composuisse.*

5. Vbi & Paulinus Treuirensis exulans vitâ decessit.] *Idem affirmat martyrologium Vsuardi die 31. Augusti:* Treuiris (*inquit*) natalis S. Paulini Episcopi & Confess, qui à Cõstantio Imperatore relegatus exilio, & vsq; ad mortẽ etiã extra christianũ nomẽ mutãdo exilia fatigatus, ad vltimũ apud Phrygiã defũctus, beatæ passionis coronã percepit à Domino. *De hoc vide historiam tripartitam lib. 5. cap. 15. & 16. Athanasium & Hilarium contra Constantium scribentes, & Sulpitium lib. 2. sacræ historiæ.*

A

*De Hunnis per totum Romanum Imperium diffusis.*

## CAPVT XX.

*Effera gens Hunnorum per totum orbem Romanum diffusa.*

*Origo Hunnorum.*

*Libro de sex ætat. mundi, anno mundi 4007.*

*Act. 7.*

HAc itaq; fece sub multis postmodū Imperatoribus per Christianum Imperium prævalescente, Valentis tandem Imperatoris tempore, qui persecutionem nouissimus Catholicis intulit, qui & ab Eudoxio hæresiarcha Arriano dogmate rebaptizatus est, excita est de latibulis suis efferagēs Hunnorū, & per totū orbem diffusa Romanū. Cuius quia non multis notam esse cōstat originem, vt pandit antiqua narratio, paucis eam insinuemus. Fertur à plerisq; quod tempore famis, quæ facta est, teste Beda quarto Claudij Cęsaris anno, cuius & Lucas meminit, cum pro famis incōmodo, Claudius non solum Iudæos expelli iussisset ab Vrbe, sed & omnes inualidiores plebis cum ipsis Iudæis, vt saltem validiores sustentari potuissent, & eos includi fecisset in quodam abdito terræ, coāluisse vsq; ad tempora præfati Valentis in gentem magnam. Vngaros deniq; notum est huic famæ assentari velle, qui & iactant se à Iudæis originem ducere. De Hunnis autem testis verissimus adest Iordanis Episcopus, qui eorum originem in historia de gestis Gotthorū, vel Getharum luculentissimè refert in hæc verba. B C

ANNOTATIONES.

1. Valentis tandem Imperatoris tempore.] *Hoc est circa annum 369.*

2. Testis verissimus adest Iordanis Episcopus.] *Hic Ioannes Iordanis, natione vt ipsemet testatur, Gothus, Gothorum historiam & chronica sua perduxit vsq; ad annum Domini quingentesimum vigesimum septimum.*

*Quod ab immundis spiritibus & ex magis mulieribus procreati dicuntur.*

## CAPVT XXI.

D

*Opinio Iordanis Episcopi de origine Hunnorum.*

GEntis Hūnorum originem ex antiqua relatione talem extitisse comperimus: Filime Rex Gothorum & Gadarici Magni filius, qui post egressum Scantiæ insulæ, iam quinto loco tenēs principatum Getharum, cum terras Schiticas cum sua gēte introisset, reperit in populo suo magas quasdam mulieres, quas patrio sermone Haliorunnas is ipse cognominat, easq; habens suspectas, de medio sui proturbat, longeq; ab exercitu suo fugatas, in solitudine coēgit errare: Quas spiritus immundi per heremum vagantes, dum vidissent, & se earum complexibus in coitu immiscuissent, genus hoc ferocissimum ædiderunt. Quod fuit primum inter palu-

des

A des, minutum, tetrum atq; exile quasi hominũ genus, nec alia voce notum, nisi quia humani sermonis imaginem assignabant. Tali igitur Hunni stirpe creati, Gothorum finibus aduenerunt: Quorum natio sæua, vt Priscus historicus refert, Mæotida palude vlteriore ripa insidens, venationi tantum, nec alio labori assueta, nisi postquã creuisset in populis, fraudibus & rapinis, vicinarum gentium fines conturbans. *Hunni venationi solum vacant.*

ANNOTATIONES.

1. Filime Rex Gothorum.] *Sic legit Codex Aureæ vallis, nisi quod in textu postea videatur addita littera* r *supra* e, *hoc pacto* Filime[r]. *Codex Alnensis legit* Filime *sine* r. *Codex S. Martini* Felimeth.

B 2. Vicinarum gentium fines conturbans.] *Codex Aureæ vallis & Cruciferorum legunt* Fidem, *Codex verò S. Martini & Capucinorum legunt* fines, *longè probabilius.*

---

*Qualiter ductu ceruæ insula ingressi, primo Gothos, deinde alias gentes, nouissimè Gallias inuaserint.*

## CAPVT XXII.

HVius ergo gentis, vt assolet, venatores, dũ in vlteriorem Mæotidem ripam venationes inquirunt, animaduertunt ex improuiso ceruam se illis offerentem, quę ingressa paludem, nũc
C progrediens, nunc subsistens indicem se viæ tribuit: Quam secuti venatores, paludem Mæotidem (quam inuiam pedibus æstimabant) transierũt, moxq; vt Scythica terra insciis apparuit, cerua disparuit. Quod credo illi nequã, vnde trahũt originẽ, ad Scytharũ inuidiã egerũt. At venatores illi, quia præter Mæotidẽ aliũ mundũ esse penitus ignorabãt, admiratione ducti terræ Schyticæ, factum illud diuinitus ostensũ rati, ad suos redeũt, rem gestã ordine referũt, Scythiã laudãt, persuasaq; gente viam, quam indice cerua didicerant, ad Scythiam properant, & quoscumq; in ingressu Schytharum obuios habuerũt, perimentes, reliquos perdomitos subegerunt. Nam mox ingentem illam paludem transierunt, Alpidzuros ilico, Acildzuros, Itimaros, *Quas gentes Hunni subiugarint.*
D Tuncorsos & Boiscos, qui ripæ istius Scythiæ insidebant, quasi quidam gentium turbo rapuerunt. Alanos quoq; pugnâ sibi pares, sed humanitate, victu, formaq; dissimiles, frequenti certamine fatigantes subiugauerunt. Nam & quos bello forsitan minimè superabant, formæ deformitate terrentes fugabant, cùm fuisset eis facies pauẽda nigredine, & velut quædam (si dici fas est) deformis offa, non facies, habensq; magis pũcta, quã lumina, quorũ animi ferocitatem turbidus prodit aspectus, qui etiam in soboles suas, ipso natiuitatis die desæuiunt: Nam maribus genas ferro secant, vt antequã lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur assuescere duritiam. Hi *Quales fuerint corpore & animo.*

D 2 imber-

imberbres senescunt, & sine vetustate ephæbi sunt, quia facies ferro sulcata, pilorum vice cicatrices assumit; Exigui corpore, sed acuti, motibus expediti, & ad equitandum promptissimi, scapulis latis, arcubus sagittisq; assueti, firmis ceruicibus, & superbiâ semper erecti, sub hominum figura, belluinâ viuunt seuitiâ. Nouissime autem Gallicanum impugnare aggressi sunt orbem. A

*Hunni Galliam inuadunt.*

ANNOTATIONES.

1. Quod credo illi nequam vnde trahunt originem. ] *Codex Aureæ vallis & Cruciferorum sic legunt: alij, vt S. Martini & Alnensis, adijciunt substantiuū,* Spiritus nequam. *Neutra lectio mala est, nos nihil immutauimus.*

2. Persuasaq; gente viam. ) *Ita Codices Aureæ vallis & Cruciferorum. Codex Alnensis:* Persuaq; gente suâ viâ, quam cerua indice didicerant: *vtraq; bona est.* B

3. Cùm fuisset eis facies pauenda nigredine, & velut quædam, si dici fas est, deformis offa, non facies. ] *Ita omnes Codices, Aureæ vallis, Cruciferorum, Alnensis, & S. Martini & Capucinorum. Sigebertus in cronographia cap. de regno Hunnorum, satis conformiter de eis sic loquitur:* Et quod erat eis species pauendæ nigredinis, & veluti quædam, si dici fas est, deformis offa, non facies.

4. Vulneris cogantur assuescere duritiā. ] *Sic nostri Codices Aureæ vallis & Cruciferorum: alij, Alnensis & S. Martini legunt,* vulneris cogantur subire tolerantiam.

C

## *De sancto Seruatio.*

## CAPVT XXIII.

EO tempore, S. Seruatius Tungrensi Ecclesiæ decimus præsidebat, vir omniū virtutū honestate præclarus. Cuius quidē ortū & prosapiā, licet quidā putēt ex Domini Saluatoris cognatorū descendisse familia, quia tamen locū natiuitatis eius nequaquā accepimus, nec aduentus eius causas aliūde vspiā audiuimus, idcircò nec faciles ad credendū esse possumus, nec tantæ opinioni, quæ fortassè ex pietate ingeritur, iudicamus omnimodis derogādū, cū iuxta Tulliū, *non debeat, pudere nos fateri nescire, quæ nescimus*, & huius opinionis assertoribus, cōueniat ignorantiā, potius verecundè fateri, quam irreuerenter pro pietate mentiri. D

*De ortu & prosapia S. Seruatij sententia Harigeri.*

## *De sancto Seruatio.*

## CAPVT XXIII.

*Ab Aegidio additum.*

EO tempore S. Seruatius Tūgrensi Ecclesię decimus pręsidebat, vir omniū virtutū honestate pręclarus: Cuius præconia eo magis habent extolli laudibus, quantò Saluatori Christo propinquior est genere. Fama enim antiquitatis custos, virū hunc designat ex prosapia Iesu Christi descendisse: Fuerunt enim Anna & Esmeria

*De ortu & cognatione sancti Seruatij opinio Aegidij.*

A ria duæ forores, ex quibus Anna, vt notũ eſt, peperit Virginem Mariam, matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Elizabeth mater S.Ioãnis Baptiſtæ, & frater eius Eliud, orti ſunt ex Eſmeria. Eliud autem genuit Enim, de quo poſtmodum B.Memelia peperit Seruatium, qui Angelico numine tali eſt nomine appellatus, eò quod in longum ſenium ad correptionem multorũ eſſet ſeruandus. De loco natiuitatis eius legitur, quod nomen oppidi Pæneſtia, nomen terræ Hebræa, nomen regionis Perſia, vt intelligatur Pæneſtia oppidũ in confinio Perſidis vel Armeniæ, ſitũ ad Auſtrum, & vtriuſq; gentis in ſe continere populos. Nec incongruè Perſidis & Armeniæ, pars illa dicitur B terra Hebræa, vbi decem tribus filiorũ Iſraël olim in reduci captiuitate inhabitabant, quas Salmanaſar Rex Aſſiriorum tempore Ezechiæ Regis Iuda in Perſidem tranſtulit. Hic itaque B.Seruatius adoleſcens factus, Hieroſolymã venit, vbi vita laudabili conuerſatus, in Dei Sacerdotem promotus eſt.

*S. Seruatius quare ſic dictus.*

*Locus natiuitatis eius.*

*4. Reg. 17.*

ANNOTATIONES.

1. *De S.Seruatio agunt Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſtoriæ Francorũ c. 4. 5. & 6. De gloria Confeſſorũ c. 72. Sulpitius lib. 2. Sacræ hiſtoriæ, Athanaſius in Apologia ad Conſtantium, Concilium contra Euphratem, & caput vltimũ vitæ Norberti 6. Iunij.*

2. Quanto Saluatori Chriſto propinquior eſt genere. ] *Euiſdem ſententiæ eſt Sigebertus in Chronographia ad annum Domini 399.* Seruatius quoq; C *(inquit)* agnoſcitur Domini noſtri Ieſu Chriſti cõſanguineus, non ſolum ex eo, quod voluntatem Dei Patris faciebat, ſed etiam ſecundũ carnem; Qui natus quidem in Perſide, filius fuit Eminiu, cuius pater fuit Eliud frater Elizabeth, quæ peperit Ioannem Baptiſtam. Mater verò Eliud, & Elizabeth Eſmeria ſoror fuit Annæ, quæ genuit Mariã matrem Domini.

## *Quod multi ſancti viri contemporales illi fuerint, & de multarum Vrbium euerſione.*

## CAPVT XXIIII.

*Cuius prior pars ab Aegidio addita eſt.*

D IGitur cùm iam prouectioris ætatis eſſet, & diſſolui cum Chriſto mallet, Angelus Domini conſpicuus ei in oratione aſtitit, curam occidui orbis, tanquam nouo tironi tradidit, Tungrenſemq; Vrbem, quæ alio nomine Octauia vocatur, in litore Oceani maris ſitã, adire imperauit. Qui beatus moræ impatiẽs, ignotas attẽtat vias, permẽſoq; immẽſi itineris ſpatio, Angelo præcedẽte, tãdem ad Vrbem Tungrẽſem peruenit. Illo die, illuc cõuenerant ſeptuaginta duæ cõgregationes in baſilica S.Mariæ, præordinãte Dei nutu, vt ſic Seruatio cõuenirent die illo. Tũc repẽte Angelus Domini Seruatiũ ab oratione erexit, baculũ Paſtoralẽ de altari ſumptũ ei porrexit, & cũ maximo ſtupore intuentiũ, illũ ad Cathedrã Põtificalem prouexit, imperãte tũc in Vrbe Romana magno viro Cõſtantino. Tali miraculo

*S. Seruatio per Angelum traditur cura occidui orbis.*

*Angelo duce venit ad Vrbẽ Tungrenſem.*

*Angelus S.Seruatio baculũ Paſtoralem tradit, & in Cathedrã Pontificalẽ euehit.*

*S. Seruatius quo tempore creat us Episc.*

Sanctus iste, cum omnium consensu Pontifex consecratus. *Hactenus Aegidius.* A

Hic sanè vir sicut in gestis eius legimus antiquioribus, ex generosa magnorum virorum stirpe est æditus, nobiliter natus, nobiliùs conuersatus, Pontificale petalium gessit, oues Dominicas ab insidiatore lupo protexit pro eisdem, etsi gladius persecutoris defuit, paratus perferre martyrium. In diebus planè sui Sacerdotij placens Deo probatus, inuentus est iustus, in tempore imminentis iracundiæ, quærens pro barbarica irruptione fieri recōciliatio. Eiusmodi nempè multas tunc temporis prouisio diuina, pro necessitate accenderat lucernas, qui & erroris mundani pellere possent tenebras, & sæuiētis in tanto turbine tribulationis sedare procellas. Vnde quidam Metricanus luculenter satis scribens ait. B

*S. Seruatius cupidus martyrij*

*Ecclesiast. 44*

*Multi viri preclari cū S. Seruatio se Hunnis opponunt.*

*Talibus Ecclesia fautoribus vndiq; firma*
*Obstant, imbriferis vento quatiente procellis,*
*Desuper & Petram nequeunt trepidare ruinam.*

Et de hoc specialiter beato viro inter alia,

*Seruatius seruando fidem seruat pereuntem,*
*Orando populum, conseruans forte Traiectum.*

Et beatus Lupus Trecassinæ Vrbis Episcopus:

*B. Lupus Trecassinæ Vrbis Episcopus.*

*Dum bella cuncta perderent,*
*Orando Trecas muniit.*

Et Hieron. ad Ageruchiā super mūdi cōtemptū scribēs epist. super huiusmodi quoq; cladē sumit lamentū, cuius hæc sunt verba: *Quod rari huc vsq; residemus, non nostri meriti, sed Dei misericordia est. Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occupārūt, quicquid inter Alpes & Pyreneū est, quod Oceano & Rheno includitur. Quadus, Wandalus, Sarmata, Alani, gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (ò lugenda Respublica) hostes Pannonij vastauerunt. Magontiacus, nobilis quondam Ciuitas, capta atq; subuersa est, & in Ecclesia multa hominum milia trucidata, Vangiones longa obsidione deleti, Rhemorum Vrbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremiq; hominum Morini, Tornacus, Nemeti, & Argentoratus, translata in Germaniam Aquitania, nouemq; populorum Lugdunensis & Narbonensis Prouincia, præter paucas Vrbes cuncta populata sunt, quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames. Non possum absq; lachrymis Tolosæ facere mentionem, quæ vt huc vsq; non rueret S. Exuperij Episcopi merita præstiterunt. Ipsa Hispania iam iamq; peritura contremuscunt, recordantes irruptionis Cymbricæ, & quicquid alij semel passi sunt, illæ semper timore patiuntur. Cætera taceo, ne videar de Dei desperare clementia. Olim à mari Pontico vsq; ad Alpes Iulias, non erant nostra, quæ nostra sunt, & per annos 30. fracto Danubij limite, in medijs Romani Imperij regionibus pugnabatur: Aruerūt vetustate lachrymæ; Præter paucos senes, oēs in captiuitate & obsidione generati non desiderabāt, quā non nouerāt libertatem.* Et quia *perit pius pro impio*, multos Sanctorū, tàm Clericorū, quàm Monachorū & Sanctimonialium, sub hoc contigit occubuisse excidio. Vrbes munitissimæ licet, longa obsidione euertebātur, Ecclesiæ Sanctorum exurebantur, altaria iugulatorum ante ea Sacerdotum sanguine propha- C D

*D. Hieronymus Epist. 11. ad Ageruchiā.*

*Populi per Vādalos deuastati*

*S. Exuperius Episcopus Hūnis restitit.*

*Sapient. 19.*

nabantur

A nabantur, pueri, innuptæq; puellæ suffocabantur, Virgines Deo dicatæ violabantur, Monachi & Clerici ludibrio & spectaculis exponebantur, & omnibus in commune diuersa mortium facies adhibebatur. Et quia sic portio populi merita erat nequissimi, vsq; ad internecionem gladius sæuiebat Altissimi: Vnde contigit S. Nicasiū, Remensis Vrbis Episcopum, sicut & alios multos cum Eutropia sancta Virgine eius sorore, hac Hunnorum incursione, marmora Ecclesiæ prætiosi Sanguinis imbre cruentasse. Nec solum nostri hac sunt pœna mulctati, sed etiam hæreseos Arrianæ defensores Gothi, qui soli Valenti Augusto & Romanis in Gallia resistere videbantur & reniti, à Hunnis sunt crudeliter deuastati, & Athalaricus eorum Rex
B pro sanguine innoxio, quem nimium effuderat, pulsus à regno meruit exulare. Verùm Hunni fame compulsi, per auaritiam Maximini à Valente Gallijs præfecti, coacti sunt partes refragari, moxque iterum Gallias occupare, & Vrbes & oppida cum incolis vastatione crudeli mulctare.

*S. Nicasius Remensis Episcopus cum sorore S. Eutropia & multis alijs fiunt martyres Gothi Arrianæ hæresis fautores, ab Hunnis sunt deuastati.*

*Hunni iterum vastāt Gallias.*

## ANNOTATIO.

*Quæ sequuntur reperies in Codice Aureæ vallis, ab ipso Aegidio Codicis auctore inserta, & Harigero addita, vt ex quampluribus indicijs & argumentis tu ipse Lector conijcere poteris.*

C OMnibus siquidem Sanctorum virtutibus emicuisse cognoscimus sanctum Seruatiū, qui magna virtute Spiritus sancti, dum linguâ maternâ verbum Dei loqueretur populis, siue diuina celebrando, seu prædicando, vel in confessionibus audiendis, cuiuscumque essent nationis, distinctè intelligebant, & in hoc eum parem Apostolis facimus, qui post dationem sancti Spiritus, omnium gentium linguis loquebantur; cum autem de sæcularibus loquebatur, nec ipse populum, neque populus eum intelligere poterat, nisi per interpretem. Cùm Missarum solemnia quotidie celebraret, post Sacramentum Dominici Corporis, nullarum epularum postea curabat gustum, vnde quasi spiritus & anima ab omnibus considerabatur. Porrò spiritalium fratrum charitate aliquan-
D do exoratus, vel infirmitatis causâ victus, sed raro, soluebat ieiuniū. Ciborum eius reliquiæ leprosos mundabant, dum sumerentur, & ab obsessis Dæmonia fugabant, & quicumq; æger, manus eius vel pedes tangebat, statim sanus exiliebat. Guttæ etiam aquæ, quæ de lotis manibus eius effluebant, omnibus infirmis sanitatem præstabant.

*S. Seruatius de diuinis loquēs ab omnibus cuiuscumq; nationis intelligitur*

*Quotidie Missā celebrat, nec præter Corporis Domini, aliarū epularū gustum habet.*

*Varijs modis sanat ægros & dæmoniacos.*

Talibus tantisq; gratiarū muneribus antiquus inuidens inimicus, Octauienses incitauit aduersus S. Seruatium: Primò detrahentes murmurabant, postea manifeste furētes clamabant: Quid nobis cum homine ignoto, simplici & stulto, qui nescit iudicialia & leges terræ, qui non frequentat Reges & Curias, vt consuetudo est aliorum Pontificum, sed semper est in solitudine & silentio! vnde etiam res & ho-

*Inimicus incitat Tungrenses aduersus S. Seruatium. Contumeliæ in B. Seruatium.*

& honores diſperierunt ex eius otio: Et hæc clamantes irruerunt in eum tanquam ad latronem, & vix à vulneribus abſtinentes ſe, procul eum ab vrbe abiecerunt, ſancto Domini hilari vultu ſuſtinente. Ibat exultãs, quoniam *dignus habitus eſt pro nomine Domini Ieſu contumeliam pati.* Secuti ſunt illum Canonici, nolentes eum deſerere prædicantem verbum Dei, donec perueniret Traiectum. In ſtrata publica, quæ appellatur via regia, erat baſilica à beato Materno dedicata in honore S. Petri Apoſtolorum Principis. Hanc ingreſſus, intimis lachrymis & verbis conſiderabat, & dicebat: Hic ſanctus Domini Maternus deambulauit, iſtic verbum vitæ pronunciauit, hic ſedit, hic orauit: Conueniebant ad eum plurimi verbum vitæ percipientes, quos ipſe benigniſſime recepit, & paterna pietate confouit. Miſit itaq; Dominus Angelũ ſuum quibuſdam ſenioribus in Chriſti nomine congregatis, dicens, cur ſanctum Domini inquietari permitterent, & vt de cætero cauerent ne inquietaretur, firmiſſimè præcepit. Sic ſtupefactis omnibus, nemo Sanctum Domini ſuſcitare præſumpſit, donec ipſe voluit.

*Tungrenſes ab Vrbe S. Seruatium eijciunt.*

*Act. 5.*

*Excipitur Traiecti in Baſilica à B. Materno cõſecrata.*

In hac ergò ſanctæ cõtemplationis quiete Creatori cœleſti intentus, cuncta præcognouit, quæ ſuperuentura erant in ſæculo, præcipueq; excidium Tongris & Galliarum. Igitur cum ſanctus Seruatius prædiceret Eccleſiarum per Gallias excidium, & maximè Octauiæ, fit rumor & tremor per populos, rogaturq; venire in Franciam ad vrbem Trecaſſinam: Quò cum perueniſſet, & obuios haberet primates & Maiores regni, rogatus exponit mala, quæ ventura erant Gallijs & Tungris. Quibus auditis & territis, vnanimi petitione petierunt Sanctum Domini, vt iret Romam, ad quærendam interceſſionem Apoſtolorum Principis, vt Deus prædicta dignaretur auertere. Superatus iuſtantiâ petentium, acquieuit; licet ſciret non immutari ſententiam diuinam. Indixit ergò omnibus ieiunium, & corrigi perſuaſit omnes mores indiſciplinatorum.

*Cõtemplationi intentus cognoſcit mala ſuperuentura.*

*Exponit mala quæ ventura erant Gallis & Tungris.*

*Rogatur ire Romam ad quærendam Principis Apoſtolorum interceſſionem.*

Colonienſium etiam Archiepiſcopum Euphratem dixit nociturum ſanctę Eccleſię, neq; tutum ſibi eſſe talem hæreticum poſt ſe relinquere. Conuocatur ergò Concilium, inuitatur Clerus ad Synodum, & quatuordecim Epiſcopi, qui omnes ſe ſubmittebant ſententiæ beati Seruatij. Dicebant aliqui, non eſſe conueniens, vt tantæ Ciuitatis degradaretur Epiſcopus, ſed debere ei iniungi pœnitentiã ad correctionem. Ad hæc beatus Seruatius viuaciter reſpondit: Iniuſta eſt defenſio Euphratæ, ſed ſi pœnitentia eſt imponenda, quæ nulli conuerti volenti neganda eſt, potius hanc cenſeo, maiorum exemplo, inter laicos agendam. Nos certè Pontifices criminis arguimur, ſi hæreticos in Eccleſia Dei regnare patimur: Euphratem igitur, qui Chriſtum Saluatorem noſtrum negauit eſſe Deum, ego nego poſſe eſſe Epiſcopum, & quiſquis ſectam eius non aduerſatur, Iudæorum blaſphemias amplexatur.

*Vult prius deponi Euphratem hæreticũ.*

*Euphrates negabat Chriſtũ eſſe Deum.*

CON-

A

## CONCILIVM AGRIPPINENSE.

ANno Dominicæ incarnationis trecẽtesimo quadragesimo sexto, quarto anno ducentesimæ octuagesimæ olimpiadis, Imperij autem Constantij filij Constantini sexto, indictione quarta, facta est degradatio Euphratæ Coloniensis Archiepiscopi, consentiente & subscribente Iulio Papa, & omnibus Italiæ, Galliæ, Germaniæ episcopis, post consulatum Amantij & Albini, quarto idus Mayas, cùm cõsedissent episcopi in Agrippinensiũ ciuitate, id est, Maximinus Treuirorũ, Seruatius Tungrorũ, Valentinus ab Arelato, Donatianus Cabilonorum, Seuerinus Senonum, Optatianus Tricassium, B Iessius Nemetensium, Victor Vangionum, Valerianus Antisiodorẽsium, Simplicius Agustudunensium, Amandus Argentoratensium, Iustinianus Raraucorum, Eulogius Ambianensium, Dioscolus Remorum, consentientibus & mandantibus Martino episcopo Mogũtiacensium, Victore Mediomatricorum, id est, Metis, Desiderio Lingonensi, Pancratio Visocensium, Santino Articlauorum, vel Virdunensium, Victorino Pariseorum, Superiore Neruiorum, Mercurio Suessionum, Diapeto Aurelianorum, Eusebio Rothomagensium.

*Tempus Concilij Agrippinẽ quo Euphrates deponitur.*

*Episcopi qui interfuerunt Concilio Agrippinensi, & consenserunt in depositionem Euphratæ.*

Cũq; recitata fuisset epistola plebis Agrippinensium, sed & omnium castrorũ Germaniæ secundæ, de nomine Euphratæ, qui Christum Deum negauit, Maximinus Episcopus dixit: quia Dei volũtas C patris nostri Iesu Christi voluit nos, iuxta postulatum fratrũ ad hoc Agrippinense oppidum conuenire, propter perditum & blasphemũ Euphratem, quem omnis mundus iam ore Domini cognouit esse damnatum, qui in Spiritum Sanctum eatenus blasphemauit, quòd Christum negat; hanc mediocritas mea sententiam fert, sicut Dei & Domini nostri Saluatoris ore prolata est dicentis: *omnia peccata & blasphemia remittentur hominibus, qui autem blasphemauerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro, sed reus erit æterni iudicij*; ideò episcopum eum manifestum est, esse non posse.

*Sententia Maximini contra Euphratem.*

*Math. 12.*

D Seruatius episcopus dixit: quid fecerit, quiduè docuerit Euphrates pseudoepiscopus, non opinione, sed veritate cognoui, pro finitimi loci coniuncta ciuitate, cuiq; publicè & domesticè sæpè obstiti, cùm ille Christum Deũ negaret, audiente etiam Athanasio episcopo Alexandriæ, & præsbiteris, diaconibusq; plurimis; idcircò censeo christianis episcopum eum esse non posse, quia Deum Christum sacrilega voce negauit, neq; illum christianum esse iudicandum, qui eiusdem confinitimus fuerit inuentus.

*Seruatij.*

Valentinus Episcopus dixit: Quia Euphrates Christum Deũ negat, censeo eum Episcopum esse non posse, qui nec laicam communionem debet accipere. *Valentini.*

Donatianus Episcopus dixit: In pace negauit Christum Deum, *Donatiani.*

E & ideò

& ideò Euphratem non esse catholicum. A

*Seuerini.* Seuerinus Episcopus dixit: Cùm constet Euphratem subscriptione fratrum plurimorum, in Spiritum Sanctum blasphemasse, negando Deum Christum, & ego censeo eundem iuxta euangelica præcepta, iure ab Episcopatu esse deiectum.

*Optatiani.* Optatianus Episcopus dixit: Et ego censeo Euphratem in Episcopatu permanere non posse, qui in Spiritum Sanctum blasphemauit, negando Christum Deum esse.

*Iessij.* Iessius Episcopus dixit; Non solum epistolis Episcoporum omnium Ecclesiarum, qui audierunt Euphratem negare Christũ Deũ, sed quod ipse auribus meis audiui, sub præsentia Martini consenioris nostri, & Metropij Præsbyteri, & Quintini Præsbyteri, & Victorini Diaconi, ideo consensi illum iure esse depositum. B

*Victoris.* Victor Episcopus dixit: Quoniam palam factum est & probatum, Euphratem immemorem Sacramenti cœlestis blasphemasse in Spiritum Sanctum, negando Christum Deum Dei filium, & multis criminibus coarguitur, quod Episcopum vllo modo non decet, consentio illum esse depositum.

*Valeriani.* Valerianus Episcopus dixit: Etsi non omnes conseniores nostri hîc apud Agrippinam Dei voluntate, qui sumus adunati, conuenissemus, suffecerat à quinq; Episcopis, Euphratem blasphemum, quia Christum Deum negat, pro meritis suis sententiari, eodem iure esse depositum: Nunc autem in præsenti maiora cognouimus, multorum etiam charorum laicorum subscriptione manifestum est, quia primordialem Dominum & Deum nostrum negat, cùm per vniuersos Prophetas manifestetur illum ante mundi constitutionem fuisse cum Deo Patre omnipotentem, & quia omnes cecinerunt illum venturum, & pati pro totius mundi salute, sicut ipse cõpleuit. Quapropter Euphrates falsus Doctor, qui tantum nudum hominem asserit Christum, rectè omnium consacerdotum voce damnatus est. Ideò consentio vt si quis epistolas ipsius per Catholicam Ecclesiam attulerit, communione priuetur, eundemq; cẽseo iustè esse deponendum. C

*Simplicij.* Simplicius Episcopus dixit: Esse Episcopũ non posse Euphratem consentio, quia Christum Deum negauit. D

*Amandi.* Amandus Episcopus dixit: Siquidem in præsenti, quãdo Euphrates à quinq; Episcopis sententiam accepit, me inter ipsos fateor esse cõnsentaneum, qui epistolis meis ad eundem deponendũ consensi, secundum falsam doctrinam ipsius, qui Christum Dominum Deum negat, in ipsum sententiam collatam esse constat, ad cuius damnationem consentio.

*Iustiniani.* Iustinianus Episcopus dixit: Ex epistola Clericorum Agrippinẽsium, nec non & fratrum per singula castra constitutorum, quorum epistolæ & subscriptiones tenentur, cognouimus Euphratem esse blasphe-

A blasphemum, qui Christum Saluatorem Dominum nostrum Deum esse negat: Quapropter & ego consentio, illum ab Ecclesia Catholicâ esse damnatum.

Eulogius Episcopus dixit: Diabolus, qui ab initio fuit, qui perijt primus, & cæteros perdidit, ipse hodie in Euphrate persistit, nam & ipse multos secum trahendo decepit, qui tamen meminisse debuerat, Apostolum prædicasse, qui ait: *Etsi Angelus descenderit de cælo, & vobis aliter prædicauerit quam vobis est prædicatum, anathema sit*: Quare Euphrates falsus Doctor, legisq; subuersor, meritò omnium Episcoporum sententiâ damnatus est, qui benedictum Dominum & Saluatorem nostrum, auctorem lucis & vitæ, Iesum Christum Deum negare ausus est. Et ideò pusillitatis meæ consensu, vt meretur, damnatione percussus est. *Eulogij.* *Galat. 1.*

B

Dioscolus Episcopus dixit: Qui Christum Deum negat, in Ecclesia non potest permanere, dicente Domino nostro Christo, *Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum corã patre meo qui est in cælis.* Ideò Euphratem inter cæteros fratres meos arbitror & rectissimè censeo, esse Episcopum non permitti. Item sententia ex Epistola Diapeti Aurelianorum Episcopi: Sed tamen sermonibus istis inter omnium voces, Euphrates damnationi tradatur atq; puniatur, qui Christum negat esse filium Dei, cuius falsa machinatio multis innocentibus attulit prauitatem, sed necesse est vt ipse veterator, cœlesti plaga feriatur. *Explicit Concilium.* *Dioscoli.* *Math. 10.* *Diapeti.*

C Omnibus ergò in Synodo sancta verbis beati Seruatij assentientibus, Euphrates deponitur, & sanctus Seuerinus, vir plenarie Catholicus in locum eius exaltatur, & Romam beato Seruatio profecturo, Gallia post tergũ eius libera ab hæreticis relinquitur. Nam Euphrates non multo post tempore, interno dolore moritur, cuius corpus, quia non promeruit sepulturam ecclesiasticam, contra Nutiam in Rheno tumulatur, vel potius absorbetur. Sanctus igitur Seruatius Traiectum redijt, & populum suum sancta prædicatione cõsolari cœpit. In stuporem erant conuersi Traiectigenæ, quia rumor quotidie crescebat Hunnos in Gallias velle prorumpere. *Omnibus B. Seruatio assentientibus Euphrates deponitur.* *Euphrates moritur, & corpus in Rhenũ proijcitur.* *S. Seruatius Traiectũ redit.*

## ANNOTATIONES.

1. Quæ vt huc vsq; nõ rueret, sancti Exuperij merita præstiterũt.]
D *De præclaris Exuperij virtutibus & vitæ meritis scribit D. Hieronymus in proem. lib. 1. & 2. super Zachariam, & lib. 3. in Amos Proem. ad Pammach. & ad furiam epist. 10. Extat ad hunc ipsum epistola decretalis Innocentij Papæ. Agit etiam de eo Gregorius Turonensis hist. Franc. lib. 2. cap. 13. ex Paulino. De eodem Vsuardus atq; recentiores. Ad hunc quoq;, antequam esset Episcopus, inter claros oratores profitentem, extat Ausonij galli epigramma in commemor. profes. 18.*

2 Vnde contigit sanctum Nicasium.] *Acta Nicasij, Eutropiæ, & aliorum, adidit Surius tomo 6. Agit quoq; de his Otho Frisingensis lib. 4. cap. 28. Sigebertus in Chron. anno Domini 453. Nicolaus olaus in Attila. Vincent. spec. hist. lib. 21. cap. 37. & Petrus in cathal. lib. 1. cap. 69. Quo tempore passi fuerint, non est vna omnium sen-*

*tentia: alij tradunt passos fuisse tempore Wandalicæ cladis, alij sub Attila Hunnorũ Regis, quibus adstipulatur noster auctor.* A

3. Verùm Hunni fame compulsi.] *Locus hic obscurus est & suspectus: similis prope habetur infra, cap. 29. Harigeri, & capite 29. ab Aegidio addito, non de Hunnis, de quibus non videtur ita posse verificari, sed de Francis, his verbis:* Fràci verò per auaritiam sequentium Imperatorum vectigalia ab eis exigentium, coacti sunt & Romanis fidem non seruare, & ciuitates alias, quas adhuc tenent per Gallias, occupare. *Vide ibi textum & quæ ad eum notauimus; sed nec hic locus tantùm nobis suspectus est, tanquam aliũde addititius, sed & totum id quod præcedit, vsq; ad ea quæ ex diuo Hieronimo adscribuntur inclusiuè, ex quo eadem prope prolixius infra loco oportuniori sequantur, vbi saltem videntur debuisse ascribi; nos tamen nihil immutare voluimus, quia, vt ante diximus, nostri instituti est, textum fideliter referre, & codices omnes nostri etiam peruetusti ita habent.* B

4. Coloniensium Archiepiscopum Euphratem.] *Hic Euphrates primò inter catholicos Episcopos celebre nomen habuit. Scribit Athanasius eum à sancto Concilio Sardicensi in legatione missum ad Constantium Imperatorem, vt pro Synodi decretis, Episcopos quos eiecerat, in suas sedes reuerti pateretur; verùm postmodum, cum alijs quamplurimis Episcopis, in arrianismum decidit, & licet plures studio & doctrina Athanasij, Hilarij, Seruatij, & aliorum Catholicorum præsulum, ad rectam fidem conuerterentur, hic pertinax remansit: Cuius occasione Seruatius, antequam Romam proficisceretur, Concilium Agrippinense conuocari curauit. Quàm strennuè Sanctus Seruatius Arrianis sese semper opposuerit, docet Sulpitius libro 2. historiæ sacræ, vbi agens de actu in Concilio Ariminensi contra Arrium, dicit Seruatium Tungrorum Episcopum Arimini minis & terriculis Arrianorum non cessisse, sed cum fœgadio fidei professiones adidisse, in quibus damnabatur Arrius, totaq; eius perfidia.* C

5. In hac ergò sanctæ contemplationis quiete.] *Conformia sunt istis, quæ Surius tom. 1. concil. ad finem Concilij Agrippinensis subijcit ex historia beati Seruatij Episcopi Tungrensis.* In eodem quoque loco (*inquit*) Traiectensi videlicet Ciuitate, reuelante sibi Spiritu Sancto, præcognouit beatus Seruatius, quæ superuentura erant subteriacenti sæculo, conuocatisque fratribus, prædixit barbaricas Hunnorum phalangas de puteo abyssi suæ progressuras fore, orbemque rebellis & criminosi populi, præcipuè per Gallias, nominatim Vrbem Octauiam, depastum iri. It rumor & pauor per populos & prouincias. Rogatur Sanctus in Franciam aduenire Tricassinam. Assensit sancti benignitas, conscenditque obuiam illi omnis Sacerdotalis dignitas. Appellatur exponere, quæ nouerit; Exoratus exponit. Occupat extemplò audientes horror, & mentis hæbetudo, timorque & tribulatio. Initur concilium, placuit supplicationes dirigi Romam ad Principem Apostolorum, quæriturque legatus. Eligitur ergò primùm ad hoc opus Exuperius Tolosanus Episcopus. Sed illo multipliciter excusante, adposcunt voce vnanimi Seruatium legationi. Æquipollentissimum ab omnibus probatur continuò, vt qui nuncius D

A nuncius ad populum electus fuisset à Domino, ad Apostolorũ Principem interpellator dirigeretur à populo. Superatus autem vniuersorum instantia, vix tãdem acquieuit. Hortabatur tamen prædicari ieiuniũ, & corrigi ausus indisciplinatorũ. Sed neq; sic expeditũ satis iter suum iudicat, nisi Euphratã Coloniorũ Pseudopræsulem, quem post tergum suum Ecclesię nociturum timuit, Ecclesiastica seueritas iudicialiter discusserit. Ilicò ergò procedunt vniuersali Principum decreto veredarij veloces Agrippinam, cogitur cętus Clericorum, it Senatus ad Synodum. Pontifices postremò, comitante singulos aliquanta mole populorum, Maximus Treuirorum, Valentinus Arelatensis, Donatianus Cabilonorum, Seuerinus Senonum, Optatianus Tricassinorum, Iessius Nemetum, Victor Vangionum, Valerianus Antissiodorensis, Amandus Argentoratensis, Seruatius Tungrorum, Simplicius Augustodunensium, Iustinianus Rauricorum, Eulogius Ambianorum, Dyoscolus Rhemorum, Diapetus Aurelianorum, procedunt tempore statuto ad Concilium. Iudicantibus autem ibi quibusdam debere correctionem Euphratæ indici, non tamen oportere virum tam clara sede subitò deponi, alijs sanè præpauentibus, ne ex hac venia, causa præstaretur scelus hoc dilatãdi, inter hos illosq; sententia Seruatij mediastim censebatur huiusmodi: Euphratam, qui Christum Saluatorem meum negauit esse Deum, ego nego esse posse Episcopum, cum quo sæpè (Athanasio Alexandrino cognoscente) contendi, diræq; conscientiæ pectus inflexibile depræhendi. Cuius & pœnitentia si qua est expectanda, potius hanc sentio inter laicos, quam inter Episcopos agendam. Nulla mora singulis Pontificibus orationes similes ad eandem normam dictantibus, Euphrata deordinatur, & Seuerinus, qui tunc ex voluntate Dei aderat, plenariè catholicus & sanctus, in locum eius exaltatur.

B

C

---

## *Quod Sanctus Seruatius Romam adierit si quomodo orationibus valeat Gallias ab Hunnis liberare.*

D

### CAPVT XXV.

*Cuius aliquæ partes ab Aegidio additæ sunt.*

QVorum aduentum beatus Seruatius sciens, vt supra dictum est, & audiẽs, simulq; de irruptione suæ Ciuitatis metuens, multis lachrymis & corporis afflictionibus, misericordiã Dñi precabatur, vt populum suum à perfidorum nequitia tueretur. Sed sentiẽs per Spiritum, peccatis populi præpedientibus, id sibi nullo modo concedi, Apostolorum Petri & Pauli limina decreuit adire, vt suæ saltem Tungris ereptionem, per eorum merita mereretur obtinere. Paratis igitur omnibus viatico competentibus, assumptisq; secum comiti-

*S. Seruatius metuit Tungrensibus & pro eis Deum precatur. Frustra pro eis orat Deum. Peregrinatur ad limina Apostolorum Petri & Pauli vt eorum meritis Tũgr. adiuuet.*

*Excipitur honorificè ab Auctore Metensi Episcopo.*

comitibus necessarijs, ciuibus ieiuniorum & orationum super tanto discrimine, indixit instantiam, & sic itinere arrepto, primũ beati Auctoris Metensis Episcopi requirit præsentiam. A

*Additio Aegidij.*

*Sacrificiũ Missæ celebrat in Ecclesia B. Stephani. Lapidem Altaris fractum tactu digiti miraculosè pristinæ integritati restituit.*

Honorificè deniq; ab eo susceptus, rogatusque ab ipso, Missarum solemnia in Ecclesia beati Stephani celebrauit, lapidemque altaris, qui erat miræ pulchritudinis, sed ruente desuper trabe confractus erat, ducto per fracturę margines digito, in pristinam integritatem resolidauit. Beatus autem Auctor Episcopus Metensis, miratus est hospitis sui tantam virtutem: Sed hoc beatus Seruatius non suis meritis, sed beato Auctori tribuebat, & vsq; nunc Traiectenses & Metenses singuli suo assignant illud Pastori. *Huc vsq; Aegidius.* B

*S. Auctor Metensis Episcopus petit orari pro suis ciuibus.*

At beatus antistes Auctor, habita cum beato Seruatio deliberatione, adiudicauit eius ratam esse intentionem, simul exposcens pro se, suaq; Vrbe fundi profusius illic orationem, vt quoniã per se Romam nequibat adire, eius sanctissimis precibus, Apostolis interuenientibus, optatam ereptionem sibi commissis ciuibus mereretur obtinere. Peracto tandem colloquio, acceptaq; licentiâ, dataq; benedictiõe, Episcopus longiùs subsecutus est beatum Seruatiũ, qui prætergressus Basileam, transcensis alpibus, subit Italiam, visitat oppida, illustrat castella, sanat ægrotos, emundat energumenos. Postposita deniq; tanti itineris difficultate, & periculorum immensitate, Romam peruenit. C

*Additio Aegidij.*

*S. Seruatius Romam venit, & stella diuini fulgoris apparet.*

Deniq; nonnullis Romanorum, eâ viâ qua Sanctus venturus fuerat, visa est quasi stella diuini fulgoris aduentasse.

ANNOTATIONES.

1. Apostolorum Petri & Pauli limina decreuit adire.] *Vide Gregorium Turonensem lib. 2. hist. cap. 5.*

2. Beati Auctoris Metensis Episcopi.] *Hic postmodum anno Domini 453. ab Hunnis captiuatus fuit, sed Hunnis cæcitate percussis, cum captiuis vrbis suæ relaxatus fuit, teste Sigeberto anno Domini iam dicto.*

D

## *Qualiter ante B. Petri tumulum per visum de euersione Galliarum, & de suo obitu sit edoctus.*

## CAPVT XXVI.

*Cuius aliquæ partes ab Aegidio additæ sunt.*

*Romæ ad tumulum B. Petri orat pro Tũgrẽ. & Metẽ*

ACcedens ergò ad B. Petri tumulum, deprecabatur interuentione eius auxilium, vt eius occurrentibus meritis & orationibus, à Tungrensi & Metensi Vrbe arceretur infanda gens Hunno-

A Hunnorum. In hac assiduus persistens oratione, maximâ corpus affligebat inediâ, perfundebat lachrymis ora pio prodeuntibus à pectore, nec erat interstitium, quo ab oratione vacaret. Et die quidem, aliorum Sanctorum patronicia frequētabat, nocte verò ad beati Petri suffragium remeabat; tandem quia sine intermissione non cessabat aures pulsare clementissimi Dei, tali meruit visione solari: Videbat, & ecce, coram altari Ecclesię maiori, quasi thronus positus, & in eo sedens Altissimus sanctorum tam Angelorum, quam & Sanctarum animarum concione vallatus: Duos etiam conspicui vultus viros ante ipsum thronum genibus flexis, nunc Domini Maiestatem, nunc Sanctissimæ eius Genitricis implorare subuentionem, B (quos constat præcipuos fuisse Apostolorum, Petrum scilicet, & Paulum) & ob conseruationem Galliarum obnixius supplicare. Et quia vir venerandus, beatus Seruatius, cum sua supplicatione, beati quoq; Auctoris Metensiū præsulis obtulerat preces, vidit in parte Septemtrionali stantem personam, vestibus albis & prætiosis indutam (quam procul dubio constat prothomartyrem fuisse Stephanum) & ad eum sanctos Apostolos responsa quędā perferētes, & ab eo ad Omnipotētis Maiestatem supplicationes quasdam referentes. Sanctum itaq; Seruatium hac contemplatione attonitum, sanctus compellat Apostolus Petrus; quid me, inquiens, sanctissime vir in- C quietas? Præfinitum noueris omnipotentis iustissima sanctione, Hūnos Gallias impetere, cunctaq; Europæ oppida & castella complanare; Tungrensium vrbem, Incolarum peccatis exigentibus, euersam iri, Prothomartyrem verò Stephanum, quem nobis hactenus vidisti colloquentem, pro sua Metensi Ecclesia noueris exauditum, ne Ciuitatis reliquæ debeat sustinere periculum. Tu autem sanctissima anima in sorte Sanctorum iam præelecta, viuens inter peccatores à mundi turbine es in breui transferēda, nē videant oculi tui mala, quæ superuentura sunt in terra: Nec habebis in vrbe scelerata, & ideò peritura, sepulchrum, sed placuit Altissimo oppidum tibi seruare Traiectum, vt illic sepeliatur sanctum corpus tuum.

*Implorat & aliorum SS. patrocinia.*

*SS. Petrus & Paulus per visionem apparēt & respondent S. Seruatio.*

*S. Stephanus seruat ab Hunnis Ecclesiam Metensem.*

*Prædicitur S. Seruatio obitus & sepultura designatur.*

D

*Additio Aegidij.*

Ne tamen Pius Pontifex à conspectu Christi indonatus rediret, salutem omnium animarum Tungrensium, si adhuc conuerti & pœnitere vellent, accepit. Dictu quoquè mirabile, clauim argenteam diuinæ fabricationis, in manu gestandam, à clauigero cœli accepit, in potestatem claudendi cœlum & aperiendi. *Hactenus Aegidius.*

*S. Seruatius si non corporum, animarum salutem suis Tūgrēn. impetrat. Accipit clauim argenteā à B. Petro Apostolo. Math. 16.*

Hoc oraculo Venerabilis Pontifex Seruatius suscepto, reuersionem accelerat, transitumque per Vrbem Metensium habens, beato Auctori indicat quæ in responsis acceperat.

*Additio*

*Additio Aegidij.*

A

Post extasim tantæ visionis, Seruatius seruus Dei, ne magnitudine reuelationum extolleretur, habitauit secum, & deinceps cœlitus vindicis iræ iudicia patuerunt. *[2. Corint. 12.]* Athalaricus enim Rex Gothorũ insectatione barbarica in Christicolas leone crudescit: Gens Hunnorũ inaccessis clausa mõtibus rabie inopina exarsit, vimq; oẽm in opes Romanas sparsit. Ita debacchantibus & opprimẽtibus inde Hunnis, inde Gothis, Romani terminos orbis, seruus Domini Seruatius (vt fama est) vix vrbis Romanæ municipia exierat, cùm latè vagantes Hunnorum incidit in phalãges: *[Capitur ab Hunnis.]* Captus discutitur, trahitur, vinculis mancipatur: Sed qui numine Angelico Apostolos de clauso carcere produxit, idem in vna noctium, in medio hostium, insigne *[Actor. 17.]* B iubar de cœlo indulsit in tenebris Seruatio. Dum rem custodes castrorum mirantur, quædã etiam eis diuinæ dignitatis personæ apparuêre in consolatione vinculati. *[Iubar cæleste illustrat carcerem S. Seruatij]* In ortu auroræ à vigilibus res cognita proditur, & captiuus producitur, &, vt fit, pro illo, & contra illum, multi multa profantur. *[Actor. 7.]* Sed vt dissolueret Dominus cõsilium vanitatis, sicut in concione Iudæorum Prothomartyri Stephano Angeli vultus emicuit, haud secus in tumultu Hunnorum facies Seruatij, solis instar resplenduit. *[Facies S. Seruatij instar solis resplendet.]* Dissidentibus proinde sententijs partium, vni seruandus denuò datur Seruatius, cæteri ad prandium accumbunt. Post epulas, rursus spectaculo reposcitur captiuus: Redit nuntius signum mirabile referre, illum scilicet campo sopitum iacere, & aquilam grandem ponè assidentem, vnius alæ remigio dormientem obumbrare; alterâ veluti flabello auram creare. C *[Dormiens in campo ab aquila protegitur.]* Certatim barbari accurrentes extimuerunt visu, sed aquila officio peracto auia repetit. Seruatius accurrentium strepitu somno excitus, in medio sistitur, & cuius sit religionis exquiritur. *[Iesu Christi fidem profitetur]* Christicolam se esse fatetur: Inde Barbari versi in admirationem, omnes petierunt ab eo benedici, conclamantes illum esse dominum Deorum, qui vt sol diei & luna nocti, sic esset decori die noctuq; sibi obsequentibus: *[Iesus Christus ab Hunnis agnoscitur Dominus Deorũ.]* libertati quoq; illũ honorificè reddunt, vt Apostoli Petri verbum compleretur, dicentis: magnificè glorificaberis in illis.

D

Igitur Italiâ iam Alpibusq; retro relictis, Elisatiæ tandem fines attigit, viciniamq; vangionũ vsq; pertrãsiens, sic forte lassus in itinere senex, sitiens consedit: Neq; verò puteus, neq; aliquis prope erat fluuius. Ad illum ergò mentem reduxit, cuius de latere olim aqua redemptionis humanæ profluxit, dextram leuauit, crucis in modum terram signauit. *[Ioan. 19.]* *[S. Seruatius sitiens fontem miraculosè excitat.]* Statim victoris ante pedes, gurgite pleno fons emanauit, qui salutari gustu, ægris quoque remedia deinde non paucis apportauit: *[Virtus fontis.]* Quorum de grege vidua, vi febrium acerbissimè afflicta bibit, febres reliquit, agros suos Seruatio addixit, sola primũ id exemplũ prætulit, sed minimus quidã ipsius ilicò id secutus, prædia quoq; sua sancto Dei donauit: *[Prima donatio prædiorum S. Seruatio propter miracula ab eo facta.]* Deinde alia sunt à plurimis plurima similiter oblata munera. Fõs autem (vt aiunt) hodieq; potationi

A tioni salubris, tàm pecudũ quàm hominũ, pro fœno suaue olẽs germinat cyminum. Appropinquans Wormatiæ, suscipitur magnificè à beato Amando vrbis eiusdem præsule, cui beatus Auctor Metensium Episcopus, vsq; Wormatiam, præ nimio amore obuiam processit, petens vt Metis denuò venire dignaretur; spopondit, sed ire Coloniam prius disposuit: quò perueniens, sed populi deuotè se circumdantis deuitans frequentiã, hospitium sibi extra muros elegit; cui S. Seuerinus sedulus vsq; in seram noctẽ obsequens, postea, more suo ad monasteria singula, psallendo lustraturus discessit. Inter psallendum rursus ad hospitium hospitis sui, cum quo cor erat illi vnum & anima vna, pedes oculosq; reflexit, signũ mirabile de cella B orantis Seruatij, columnam ignis ad cœli fastigia extolli prospexit: pro cuius miraculi visione, & pro melodia cœlesti, quam ibidem postea in beati transitu Martini audiuit, deinceps ecclesiolam ædificauit, & consecrans portam cœli appellauit. Treuiris quoq; S. Seruatius S. Maximini episcopi eloquiũ expectans, confestim cunctis pœnitentiam euangelizauit. Inde ingressus est iter Metis, vbi totius Franciæ nobilitas eum expectabat. Primo ingressu, præferens humanis diuina, mysteria missarum celebrauit; sed inter agendum eius facies velut ignis radiasse visa est. Mactato tantæ gloriæ sacrificio, in æditiori consistorio locatur, & cum ingenti luctu, quod cognouerat, populo retulit: omnibus stupore graui consternatis, ille San- C ctorum patientiam prædicat, vt imminens periculum võtis & eleemosinis redimerent, ne calamitas superuentura cunctos repentè opprimeret.

*Wormatiæ suscipitur à B. Amando. Auctor Episcopus Metensis procedit illi obuiam. S. Seuerinus Coloniensis Episcopus sedulò S. Seruatio obsequitur. S. Seruatius visitat monasteria. De cella S. Seruatij columna ignis ad cœli fastigia extolli-tur. S. Maximinus Treuirẽsi Episcopus alloquitur S. Seruatium. Metis expectatur, à totà nobilitate. Ante omnia Sacrificiũ Missa celebrat. Coram populo enarrat quæ Romæ per visiones ab Apostolis didicit.*

ANNOTATIONES.

1. Accedens ergò ad beati Petri tumulum deprecabatur. ] *Adstipulatur Gregorius Turonensis lib. 2. historia Francorum cap. 5.*

Erat (*inquit*) tunc temporis in Tungris oppido Seruatius, eximiæ sanctitatis Episcopus, qui vigilijs ac ieiunijs vacans, crebrò lachrymarum imbre perfusus, Dei misericordiam deprecabatur, ne vnquam gentem hanc incredulam, seque semper indignam, in D Gallias venire permitteret. Sed sentiens per Spiritum Sanctum, pro delictis populi, hoc sibi non fuisse concessum, consilium habuit petendi Vrbem Romam, scilicet, vt adiunctis sibi Apostolicæ virtutis patrocinijs, quæ humiliter à Deo flagitabat, faciliùs obtinere mereretur. Accedens ergò ad beati Petri Apostoli tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis eius, in multa abstinentia, maximâ mediâ se consumens, ita vt biduo triduoque, sine vllo cibo permaneret, nec esset interuallum aliquod, in quo ab oratione cessaret.

Cumque ibidem per multorum dierum spatia in tali afflictione moraretur, fertur hoc à Petro Apostolo accepisse responsum: Quid me vir sanctissime inquietas? Ecce enim apud Domini deliberatio-

nem prorsus sancitum est, Hunnos in Gallias aduenire, easq; maxima tempestate debere populari. Nunc igitur sume consilium meũ, accelera velociter, ordina domum tuam, sepulturam compone, require linteamina munda, ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala, quæ facturi sunt Hunni in Gallijs, sicut locutus est Dominus Deus noster. A

2. Vt eius occurrentibus meritis.] *Quidam Codex legit* succurrentibus. *Sed veteres Codices Aurea vallis, Cruciferorum & Capucinorum apertè legũt* occurrentibus.

3. Tali meruit visione solari.] *De hac visione & euersionis Vrbis Tungrensis ineuitabili iudicio, scribit Sigebertus in Chronico anno Domini 453.* Hoc excidium *(inquit)* Gallijs impendere Seruatius Tungrensis longè ante in spiritu præuiderat, & Romæ à Petro Apostolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didicerat, ideoq; relicta Tungrensi Vrbe, quæ euertenda erat, ad Traiectum sedem Episcopalem transposuit. *Huius visionis festum celebrat Ecclesia Dominicâ post octauas pascha: festum natalis eius celebratur 13. Maij, & triumphus eius celebratur Dominicâ primâ Iulij.* B

4. Ne Ciuitatis reliquæ debeat sustinere periculum.] *Textus est obscurus, vult dicere, Protomartyrem Stephanum precibus à Deo obtinuisse, vt saltem oratorium ipsi consecratum in Ciuitate Metensi, excidium & flammas ipsius Ciuitatis euaderet.*

5. Vt illic sepeliretur corpus sanctum tuum.] *Post illa verba sunt quædam verba Harigeri interpolata incipientia:* Hoc oraculo, *quæ restituimus vsq; ad illa verba Aegidij:* Ne tamen Pius Pontifex, *sic vterq; textus manet integer.* C

6. Cui Sanctus Seuerinus.] *Gesta huius Seuerini scripsit Fortunatus, vt testatur Gregorius Turonensis de glor. confess. cap. 45. Alia insuper incerto auctore ex vet. M. S. edidit Surius tom. 5. De eius electione agitur in appendice Concilij Agrippinensis habiti post Consulatum Amantij & Albini, anno Domini 346. secundum veriorem Baronij supputationem. Diu sedit, nam tempore obitus S. Martini adhuc superstes erat, vt scribit Gregorius Turonen. lib. 1. mirac. S. Martini cap. 4. obijsse autem S. Martinum idem Gregorius auctor est Cæsario & Attico Conss. anno Domini 397. Fit etiam mentio de eodem Seuerino in actis S. Energisli eius Diaconi, & inde *Episcopi Leodiensis lib. 2. cap. 27. & apud Sigebertum in chron. anno 399.*

* *Episcopi successoris apud Suriũ tom. 5 die 34. Oct. & in vitâ S. Amonis* *

7. Sancti Maximini Episcopi eloquium expectans.] *Huius res gestas à Lupo quodam conscriptas recitat Surius tom. 3. Interfuit Concilio Agrippinensi, de quo statim. De eodem Hieron. in chron. ait, ab eo susceptum hospitio Athanasium, cum Treuiris exularet integro biennio & mensibus quatuor, vt ante notauimus ex Theodoreto. Præsens fuit idem Maximinus Concilio Sardiceno, imò primo loco sedit, vt testatur Athanasius, cum recenset episcopos Galliarum, qui illuc conuenerant in apol. 2. col. 423. Mortuus est Constantij Imperatoris temporibus, vt constat ex eodẽ Athanasio in apolog. ad Constant. col. 316. Passus est & ipse Maximinus grauia ab eodem Imperatore Arriano, eò quòd faueret catholicis & impugnaret hæreticos, vt fusè scribit Nicephorus hist. lib. 9. cap. 12. In tabulis episcoporum Treuirensium ascribitur Maximinus vigesimus sextus episcopus: De miraculis ad eius sepulchrum fieri solitis, agit Greg. Turon. de glor. confess. cap. 93.* D

Rediens

A

*Rediens quid viderit, commisso gregi exponit.*

## CAPVT XXVII.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

EGressus tandem ad vrbem Tungrensem, conuocato Clero simul cum populo, hortabatur vniuersos in animarum suarum salutem fore sollicitos, quibus tantum imminebat discrimen. Dicebat autem eis: Iam collegio vestræ fraternitatis nequeo cęlare, quod per triduum dissimulans tandem compellor dicere: super vestra salute beati Petri sepulchrum adij, huius vrbis reseruationem, supplicatione præmissa petiui, sed peccatis vestris exigentibus, ineuitabilis instat ei interitus, vobis quoq; æternalis imminet perditio, nisi morum ex toto corde præcedat cõuersio. Quapropter prohibitus sum & hìc effodere mihi sepulchrum, & ad vicum Traiectẽsem hinc transmeare iussus sum, vt illìc me dies assumat extrema, ne me cõtingat vel cernere, vel perpeti mala. Ab hac iam die faciem meam non videbitis, nec vlterius me vobiscum cõmorantem conspicietis, quia post breue tempus corpusculum hoc sum relicturus, neque huc deinceps reuersurus: veruntamen certos vos esse cupio, quòd si corporibus saluandis interuenire nequeo, animabus saltem vestris incolumitatem semper impetrare curabo. *Tandem redit ad Vrbem Tungrensem.* B *Retenset Clero & populo quæ Romæ didicerat.*

C

*Additio Aegidij.*

Deinde clauim argenteam, quam à Petro Apostolo acceperat, ostendens: Hoc (ait) munere per Clauigerum cœli mihi dato, noueritis vobis correctis me cœlum aperire, incorrectis autem claudere. Interim dũ adhuc ira vindicis Dei differtur, curemus ne sancta nostra simul nobis eripiantur cum Vrbis excidio. Quapropter corpora Sanctorum & vasa sancta hinc Traiectum transferam, quæ profugis Octauiæ olim reputentur in solatium. His dictis, dum in cardine res vacillat, festinanter sanctorum Valentini, Nauiti, Marcelli, Metropoli, Seuerini, Florentij, Martini, eiusdem Vrbis Episcoporum, & aliorum Sanctorum rěliquias tolli imperat, & cruces, diuini mysterij vasa, simulq; sepulturæ suæ necessaria. Quæ viscera etiam si essent ferrea, carerent luctu, dum vnicæ spei suum Pontificem se vidit Octauia deferentem, vltimaq; desperatione sacra simul omnia deferentem? Sequebatur autem, ac præcurrebat, & circumdabat pium Pastorem concursus vniuersorũ ciuium: & hìc erant inquietantium strepitus populorum; illìc verò, obiectio infirmorum & leprosorum. Sanctus autem curam suam, scilicet languidos intuens, vtraq; se in lachrymas & singultus cõmouens, singulis manus imposuit, vniuersosq; sanitati restituit, præter paucos, postea Traiecti ad exequias suas curandos. Dum itaque vario strepitu dignæ hìc gra- *SS. Prædecessorum suorum & aliorum SS. reliquias Traiectum defert.* D *S Seruatius compassione motus curat infirmos.*

*Angeli Hymnus SS. reliquias honorãt.* tiæ aguntur, illicque dolor & fletus ingemiscunt, subitò voces exaudiuntur de cœlo hymnizantium sacri præsulis & sanctarum reliquiarum, iter à porta Tungrensi vsq; ad portam Traiecti concentibus comitantium. Inter eundum quoq; locus apparuit amœnus, fessis ibi residentibus: Deinde visa est instar puluinaris tellus intumuisse, sanctoq; superseßuro, sese in suggestum extulisse. *Miraculum.* Testis est tumulus priscæ veritati; qui vsq; adhuc capita reclinaturis idoneus ibidem viridescit. Tunc sanctus oues circũfusas, consolando allocutus: En (ait) quomodo verna temperies redit post hyemem; sic post mortem orietur beatis requies. A

ANNOTATIONES. B

1. Egressus tandem ad vrbem.] *Ita Codex Aureæ vallis & Cruciferorum. Quidam legit* regressus. *Confirmant hoc caput quæ habet Gregorius Turonensis, superiore capite, prima annotatione citatus; Sic enim ille cap. 5. ibi annotato historia Francorum, loquitur*: Hoc à S. Apostolo Põtifex respõso suscepto, *(de ineuitabili videlicet excidio Galliarum, & imprimis Vrbis Tungrensis)* iter accelerat, Galliasque velociter repetit: Veniensque ad Vrbem Tungrorum, quæ erant necessaria sepulturæ, secum citiùs leuat, valeque dicens Clericis ac reliquis ciuibus Vrbis, denunciat cum fletu & lamẽtatione, quòd non visuri essent vltra faciem eius. At illi cum eiulatu magno & lachrymis prosequentes, supplicabant humili prece, dicẽtes: Ne derelinquas nos, Pater sancte. Sed cùm eum fletibus reuocare non possent, accepta benedictione, cum osculis redierunt. Hic verò ad Traiectensem Vrbem accedens, modica pulsatus febre, recessit à corpore, ablatusque à fidelibus, iuxta ipsum aggerem publicum sepultus est. C

2. Valentini, Nauiti.] *De his supra ad calcem capitis 17.*

3. Subitò voces exaudiuntur de cœlo hymnizantium sacri Præsulis & sanctarum reliquiarum iter à porta Tũgrensi vsque ad portam Traiecti concentibus comitantium.] *Codex Aureæ vallis pro* concentibus, *legit* continentibus, *vitio amanuensis. Codex Capucinorum legit* concinentibus. *Quæ reddunt textum planè obscurum. Nos restituimus* concentibus *ex M. S. Codice, quem nobis suppeditauit D. & Magister Daniel Raymundi, Canonicus capellæ S. Materni in Ecclesia Leodiensi, vir pius, & antiquitatum Ecclesiæ Leodiensis diligens & studiosus perquisitor.* D

*Oratio eius, Cleri & populi lamentatio, & de obitu ipsius*

## CAPVT XXVIII.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

POst exhortationis solamẽ, subrectis ad cœlum oculis cum manibus; Deprecor te (inquit) Iudex æquissime, qui animam tuam pro tuis ouibus dedisti, quas in sanguine proprio redemisti, hũc tuum

A tuum gregem à luporum ſpiritualium voracitate defende,& ab hoſtium carnalium furore potenter eripe, ne in animabus eorum aliquandò vel iſti præualeant, vel eorum illi corpora vlla mundialī poteſtate ſubruant, vt aliquot de eis ad te poſſim reportare manipulos.

His igitur à beato Seruatio flebiliter peroratis, mox vniuerſus aſtans populus, clamoribus magnis irrugijt, luctus & eiulatio ab vtroque ſexu increuit. Tunc vniuerſi cum lachrymis & vociferatione permaxima, patris inſequentes veſtigia, mœrenti voce dicebant; ne nos derelinquas, Pater ſancte,ne obliuiſcaris noſtri,Paſtor vigilantiſſime; nos populus tuus & oues gregis tui, ne nos dimittas B in ſæuientis faucibus inimici. Monachi verò, & Deo ſacratæ Virgines,omniſq; in cõmune Clerus proſequebantur,pectora percutientes, hæc quoque ingeminantes: cur,Paſtor bone, nos tam citò deſeris, vel quò nunc te proripis? Educ nos tecum, vt commorientes conſepeliamur tibi, quibus ſolum eſt infortunium poſt te relinqui: Ve nobis qui tuâ præſentiâ idcircò deſtituimur, quia vindictæ cœleſti exponimur, nec digni ſumus, commoriendo tibi,hac pœna liberari, teque indignum nimis eſt,perditioni noſtræ nobiſcum implicari: Quid erit de miſeris,quibus aufertur tanti præſentia patris? Quid acturi ſumus, qui ſine te viuere nequimus, ſed morti peſſimæ C tradendi ſumus?Propoſitam,benigniſſime Pater,muta intentionem, aliquam faciens progreſſionis dilationem, fructũ noſtræ pœnitẽtiæ dignetur acceptare, qui Niniuitis dignatus eſt parcere. *Ioan. 3.* Sed & imbecilles,& claudi,pauperes,& peregrini,viduæ,& pupilli cum fletibus magnis & ſingultibus clamabant, dicentes:Quis deinceps conſolabitur miſeros,fame & frigore perituros? Quis daturus eſt victum? quis tribuet indumentum? Nudi ſumus & famelici, quis miſerebitur noſtri? Sed cum his reuocari non poſſet, data eis Pontificali benedictione, coëgit redire. Et cùm Traiectum peruenirſſet, modica pulſatus febre, poſt modicum fragile corpus deſeruit,& à viris fidelibus iuxta aggerem publicum ,tertio idus May eſt ſepultus.

*Additio Aegidij.*

D Et cùm Traiectum perueniſſet, in Baſilica iuxta aggerem publicum, à beato Materno quondam ibi constructa, imperat criptam in medio fieri: Illuc vniuerſum Octauiæ traſtulit theſaurum, ſuumq; interlocat ſarcophagũ. Præcognito ſiquidem die ſui obitus, per triduum lenta febre correptus eſt: nam Angelus Domini, cum Miſſarũ myſteria celebraret,à dextris altaris apparuit,& certũ ei finem & requiem oſtendit. Sic confortatus Angelica viſione, & diuinis participans ſacramentis,cõmonefecit plebem cœleſtium præceptorum,vſq; ad horam diei nonã. Nonâ igitur horâ diei,conuerſa facie in orientem,& oculis reuerenter apertis, cõmendat Dño in vltima hora oues,quibus timebat.Tũc ſplẽdor nimius de cœlo ſuperilluxit, & tertio idus Maij,cum ipſo ſplendore ad patriam luminis aſcendit.

*S. Seruatius imperat criptã fieri in Baſilica à B. Materno constructa, in qua collocet reliquias SS. prædeceſſorum ſuorum, & ſuum ſarcophagum. Angelus S. Seruatio diem obitus ſignificat. Diuinis participat Sacram. Moritur tertio idus Maij.*

Spectante quoq; omni populo & admirante, velamen quoddam sericum, Angelicis manibus allatum est super venerabile corpus: auditæ sunt etiam voces in excelso Deum laudantium. Quotquot itaq; conuenerant ægri, celeri donati sunt sanitate, omnesq; qui ad portam debiles remanserant, ad funus Seruatij occurrentes, sospitatem meruerunt, septemq; diebus celebratæ sunt eius exequiæ, & octaua die sepultus est in præfata Ecclesia, iuxta aggerem publicum, tertio Idus Maij, circa annum Domini trecētesimū octuagesimū octauum, duodecimo anno Pontificatus B. Martini Turonensis. Reseruatur in præfato monasterio, vbi corpore requiescit beatus Seruatius, clauis illa, quam ab Apostolo Petro accepit, dùm oraret apud Deum pro imminenti excidio Galliarum; quæ huius virtutis esse dignoscitur, vt si aliquando soricum pestis, aut tale aliquid agros inuaserit, ipsa per agros deportata, omnem huiusmodi putredinem funditùs extinguat: Testati sunt Clerici, qui eam aliquando per agros Hasbaniæ, Tessandriæ, atque Saxoniæ circumtulerunt, cum eadem qua ierant via, repedarent, se aceruos inuenisse soricum extinctarum: Hæc aliquandò cum thesauro Ecclesiæ à furibus noctu sublata est, Clerici autem pro ea, potius quàm pro thesauro non modicè contristati, statuunt pro hoc communiter inuocare Dominum, triduanumq; ieiunium, atq; solemnes litanias sibimet indicunt. Cùm igitur litanias agendo longiùs procederent, vident eminùs cuidam spineto maximam auium multitudinem insedisse, Deo vtique per hoc huius rei, pro qua rogabatur, indicium dante; siquidem fures, cùm partem thesauri detraxissent, diuinitus perterriti, reliquam partem, & ipsam clauim, sub spineto, fossâ humo absconderant. Foderunt igitur, & ita inuenerunt. Sed, quod ad cumulum doloris accessit, ipsam clauim in duas partes fractam repererunt. Cùm igitur fidelibus ac probatis artificibus redintegrando committeretur, nec quenquam eorum sequeretur effectus, dolentibus & anxijs omnibus, apparens vni ex dictis fidelis patronus Seruatius, non posse ait, arte humana refici, quod ab homine factum non esse constaret, quærendum esse diuinum auxilium, vbi humanum succumberet ingenium. Sic itaque commoniti, post solis occasum, altari illam imponunt, & ad matutinorum solemnia surgentes, integram ac solidam recipiunt, Deo, ac prouisori suo, beato Seruatio gratias in omnibus agentes. Si quis autem alia miracula, quæ per eum Dominus, in eadem Ecclesia vbi requiescit, scire desideret, librum miraculorum eius relegat: nos verò ad historiam manum retrahamus.

*Angeli velamen sericum corpori S. Seruatij superponunt.*

*Aegri omnes qui funeri interfuere, à S. Seruatio defuncto sanantur.*

*Moritur circa annum Domini 388.*

*Virtus clauis S. Seruatij.*

*Clauis S. Seruatij furto sublata miraculo reperitur.*

*Clauis S. Seruatij fracta miraculo redintegratur.*

*Liber miraculorū S. Seruatij*

A B C D

ANNOTATIONES.

1. Data eis Pontificali benedictione coēgit redire. ] *Sunt hic quadam verba Harigeri interpolata, quæ, vt eius textus integer haberi possit, ascripsimus:* Et cùm Traiectum *vsq. ad eadem verba Aegidij:* Et cùm Traiectum.

2. Si quis autem alia miracula. ] *Memorabile est quod appendix Reginonis habet:* Anno, *inquit* 944 dùm Rex Duisburgi in rogationibus placitum

cum

A cum primoribus Lotharienſium haberet, illuc Traiectenſis Clerus deportauit S. Seruatij corpus, ob multimodas ſibi ab Immone illatas iniurias, huius ſcilicet præſentia & virtute, iniuriarum à Deo vindictā ſibi certò pollicentes: Quando enim eccleſiaſtici à potentioribus opprimebantur, aut ad orationes confugiebant, & alia pietatis opera, aut Sanctorum ſuorum pignora adferebāt, vt ea, velut de iniuria ſibi illata expoſtulantia, Principes terræ reuererentur. Cui affine eſt, quod vacante Imperio inter Othonis obitum & S. Henrici ſucceſſionem, potens quidam apud Confluentiā B. Seruatij prædia inuaſerat; ſed Traiectenſes mox feretrum ſui patroni eò attulerunt, per quem, tanquam fortiſſimum bellatorem, rerum ſuarum ſunt
B potiti. Ex monument. Carthu. Conflu. *Hoc pacto B. Remaclum ſuum monaſterium Malmundarienſe defendiſſe, inferius ſuo loco annotabimus.*

*Nec minus memoria dignum, memorabilem illam Caroli Martelli victoriam (in qua, ſecundum eos qui parciſſime referunt, perierunt trecenta ſeptuaginta quinq; millia) in natali S. Seruatij accidiſſe, ipſumq; Martellum & totam Franciā B. Seruatij patrocinijs poſt Deum, hanc victoriam aſcripſiſſe.*

C *Quod Hunni multas Galliarum vrbes cum Tungri ſubuerterunt, quos tandem Franci à Gallijs expulerunt.*

## CAPVT XXIX.

POſt huius obitum Hunni, ſubuerſis quamplurimis Galliæ Vrbibus, Ciuitatem quoque diruêre Tungrorum, deinde Metenſem petentes Vrbem, in vigilia paſchæ, eam obſidionibus circundederunt; fatigati verò longa obſidione, cùm de abſceſſu iam tractarent, muri Ciuitatis vltrò corruêre, aditumque reuertentibus patefecêre. Ilicò Ciuitatem ingreſſi, peremptis omnibus, ipſam tradiderunt incendio, remanēte intacto beati Stephani oratorio, quod videbatur à quodā ſplendidiſſimo deſuper ſtante viro defendi. Poſt
D eam igitur vindictā, quæ ab iſtis facta Galliarum cæde legitur, Wandalica item crudelitate ſequente, incertum eſt quanta temporis intercapedine, Eccleſia Tungrenſis fuerit ſine Pontifice, paucis qui ſupererant chriſtianis, in abditis montium latitantibus, & cauernis petrarum. Nam & Franci, qui ab Antenore ducebant originem, & in Venetia, ſicut & alij in Mauritania multitudine excreuerant, qui & Sicambri, vel à quodam duce ſuo Moringi dicebantur, cùm præ multitudine nimia, non poſſent ſua eis ſufficere loca, palantes hâc illâc, intenti prædis erant & rapinis, nec ſtationem hactenus certam inuenerant, ſolum eis Toringia profugium erat: Quibus Valens Imperator, ad quem ſumma Imperij pertinebat, & proprium nomen qui Francus Atticâ linguâ vocabatur, impartiuit, & partem galliarū ad

*Hunni Tungrorū Ciuitatem diruunt.*

*Similiter & Metenſem.*

*Oratorium S. Stephani Metis manet intactum.*

*Vacat ſedes Tungrēſ, incertum quanto tempore.*

*Origo Francorum.*

*Franci vnde ſic dicti.*

*Expulsum Hūnos à Gallijs*

*Franci excutiunt iugum Imperatorū.*

*Multæ Ciuitates in Gallijs carent Episcopis.*

ad inhabitandum, sine vectigalium exactione concessit: Et isti Hunnos ad Mæotidas iterum paludes, vel in Pannoniam compulêre, vbi post multos annos à Carolo Magno Imperatore & filio eius Pipino, penitus etiam nomine disperiêre. Franci verò per auaritiam sequentium Imperatorum vectigalia ab eis exigentium, coacti sunt & Romanis fidem non seruare, & ciuitates alias, quas adhuc tenēt per Gallias, occupare, quibus adhuc ritibus Paganis inseruientibus, multæ ciuitates episcopis carebant. A

## *Quod Hunni multas Galliarum vrbes cum Tungri subuerterunt, quos tandem Franci à Gallijs expulerunt.* B

## CAPVT XXIX.

*Ab Aegidio additum.*

*Attila vt solus regnet fratrem occidit.*

*Cum Aetio Romanorum patritio bellum gerit.*

POst obitum beati Seruatij, completis annis septuaginta, quos Dominus ad pœnitentiam concessit omnibus confugientibus ad sepulchrum eius, per Gallias Hunnorum erupit sæuitia; Attila namque, qui regnabat in Pannonia & Datia, nimio ardens desiderio belli, fratrem suum Bledam nomine, occidit, omnesque milites eius, vt solus regnaret, sibi subdidit, & in circuitu Reges, cum populis suis & prouincijs, suæ ditioni subiecit, plurimasq; gentes fœdere copulauit: quo facto, Ætio patritio Romanorum bellum indixit. C

*Gundicarium Regem Burgundiorum vincit.*

*In bello cum Aetio inito, Theodericus Rex Gothorū occumbit.*

Igitur Ætius Romanorum patritius, edoctus & expertus fraudes Hunnorum, gentes plurimas & fortissimas collegit, & sibi indissolubili pacto firmauit, ne imparem congressum faceret cum Attila. Primus ingressus Attilæ in Gallias fuit, vbi Gundicariū Regem Burgundiorum vicit. Post hoc, bellum cum Ætio vespere inijt, in qua hora vespere, centum & octoginta milia occisa sunt ex parte vtraque, & non, vt Attila voluit, Ætius patritius, sed Theodoricus Rex Gothorum in acie occubuit. Ea nocte tota in castrorum custodia peracta, mane bellum iterum est inceptum, quia vindicare cupiebant Regem sui occisum: Sed cùm Gothi essent fœderati Ætio patritio, & iam Hunnos pro parte Ætij patritij superarent, timuit Ætius Gothos, quia si vincerent Attilam, sibi de cætero nollēt subijci, sed æquè vellent dominari, & cōtra se insurgerēt, si penitus præualerent, motu signi bellici bellum totum deponi fecit & cessari: sed hoc fecit valde stultè. Sed tempus erat oportunum, vt flagellum Dei per Hunnos perficeretur in Gallias & maximè Tungris. D

*Attila solutus timore Aetij, omnes Galliæ prouincias vastat.*

Igitur Attila bello solutus, & metu congressus ereptus, totus infremuit, & in omnes prouincias irruens, quantas occidit, quot ciuitates & oppida igne cōbusserit, quamque feraliter Ecclesias Dei deuasta-

A deuastauerit, nemo plenè sufficiet dicere. Tantis itaq; exagitatus Attila furijs, Gallias pertransiuit, sicq; Tungrim peruenit, quam longo tempore obsedit, & miseros ciues gladio, fameq; afflixit. Vbi Dominus meritis beati Seruatij mirabilem fecit ostensionem, quòd nemo Hunnorum, qui longe & late vagabantur omnia diripientes, vnquam Traiectum peruenerit, vel saltem prouiderit. Capta deniq; Tungri, & occisis in ea omnibus habitantibus eius, destructa est penitus vsq; ad solum. Omnibus igitur desolatis & annihilatis, Hunni processerũt, & in sacra vigilia pascæ, vrbem Metis circumdiderũt. Itaq; cùm ciuitatem hanc impugnarent, & propter nimiam murorum fortitudinem fatigati iam discedere cogitarent, ne inulta ma-B nerent peccata inhabitantium, muri solidissimi vltrò corruerunt, Hunniq; reuersi introierunt, & omnes ciues gladijs occiderunt, ciuitatem verò eorum ignibus tradiderũt. Solum oratoriũ B. Stephani Prothomartyris perstitit illæsum, quia quidã cœlestis splẽdidissimus in armis desuper stabat, qui hostium tela procul depulit & flammas.

*Attila Tungrim venit, capit, inhabitantes occidit, & vsq; ad solum destruit.*

*Traiectum nullum ab Hũnis passum est incommodum.*

*Metensis vrbis mœnia vltro corruunt.*

*Oratorium B. Stephani cœlitus ab igne defenditur.*

Post hæc, Hunni venerũt Trecas, pugnauerunt ad portas. Desuper B. Lupus Episcopus Attilã inclamat, dicens; quis es tu, qui terras nostras deuastas, gentẽq; perturbas? Qui respõdit, Ego sum Attila, flagellum Dei: Et Episcopus ingemiscẽs: Et ego, ait, sum Lupus, heu vastator gregis Dei, nimiumq; dignus flagello Dei. Et iussit Hunnis portas aperiri, & misericordiã Domini magnum ibi factum est miraculũ. C Hostes diuinitus percussi cæcitate, transierunt de porta ad portã, per mediam ciuitatem, neminem videntes, neminem lædentes. Plurimis itaq; destructis ciuitatibus & prouincijs desolatis, Attila Pannoniam redijt, maioremq; exercitum colligens, Italiam intrauit, omnesq; in ea ciuitates, quantumlibet munitas, penitus destruxit. Tandem Attila Mantuæ resedit, cogitans qualiter Romam alijs ciuitatibus similẽ faceret; sed valdè verebatur merita beati Petri Apostoli, si Ciuitatem eius Romam inuaderet, ne miseram mortem inferret. Attamen, cum dira cupido dominij & diuitiarũ mentem eius quateret ad perficiendum quæ cogitabat, Papa Leo supplex occurrit, D pacem ab eo petijt, quã Dei gratiã victor statim obtinuit: admirantibus amicis Attilæ, & inquirẽtibus, quare tam cito debilem & inermem senem exaudisset! Respondit: Vidi prope eum virũ stantem, euaginatum gladium habentem, qui mihi mortem minabatur, nisi ad omnia obedirem ei. Interea, Martiano Imperatori in somnis arcus Attilæ fractus apparuit, quod rerum exitus verum esse probauit. Nam cùm Honoriã sororem Valentiniani duceret, qui tunc Martiano coimperabat, & tempus voluptatibus suis dedisset, gratia Dei, sanguinis eruptione, dormiens suffocatus est, respirauitq; mundus tanta peste liberatus.

*B. Lupus Episcopus miraculo Trecas ab Hũnis conseruat.*

*Mira simul B. Lupi humilitas, & animi fortitudo.*

*Attila Italiam ingreditur & plerasque omnes ciuitates quamuis munitas diruit.*

*Meditatur Vrbem Romam euertere.*

*Attila videt virum euaginato gladio mortem minãtem, nisi obediat B. Leoni Pontifici.*

*Attila misere moritur.*

Post eam igitur vindictam, quæ ab Hunnis facta legitur, Wandalica crudelitate sequẽte, incertũ est, quanta temporis intercapedine, Ecclesia Tungreñ fuerit sine Põtifice, paucis qui supererãt christiãis, in ab-

*Incertum quãto tempore Ecclesia Tungreñ à morte S. Seruatij caruerit Pontifice.*

*Franci ab Antenore ducunt originem. Franci dicti Sicambri & Merouingi. Frãci vnde sic appellati. Valens Imperator Francis partem Galliarum ad liberè & gratis inhabitandum concedit. Franci pellunt extra Gallias, Hunnos. Franci excutiunt iugum Imperatorum & quare. B. Remigius Rhemorum Episcopus, Gallos ad fidem Christi cõuertit Baptizat Clodoueũ Regem anno Dñi 497*

in abditis montium latitantibus, & cauernis petrarum. At Franci qui ab Antenore ducebant originem, & in Venetia, sicut & alij in Mauritania, multitudine excreuerant, qui & Sicambri, vel à quodam duce suo, Merouingi dicebantur, cùm præ multitudine nimia, non possent ea eis sufficere loca, palantes hàc illàc prædis intenti erant & rapinis, nec stationem hactenus certam inuenerant, sola eis Toringia profugium erat; quibus Valens Imperator, ad quem summa Imperij pertinebat, & proprium nomen, qui Francus Atticâ linguâ vocabatur, impertiuit, & partem Galliarum ad inhabitandum, sine vectigalium exactione concessit. Et isti Hunnos ad Mæotidas iterum paludes, vel in Pannoniam compulêre, vbi post multos annos à Carolo Magno Imperatore, & filio eius Pipino, penitus etiam nomine disperière. Franci verò propter auaritiam sequentium Imperatorum, vectigalia ab eis exigentiũ, coacti sunt & fidem Romanis non seruare, & ciuitates alias, quas adhuc tenent per Gallias, occupare: Quibus adhuc ritibus paganis inseruientibus, multę ciuitates Episcopis carebant. A B

Post tandem, cessante tantorum tumultu malorum, per viscera misericordiæ visitauit nos oriens ex alto, cum beatus Remigius, celitus ad hoc prædestinatus, & per repromissionem iam natus, factus est Rhemorum Archiepiscopus. Hic vir Dei gentem Francorum ad veri Dei cultum conuertit, & Regem Clodoueum baptizauit, anno Domini quadringetensimo nonagesimo septimo. C

## ANNOTATIONES.

1. Attila nãq; qui regnabat.] *De hoc ita Sigebertus* 453: Attila Hunnorũ Rex, Walameris Ostrogothorum Regis, & Ardarici Gepidarum Regis, & multarum aquilonarium gentium sibi subiectarum auxilio fultus, à Pannonijs egressus, occidentale Imperium inuadit, cum quingentis millibus armatorũ. Et primò, per totas Gallias per eos tãta efferbuit Dei indignatio, vt nullã omnino ciuitatem, castellum, vel oppidum, aliqua à furore eorũ potuerit tutari munitio. Postremo, Aureliam vrbem eis obsidentibus, ad subsidium Galliarum aduolauit patritius Romanorum Ætius, fultus & ipse Theodorici Wisigothorum Regis, & Merouei Francorũ Regis, aliarumq; gentium copijs militaribus. Conferto prælio in campis Cathalaunicis, pugnatum est vsq; ad diremptionem noctis. Ætius superior quidẽ recessit, Attilam tamen non vsq; ad internetionem deleuit. Cæsa sunt ibi centum octoginta millia pugnatorum, inter quos etiam cecidit Theodoricus Rex Wisigothorum. Attila resumpta spe, Rex Ætij discessu repatriauit, mature rediturus suppleto exercitu. D

2. Sed tempus erat oportunum vt flagellum Dei per Hunnos perficeretur.] Hoc excidium Gallijs impedere (*inquit Sigebertus anno eodem*) Seruatius Tungrensis longe ante in spiritu præuiderat, & Romæ à Petro Apostolo hoc iudiciũ Dei ineuitabile fore didicerat; ideoq;

A ideoq; relicta Tungrensi vrbe, quæ euertenda erat, ad Traiectum sedem episcopalem transposuit.

3. Desuper beatus Lupus Episcopus Attilam inclamat, dicens: Quis es tu, qui terras nostras deuastas? ] *In martyrologio Vsuardi de eo sic legimus 29. Iulij:* Ciuitate Trecas, natalis S. Lupi Confessoris, qui cum B. Germano in Britaniam directus venit. Hic quinquaginta duobus annis sacerdotio venerabiliter functus est, & tempore Regis Attilæ, qui Galliam vastabat, sicut in eius hymno canitur,

Dum bella cuncta perderent,
Orando Trecas muniit.

B *Singulare est quod illi in Britannia, Sigeberto referente, anno Domini 436. accidit. Cum heresim Pelagianam, quæ ibi ante aliquot annos pullulârat, cum beato Germano confutaret, & rectam fidem auctoritate Apostolica solidaret, hostibus ex more insulam incursantibus, Germanus, & ipse Dux factus, iam in procinctu positis hostibus, elato clamore,* Alleluya, *incipiens, & suis secum clamãtibus idem, hostes vertit in fugam, & incruentam obtinens victoriam, ab imminenti periculo eripuit patriam.*

4. Cogitans qualiter Romam. ] *Huic historiæ adstipulatur Sigebertus anno Domini 454.* Attila, *inquit,* Italiam aggressus, omnes pene eius ciuitates aut diruit, aut deripuit, aut incendit. Ad eum Leo Papa venit, & non solum salutem, sed etiam vt rediret obtinuit. Rex Attila requisitus à suis, cur ei fuisset tam placabilis, respondit, se eum non C fuisse reueritum, sed senem quendam venerabilem, euaginato gladio sibi mortem minitantem, nisi eius in omnibus expleret voluntatem.

5. Wandalica crudelitate sequente. ] *De hac omnes, sed speciatim Sigebertus paucis multa complectitur anno Domini 411.* Wandali, duce Crosco, Gallias peruagati, multas vrbes & Ecclesias subuertunt. *Et anno sequenti:* Wandali Gallias, quas per tot annos lacerauerunt, relinquentes, timore Gothorum, cum Alanis & Sueuis Hispanias occupant, ibique ferè triginta annis habitauerunt.

6. Vbi post multos à Carolo Magno. ] *Adstipulatur idem Sigebertus anno Domini 461.*

7. Franci verò propter auaritiam. ] Franci post Wandalos & Alanos, post Gothos & Hunnos incessunt Gallias, non tantum vt eas D habeant direptioni, sed vt sibi sint perpetuæ habitationi. Qui captâ Coloniâ Agrippinâ, fugato de bello duce Ægidio, multos Romanorum occidunt. *Ita Sigebertus anno Domini 475. & anno sequente,* Franci Treuirim ciuitatem super Mosellam capiunt.

8. Cùm beatus Remigius cœlitus ad hoc prædestinatus iam natus. ] Nascitur anno Dñi 449. prænũciatus *(inquit Sigebertus)* ex nomine per Montanum monachum. Quo nato idem Montanus, quia cæcus erat, de lacte Ciliniæ matris eius oculos suos liniens, illuminatus est. Remigius factus est Rhemorum Episcopus anno Domini 471. Baptizat

G 2 . Clodo-

Clodoueum anno Domini 499. *Secundum Sigebertum*: hic enim, *vt ille ait*, Alemannis bello congressus, ibi, laborante exercitu, voto suscipiendi christianismi, se obligare cogitur. Sicque perempto Alemannorum Rege, & Alemanniâ sub tributo redactâ, baptizatus est à S. Remigio Rhemorum Episcopo, exemplo & edicto suo perduxit ad fidem Christi populum Francorum. A

## *De Sancto Remigio, & nouem Tungrensibus Episcopis.*

## CAPVT XXX. B

TAndem beato Remigio, cœlitus ad hoc prædestinato, & per repromissionem iam nato, vt eam gentem ad veri Dei cultum conuerteret, & Galliarum populus in vnitatem fidei catholicę conueniret, eo, inquam, tempore, Agricolaus Ecclesię Leodiensi præsedit vndecimus.

Et deinceps successerunt sibi ex ordine, Vrsicinus, Designatus, Renatus, Supplicius, Quirillus, Eucherus, Falco, Eucharius.

## *De electione Sancti Agricolai Tungrensis Ecclesiæ vndecimi Episcopi.* C

## CAPVT XXX.

*Ab Aegidio additum.*

*Prima Synodus Aurelianensis.*

EO, inquam, tempore, à prædicto beato scilicet Remigio, & Rege Clodoueo, & cęteris Galliarum Episcopis, & magnatibus celebrata est prima Synodus Aurelianis, de restauratione regni & Ecclesiarum. Ibi omnis Clerus & Religio monachorum dolebat de subuersione Tungris vrbis, nec nomen Episcopale ibi quisquam subire præsumebat, ex quo Seruatius inde pulsus recesserat.

*Agricolaus eligitur à Synodo Episcopus, & Traiectũ mittitur successurus S. Seruatio, Traiecti suscipitur, & in Cathedra locatur. Tectum sepulchri S. Seruatij restaurat, quod nemo ante eũ restaurare poterat.*

Conuenit ergò digniori Ecclesiarum gradui, & vir vitæ venerabilis Agricolaus, agrum Dominicum excultурus eligitur, consecratur præsul, iuxta magnanimum Seruatiũ Sedem in Traiecto habere dirigitur, quoniã quidem Tungris dignitate Pontificali semetipsam indignã fecerat, ex quo demens illum abiecit, quem singulari quondam miraculo, per Angelum visibiliter accepit. Annunciatũ est verbum hoc Traiecto. Placuit plebi, senatuique vniuerso. Gaudenter electus Domini, S. Agricolaus suscipitur, & in Basilica S. Seruatij, digno successori digna cathedra locatur. D

Huic inter cætera virtutum insignia, quæ per eum Dominus operari dignatus est, concessum est, restaurare tectum sepulchri B. Seruatij ventorum violentia pridem deiectum, quod nemo ante eum poterat,

A poterat, sicq; post aliquantos annos Domino seruiens nocte & die, recepturus ab eo coronam gloriæ, quieuit in pace. Huius Agricolai diebus Ecclesia beatæ Mariæ Hoyensis, quæ à Hũnis cum toto oppido aliquantum temporis antea fuerat destructa, à suis ciuibus reædificatur, & in longum versus orientem extenditur vsque ad gradus chori sub Crucifixo, altari tamen antiquo semper remanente immobili, & semper existente in eodem loco, vbi beatus Maternus primitùs instituerat, & dedicauerat in honore beatę Marię Virginis.

### ANNOTATIONES.

B 1. Eo inquam tempore.] Anno, *inquit Meyerus*, Dominicæ incarnationis 512. coacta fuit Aureliani Synodus Sacerdotum, decretaq; in Ecclesia permulta vtilia. Inter alia Agricolaus filius custodis Flandriæ, de sententia Domini Remigij factus Episcopus Tungrorum, qui vnde viginti per annos eam administrauit Ecclesiam. *Conuenit in anno, & Sigebertus in Cronographia.*

2. Conuenit ergo digniori Ecclesiarum gradui.] *Ius eligendi Episcopos, ad eum pertinet iure diuino, ad quem gubernatio totius Ecclesiæ, hoc est, ad Summum Pontificem, & ex eius facultate, ad digniores Ecclesiarum gradus, seu hodie ad Canonicos in Cathedralibus residentes, quamuis successu temporis, magno abusu, Imperatores, Reges, imò commune vulgus, ingesserint se electionibus Episcoporum & aliorum Ecclesiæ Prælatorum, sed hic abusus sensim ab Ecclesia correctus* C *est. Quæ tanquam catholicis nota & certa aliter non probo. Hoc obiter hic notamus, vt deinceps intelligas, vnde tanta in electionibus Episcoporum reperiatur in historia diuersitas.*

---

## *De octo Episcopis, qui ei successerunt.*

## CAPVT XXXI.

*Ab Aegidio additum.*

D POst decessum beati Agricolai Episcopi, cathedrã Episcopalem in Traiecto duodecimus Episcopus, B. Vrsicinus, instar Dauid cum vrso Diabolo immani, pugnaturus suscepit. Qui B. Vrsicinus talentũ sibi creditum Domino suo cum lucro reportaturus, in senectute bona migrauit à sæculo. *Post Agricolaũ vndecimum Episcopum sue cedunt. B. Vrsicinus 12.*

Loco tertio decimo à Materno beato Traiectensium Episcopo, successit B. Designatus; qui placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores, iustus assumptus est in requie sempiterna. *B. Designatus 13.*

Post hunc quartus decimus, in confirmationem prædestinationis extitit Beatus Resignatus Episcopus, *qui in diebus placuit Deo, & iustus inuentus est, & in tempore tribulationis factus est reconciliatio.* *B. Resignatus 14. Ecclesiast 44.*

Quo defuncto, quintus decimus extitit B. Supplicius Episcopus, vir pietate & misericordia per omnia laudandus. *B. Supplicius 15.*

B. Quirillus 16. Post quem, sextus decimus Episcopus ordinatus beatus Quirillus, qui faciem Domini inquirens, beato fine quieuit, ac pridie Calend. Maij, à Domino in cœlo meruit honorari, quia sine quærela eius fideliter populum rexit. A

B. Eucherus 17. Loco septimo decimo beatus Eucherus Episcopus extitit, qui paucis annis Pontificatum tenens, quieuit in pace. Huius verò festum à quibusdam colitur 10. Calend. Martij. Huius verò tempore, scilicet, anno Domini quingentesimo quadragesimo quinto, putatur obijsse S. Remigius Rhemorum Episcopus.

B. Falco. 18. Post hunc, octauus decimus Episcopus beatus Falco extitit, qui & ipse post paucos annos appositus est ad populum suum.

B. Eucharius 19. Bonæ porrò gratiæ baiulator nomine, æmulatorque operatione, beatus Eucharius nonus decimus extitit Episcopus. Et tertio Calēd. Martij, ab Angelis creditur inter choros suorum Consacerdotum & & Confessorum coronatus esse, qui sanctè & iuste viuendo, studuit omni die offerre holocaustum Domino, non ex pecore alieno, sed ex corpore proprio. B

---

## *De Sanctis Domitiano, Monulpho, Gondulpho, item Perpetuo, & Ebregiso.*

## CAPVT XXXII.

*Tempore S. Domitiani Episcopi, vbique floret Christiana religio.* Post hos vicesimus sedit Domitianus, qui iam florente vbique Christiana religione, Hildeberti Regis tempore, Aurelianensi Synodo legitur interfuisse. C

*S. Seruatij sepulchrum quātacumque nix decidat, illud non contingit.* Hic ciuitatis dirutæ incipiens deformitatem fastidire, B. Seruatij cœpit in Traiecto sepulchrum frequentare. Diuina siquidem operante virtute, quantalibet niuium copia defluxisset, tumulū tamen eius, nix non contingebat. Videres in circuitu cuncta niuibus operiri, nec tamen S. Seruatij tumulum à niuibus contingi. Operabatur & illic alia multa Christus miracula, vt probarentur prætiosa in conspectu eius Sancti viri semper esse merita. Ob hoc & deuotio fidelium, & frequentantis populi studium, ligneum atque paruum super sancta membra compegerunt oratorium. Et quia tanto viro non erat condignum, aut à vento rapiebatur, aut ad terram sponte subruebatur, donec S. Domitiano rebus humanis exempto, & apud Hoyū in Ecclesia Sanctæ Dei genitricis sepulto, beatus Monulphus successor, Episcoporum vigesimus primus, in Sancti viri honore, templum honorificum erexit, & eius corpus cum digna reuerentia in eo transuexit, sedemque Pontificalem illic deinceps esse constituit, in cuius Ecclesiæ medio, corpus suum humari mandauit. D

*B. Monulphus in S. Seruatij honorem templum honorificum Traiecti erigit.*

*Beati Monulphus & Gundulphus Traiecti sunt sepulti* Illic & beatus Gundulphus, qui vicesimus secundus successit, locum habet sepulturæ.

Sanctus

A Sanctus Perpetuus, qui vicesimus tertius præfuit, apud Dionantum quiescit. *S. Perpetuus Dionāti sepultus.*

Beatus verò Ebregisus vicesimus quartus succedens, in Trumonia eiusdem Ecclesiæ Episcopij villa, est humatus. *B. Ebregisus sepultus in Trumonia villa Episcopij Leod.*

---

## *De Sancto Domitiano, & de Concilio Aurelianensi.*

## CAPVT XXXII.

*Ab Aegido additum.*

B POst hos vicesimus Traiectensi ecclesiæ præsedit sanctissimus pater beatus Domitianus, vir per omnia laudandus; qui iā florente vbiq; christiana religione, Hyldeberti Regis tempore, Aurelianensi Synodo legitur interfuisse, & episcoporum qui conuenerāt, & Principum vniuersorum, ipsius etiam Regis Hyldeberti iudicio, prædia, castella, & quæ Tūgrensis ecclesiæ & ciuitatis erāt beneficia, & post destructionem ipsius à pluribus direpta, Traiectum ad sedem suam concessum est transferre. *S. Domitianus interest Synodo Aurelianensi. Decreto Synodi transfert Traiectum castella, prædia, & quæcumque Tungreñ Ecclesiæ fuerant beneficia.*

In qua etiam Synodo, per eum Dominus multa signa ostendit. Dicitur quòd cùm disputaret contra hæreticos, qui ibi conuenerant, C terra in modum puluinaris assurgens, ei sedile præparauit. Contradicentibus & resistentibus verbis fidei hæreticis, cùm contra fidem catholicam aliquid falsitatis dicerent, beatus Domitianus, plenus Spiritu Sancto, leuabat manum suam contra ipsos hæreticos, & statim ipsi excæcabantur per diuinam potentiam. *Stupenda miracula S. Domitiani in Synodo edita.*

Regressus verò ad patriam, multis bonis suam ditauit ecclesiam. Hic ciuitatis dirutæ incipiens deformitatem fastidire, beati Seruatij sepulchrum in Traiecto cœpit frequentare: Diuina siquidem operāte virtute, quantalibet niuium defluxisset copia, tumulum beati Seruatij, vt dicit S. Gregorius Turonorum episcopus, nix non contingēbat. Videres in circuitu cuncta niuibus operiri, nec tamen Sācti D tumulum à niuibus contingi. Operabatur illic & alia Christus miracula, vt probarentur in conspectu Dei prætiosa eius sancti viri esse merita. Ob hoc & deuotio fidelium, & frequentantis populi studium, ligneum atq; paruum super sancta membra compegerunt oratorium. Sed quia tanto viro non erat condignum, aut à vento rapiebatur, aut ad terram sponte subruebatur. *Frequentat sepulchrum S. Seruatij. De gloria confess cap. 72. Sepulchrum S. Seruatij diuinitus à niue decidente non cōtingitur.*

Postquàm autem beatus Domitianus populum sibi creditum fideliter aliquantis gubernasset annis, multisq; signis & virtutibus claruisset, recepturus à Domino coronam gloriæ, quieuit in pace. Corpus verò eius in ecclesia maiori beatæ Mariæ in Hoyo sepultū est, vbi vsq; in hodiernum diem requiescit. Qui beatus vir, quanti extiterit meriti apud Deum, testantur miracula, quæ per eum Dominus operatur vsq; in hodiernum diem. *S. Domitianus moritur & sepelitur in Ecclesia B. Mariæ Virginis.*

Cele-

*Miracula B. Domitiani post eius obitũ.*

Celebratur autem festiuitas eius nonis Maij. In qua festiuitate, in Ecclesia beatæ Mariæ, vbi corpus eius requiescit, fiunt multa miracula. Nostris verò temporibus, sex iuuenes in aquis submersi, infra paucos annos, in diuersis festiuitatibus eiusdẽ, suscitati sunt. Ex quibus aliqui sub molendino molente pertransierunt, & per dimidiũ diem, æstiuo tempore in aqua iacuerunt; Alij per duarum fere horarum spatium; Alij per trium; Alij à prima, tempore æstatis vsq; ad vesperas, in aqua iacuerunt, de quibus postea aliquẽ vidimus. Cæci, claudi, surdi, muti, paralytici, phrenetici, & dæmoniaci, quorũ præ multitudine ignoramus numerum, in diuersis festiuitatibus eius recipiunt sospitatem vsq; in hodiernum diem. A

*Auctor vidit vnum meritis B. Domitiani suscitatum. Omnis generis morbi sanãtur.*

*Carceribus detenti liberãtur*

Multi etiã in diuersis locis in carcerali custodia detenti, meritis & precibus beati Domitiani, cathenis diruptis liberati sunt, de quibus aliqua hic in medium proferre curauimus miracula. B

Quidam vir Teumaci in vinculis positus, beatum Domitianum cũ lachrymis cœpit interpellare, vt eius meritis interuenientibus absolueretur, quia propter nimiam paupertatem, nulla spes ei erat redimendi. Cui pijssimus Confessor subsequenti nocte, in somnis apparuit, dicens: Ego sum Domitianus, surge, & appone manum vinculis, & extrahe pedem, ne dubites, quia cedentibus vltrò vinculis, liberaberis. Caue etiam, ne cum liberatus fueris, reuertaris per syluam, quæ est iuxta Holoos, sed inferiori via redeas sub nemore: & à nullo capieris. Expergefactus autem à somno, manum apposuit vinculis, & (mirabile dictu) statim liberatus est, & Dei misericordiam, & beati Pontificis interuentionem, liberationi suæ attribuens, pro voto cereas cathenas attulit beato Domitiano. C

*A latronibus spoliatus restituitur.*

Quidam negotiator memoriam faciens beati Pontificis, & se eius precibus commendans, incidit in latrones, à quibus spoliatus est, sed Dei opitulante gratia, nunquam sarcinam eius dirumpere potuerũt; sed nec panem, quem super loculum B. Domitiani tetigerat, per triduum ieiunantes, comedere potuerunt, sicq; se deliquisse cognoscentes, res proprias ei restituerunt.

*Lapsus in aquã liberatur.*

Iuuenculus quidam iuxta rotam cuiusdam molendini dilapsus est in aquam, & statim beati Domitiani auxilium in corde depoposcit, quia verbis non poterat: qui ab hora prima, vsq; ad horam nonam in aquis subsistens, tandem repertus est, & cùm mortuus existimaretur ab omnibus, tandem cœpit respirare: quẽ beati pontificis meritis & intercessionibus suscitatum, non dubitamus. Sunt & alia plura miracula, quæ propter fastidium legentium hic omittentes, ad historiam manum retrahamus. D

### ANNOTATIONES.

1. Post hos vicesimus Traiectensi ecclesiæ præsedit.] *In codice Aurea vallis reperies tres marginales annotationes, quas, ne quid vel exiguum illius codicis pereat, hic subijciemus:*

1. Anno

A 1. Anno, *inquit*, Domini quingentesimo quadragesimo nono, Domitianus Tungrensis Episcopus, & beatus Nicetius Treuirensis claruerunt, & in Gallia arbor, quæ Sambucus dicitur, vuas protulit. *Ego lego apud Sigebertum, Nicetium & Domitianum floruisse anno Domini 528. Et arboris, quæ dicitur Sambucus, flores, grana & fructus, in flores, grana, & fructus vitis, transformatos esse anno Domini 551.*

2. Inclitus Domini confessor Domitianus, Hildeberti & Theodeberti Regum temporibus, Tungrensium sedis claruit Episcopus. Qui qualiter culmen attigerit summi sacerdotij, ex verbis tàm ipsius quàm suorum consacerdotum potest colligi, quæ in Synodo dicta sunt Aurelianensi; nam quod dicebat ore, solerter adimplebat opere, ne forte prædicans alijs, reprobus efficeretur: quem quia diuersarum prouinciarum pontifices prudentem nouerant, ecclesiasticis eum negotijs nullo modo abesse ferebant. Auernensis etiam Synodus eius augmentatur præsentiâ, mellifluique sermonis roboratur sapientia:

In qua gemma fuit, quia Doctor eam decorauit;
Cumq; suis ouibus præberet pascua, sanctis
Doctrinæ verbis, formam dabat & bonitatis,
Exemplis operum retrahens à fauce luporum.
Sed quod Pontifices statuebant conuenientes,
Domitianus erat, qui vitæ verba ferebat,
Scismata rumpebat, veramq; fidem retinebat.
Vrbs Auernensis sensit pia dogmata patris,
In Synodo cuius venit, seditq; vocatus,
Opponens hæresi canones rectè faciendi.

Obijt circa annum Domini quingentesimum sexagesimum, sepultusque est in Ecclesia Hoyensi. Cuius festum potest celebrari à Christicolis, nonis Maij. Omnis Ecclesia Hoyensis congaudeat pro concessa gloria, nam potenter hanc illustrat diuina gratia. O Domitiane, dulce languentium solamen, per tua merita, quantum continent tuæ dissolutionis deposita, quæ velut sol fulgebunt in resurrectionis gloria, ibi colloces nos oues Iudicis in dextra..

3. Corpus eius sepultum est in Ecclesia maiori beatæ Mariæ in Hoyo, nonis Maij, cum maximo honore Cleri & populi. Fuit enim iste Pontifex summæ bonitatis, in eleemosina promptus, in iudicijs iustus, in vniuersa morum honestate excellentissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens, ipse quoque diligebatur ab omnibus. Et, vt verbis Sigeberti monachi Gemblacensis optimi historiographi vtar, clarebant, inquit, sub Iustiniano magno Imperatore, Cassiodorus Senator post monachus, Arator Poëta, Priscianus grammaticus, Victor Capuanus Episcopus, qui ciclos paschales scribens, Victorij errores redarguit, Gregorius Lingonensis, Nicetius Treuirensis,

& beatus Domitianus Traiectensis Episcopus. Huius viri sanctissimi sepulchrum licet in Ecclesia fuerit, . . . . in quo loco locatum extitit, minimè ab incolis scitur. Vnum tamen pro vero dicere possumus, quòd Ecclesia illa multoties passa est ruinam tribulationum . . . . . videlicet & Normannorum, ac Vngarorum, & aliarum persecutionum, quæ toties locum illum, & totam Leodiensem parochiam deuastando oppresserunt, & sic potuit esse, vt sepulchrũ beati Domitiani ab ipsis omninò deletum fuerit, vel fortè erat in loco aliquo, vbi paries murorum deducendus erat, & sic ignoratur ab omnibus. *Hactenus ex Codice Aureæ vallis.* A

2. *Molanus in natalibus SS. Belgij die Maij 5.* In subscriptionibus, *inquit,* Auernensis Synodi (*quæ celebrata est anno 541. secundum Baronium*) Domitianus legitur sic subscripsisse: Domitianus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Tungrorum, quod est Traiectum, subscripsi. Legitur quoq; *inquit idem,* interfuisse Concilio Turonensi secundo, & Parisiẽsi primo, vbi quoq; sic subscripsit: Domitianus peccator consensi & subscripsi. *Celebratur dies natalis eius in Ecclesia beatæ Mariæ in Hoyo 7. Maij. Translatio verò 15. Iunij, sicut & beati Mengoldi Ducis & martyris.* B

3. Quidam vir Teumaci, *& paulò infra,* Syluam, quæ est infra Holoos. *Codex M. S. Raymundi, de quo supra, pro* Teumaci, *legit* Cenmaci, *& pro* Holoos, *legit* Holeos: *Capucinorum Codex pro* Teumaci *legit* Ceumatici, *& cum nostro Codice legit* Holoos. C

4. Qui iam florente vbique Christiana religione. ] *Quis fuerit Ecclesia Leodiensis status tempore Domitiani, ex ijs quæ ante notauimus, vtcumq; potest intelligi.*

---

## *De S. Monulpho, & de prophetia Leodij.*

## CAPVT XXXIII.

*Ab Aegido additum.*

*B. Monulphus 21. Episcopus.*

IGitur defuncto beato Domitiano, beatus Monulphus in Pontificali Sede vicesimus primus successit Episcopus.

Hic tàm geniturae, quàm morum præclarus nobilitate, vt amplificaret Dei sanctitatem, templum aliud, atq; amplius construxit, & beati membra Seruatij in eodem loco altiori, dignâ reuerẽtiâ, transtulit, miroq; modo decorauit, ac septimo idus Iulij dedicauit: Alijs alia, meritis eorum condigna, ex quibus adhuc remanet vnum, Sancta Maria, tuum. D

*Templum Ecclesiæ Traiectẽsi ædificat*

Dionãtum quoq; visitaturus, castrum hæreditariè suum, in proficiscendo cominùs conspicans villam in valle sitam, inter opaca nemorum, inter ardua montium, fontibus & fluuiolis per prona decurrentibus valdè delectabilem & irriguã; nam ab Occidentali & Septentrionali plaga montibus & syluis maximis claudebatur, per meridianam verò partem, Mosa fluuius, reducto & curuato paulum sinu

A ſinu ambiens, inacceſſabilem faciebat: Sed quà orientem ſpectat, adiri facilius poterat, montanis à Moſa aliquantulum recedentibus, ſeſeq; iuxta eius ripam, quinq; ferè miliaribus, vſque Traiectum in directam, & ſpecioſam longitudinem clementer extendentibus: Diſtat & à Tungris verſus meridiem vix tribus miliaribus. Hunc locum cùm beatus Epiſcopus Monulphus cum ſuis comitibus intraſſet, captus ſitu & amœnitate eius ſubſtitit, vocabulum loci quæſiuit, Legiam nominatam audiuit. Moxq; prophetico tactus ſpiritu: Eya, inquit aſtantibus, locus, quem Dominus ad ſalutem multorum fidelium ſuorum elegit, & quem per merita cuiuſdam ſerui ſui poſtmodum magnifice illuſtratũ, ſummis ciuitatibus æquabit. Statimq; B deſcendit, locum orationis deſignauit, conſtructam Eccleſiã in honore ſanctorum Coſmæ & Damiani martyrum Domino conſecrauit, quam poſtmodũ ſanctus Martyr Lambertus ſuo ſacro ſanguine nobilitauit.

*Prophetico ſpiritu tactus Legiam ſummis Ciuitatibus æquandã dicit.*

*In ea primus Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani cõſecrat*

*Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani S. Lambertus ſuo ſanguine nobilitat*

Pontifex verò Monulphus Dionanto rediens, omnium prædiorum ſuorum beatum Seruatium ſcripſit hæredem, cuius deuotionis plenariam à Domino recepit mercedẽ; quod ſic etiam ſenſibiliter probatum eſt. In diebus ipſius ſacerdotij, quidam de magnis principibus obijt; Illum ſepelire rogatur: Surrexit properè, & ecce, habet obuiam grandem & tenebroſam ſyluam Dæmonibus (vt aiunt) errore Gentilium olim dicatã: quam ingreſſus cum famulis ſuis, omnibus quidem magnæ in Chriſto deuotionis, quaſi fremitum equo- C rum, rugitum leonum, aliarumq; voces diuerſas beſtiarum ſenſit, in quorum medio tanquam paruulum amariſſimè flentem, & ſine intermiſſione clamantem; Currite omnes, ſuccurrite, audiuit. Siſtit gradum, ſignare ſe cupit, leuat manum, Riget dextera, ſilet lingua, frons pallet, oculi languẽt, vox faucibus hæſit, coma vertice ſtetit, horror & mæſtitiâ, ſicut nubes obduxerat floridam pontificis faciẽ. Ipſi etiam pueri eius, maiores quoq; & fortiores, hoc terrore proſtrati, in terram ceciderunt quaſi mortui: Horribile profectò viſu, ac mirabile dictu. Poſt hæc, Antiſtes reuerſus in ſe, leuanſq; oculos lachrymarum adhuc imbre repletos, vidit iuuenem vultus pulcherrimi aſtantem ſibi, & dicentem: Confortare pater, confortare, & formidare noli, ex voluntate enim Omnipotentis, hoc iudicium D videre meruiſti: nam anima Principis, quam commendare veniſti à ſpiritibus tenetur immundis, affligitur, cruciatur, atteritur, & niſi citius occurreris, ad inferni clauſtra detrahent eam. Redi ergò in Ciuitatem ad tuos, & orationes, eleemoſinas, ieiunium, hoc triduo fac fieri in vniuerſo populo. Poſtea verò, cum huc regreſſus fueris, ſi horum nihil audieris, tuis orationibus Altiſſimo oblatam, & in pace noueris eſſe receptam. Hoc dicto pueros Antiſtitis leuauit atq; confortauit, ipſe vero diſceſſit, nec viſus eſt amplius. Hunc Angelũ Dei verè fuiſſe dicebat, & credebat. Omnibuſq; ritè peractis, tertia lux oritur. Pontifex eandem ingreditur, & ecce ſilentium, pax vbiq; &

*Monulphus prædiorum ſuorum S. Seruatium hæredem facit.*

gaudium. Ergò lætus pertransijt, mortuum sepeliuit, ponens in medio quem viderat in eremo. Qui prius flebant & dolebant, omnes mox gaudebant. Placuit ergò cunctis, vt dies recordationis eius ageretur, non amplius in tristitia, sed in lætitia, in gloriam quoque ipsius, cuius precibus ab inferis liberauit eum Dominus. A

*Liberat precibus suis animã ab inferis.*

Regressus verò Pontifex gloriosus, super vniuersis Christi beneficijs circa S.Seruatium, suis temporibus factis, lætatus est valdè, & sicut dignum erat, mirabiliter glorificabat eum in auro & argento, & vniuersis etiam quibus in ministerio opus est diuino. Addidit familiam, addidit & prædia, quia in his terrenis possessionibus erat locupletissimus. B

*Ditat ecclesiã S. Seruatij.*

Videns autem sibi iam imminere finem vitæ,non timuit,non expauit, sed confortatus in Domino, omnem Clerum, cunctumq; populum, per triduũ, sine intermissione docuit & monuit, vt semper parati essent occurrere Christo, quasi venienti ad iudicium. Omnibus verò dignè peractis, in medio Ecclesiæ, in qua per triginta nouem circiter annos fuerat Episcopus, designauit locum sepulturæ, vbi vitæ huius termino fœliciter peracto, sepultus est cum magno honore, septimo Calend. Augusti, sicut hodie videtur in eodem templo, ad laudem & gloriam Iesu Christi Domini nostri.

*Triginta nouem circiter annis fuit Episcopus.*

*Moritur & sepelitur Traiecti in Ecclesia S. Seruatij 7. Calẽd. Augusti.*

C

ANNOTATIONES.

1. Templum aliud atque amplius construxit.] *Beatum Monulphum construxisse templum amplum Traiecti, in honorem sancti Seruatij, & in illud corpus eiusdem translatum, magnis pollere virtutibus, attestatur Gregorius Turonensis, lib. de gloria Confess. cap. 72.*

2. Prophetico tactus spiritu: Eya, inquit astantibus, locus quem Dominus ad salutem multorum fidelium elegit. *Prophetiam hanc non ineleganter his versibus quidam expreßit.*

Legia sancta tui patroni culta cruore,
Te Deus elegit, Cleri præfulgida flore.
Montes, & nemora, fontes, bonus aër & arua, D
Flumina, prata,feræ, vitis non copia parua,
Ignis saxigenus, plumbi, ferriq; mineræ,
Ornant te, faciuntq; tuum nomen redolere,
Vrbibus vt mundi sis summis æquiparata.
Ergo Deum lauda, cole patronum, moderata
Ecclesiam mente tam glorificam reuerere,
Pace fruens, pariter poterit tibi nemo nocere,

3. Omnium prædiorum suorum B. Seruatium scripsit hæredem.] *Adstipulatur Molanus in natalibus Sanctorum, die decima sexta Iulij, qui inter prædia Monulphi numerat castrum Dionantense conformiter illi, quod autor initio huius capitis dixit,* Dionantum visitaturus castrum hæreditarie suum. *Primum ergò castrum, quod ecclesia Leodiensi donatum hic legimus, est Dionantense.*

4.Nam

4. Nam anima Principis, quam commendare venisti.] *Animas saluandas in purgatorio ab immundis spiritibus affligi & cruciari, non est improbabile, hoc enim affirmant multæ reuelationes, vt illa Fursæi apud Bedam lib. 3.hist. cap. 19. & aliæ apud Dionysium Carthusianum lib. de 4. nouissimis, & lib. vitæ Bernardi c. 10.*

A

5. Nisi citius occurreris, ad inferni claustra detrahent. *Hoc est, ad profundiora purgatorij loca: Nam secundum clarissima scripturarum testimonia credimus, post mortem non posse vllos de malis bonos fieri, sicut nec contra de bonis malos. Erat ergo hæc anima principis saluãda in gratia Dei, & cõsequenter ad infernum dãnatorum non detrahenda, sed propter multorum peccatorum reatus, in purgatorio diu crucianda, nisi B. Monulphi & populi, triduanis ieiunio & precibus adiuta fuisset.*

B

---

*De S. Gondulpho, qui muros Tungrorum reædificare voluit, quomodo prohibitus est à Domino.*

## CAPVT XXXIIII.

*Ab Aegidio additum.*

HVnc sequitur electio prętiosissimi Confessoris Christi & Antistitis, beati Gondulphi, qui moribus, continentia, & eruditione nullo priorum inferior, nullo ignobilior, dignè sanctã regebat Traiectensem Ecclesiam multorum temporibus annorum. *S. Monulpho succedit Gondulphus.*

C

Hic namque, vt relatione quorundam fidelium agnouimus, magnis ex natalibus, primis videlicet Lotharingiæ fuit oriundus, Traiecti nutritus. Illo itaque in tempore, hæc Ciuitas, hæc Ecclesia maior erat in Domino in vniuersa prouincia. In hac siquidem Ecclesia, Spiritus Sancti præeunte clementia, ipse fortis & nobilis tiro, non sine magna gloria militauit Christo. Hinc nomen eius longè lateq; claruit, magnumque enituit. Beato igitur Monulpho de medio facto, ille ab vniuersis ciuibus electus, ipse ab vniuerso regno in Solium Pontificale electus, consecratur Episcopus, omnique deposita temporalium diligentia rerum, totus fertur in Deum. *Magnitudo Ecclesiæ Traiectensis.*

D

In augmentum ergo virtutum, nunquam defuit illi Dominus virtutum, quo præcedente, potens in opere & sermone disponebat iura regalia Ecclesiarum & legalia. Potenter itaque in vniuerso agebat regno, & in omni castello & oppido, & in quibus nondum erant, ædificari iussit Ecclesias, attendens illud Salomonis: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare.* Illas videre, illas citius exiuit Domino consecrare. Exiuit sanè, & quod minus erat in diuinis, adimpleuit, semper laborans in hoc, vt securè videre mereretur Deum Deorum in Syon. In hoc igitur studio dum desudaret, haud minimum iuxta Ciuitatem Tungrensem die quâdam contigit eum iter habere: Et accedens propius, altitudinem eius, & latitudinem, quotidianosq; maris accessus, aliaque multa, quæ nusquam *S. Gondulphus ædificat Ecclesias.* *Ecclesiast. 9.c.*

*Laus & excellentia Vrbis Tungrensis.*

alibi erant in terra, miratur: præponit eam Babiloniæ, præponit & Romæ. Nihil huic æstimat simile, & in Vrbibus Asiæ. A

*Angelus in specie viri senis ostendit Gondulpho Ecclesiarum Vrbis Tungrẽsis ædificia, & Regũ palatia.*

*Palatium Octauiani Cæsaris in Vrbe Tungrensi.*

*Domus S. Seruatij in Vrbe Tungrensi.*

Inter hæc, habet obuiam senem quendam, à quo, dum sibi peteret ostendi, quæ fuissent Ecclesiarum ædificia, quæ Regum fuissent palatia, ait ille inter cætera: Hoc, Pater, negotium nequaquam est hominum, sed illorum, quorum conuersatio est cum Angelis cœlorum; tamen quod audiui, tibi indicabo, quod agnoui, tibi reuelabo. Et appræhendens manum eius, duxit eum per omnia loca ædificiorum, ostendens ei palatium, quod in honore Octauiani Cæsaris cõstructum erat, à quo & ipsa Ciuitas dicta est Octauia.

Hinc progressus pusillum, in quo vir Angelicus, præsul magnificus, beatus videlicet Seruatius, dudum manserat, ostendit ædificiũ, B mira sanctitatis ad iudicium, Christiq; fidelibus ob solatium, inter cætera ædificia minus dirutum. Huc se protinus contulit Episcopus, & diligenter notans in quibus vel sederat vel steterat locis, genua ponit, oscula figit, & osculando, vniuersa pijs irrigat lachrymis. Hoc autem cum, præ nimio cordis dolore, diutiùs non valeret inspicere, exiens ad alia tetendit.

*Ecclesia B. Mariæ Virginis Tungrensis.*

In loco altaris & sanctuarij, quod erat supereminẽs & honorabilius vniuersa ciuitate, quod & ipsius matris Domini fuerat dicatum Majestati, cùm diuersi generis virgulta vidisset conscendisse, vestem suam scidit, & puluere caput conspersus, in terràm procidit: Vbi cum diu iacuisset, surrexit, & conuersus ad Dominum, dixit: Ecce Syon tua, Domine, ecce Ierusalem nostra; sed quomodo desolata est, C quomodo deuastata? O malitia hominum. O inuidia Dæmonum. Per vos cœlum deseritur, per vos terra desolatur. Quid ergo erit? Tonsa & cæsa permanebit hæc regia cœli? Absit hoc, Domine: nec enim potero videre.

*B. Gondulphus nititur Tungrẽsem Vrbem reædificare, sed frustra.*

Et conuersus ad suos, ex vniuersa iussit conuenire prouincia, qui eam citius innouarent, ibique deinceps habitarent. Hæc dixit, & quod cœperat iter, peregit. Cùm verò rediret, & quod factum erat placeret, aliquot dies illic morari disposuit.

*Admiranda Dei vindicta.*

Cumque gaudens illic perendinaret, recordatus Dominus malorum, quæ fecerat Vrbs illa superba, dilecti sui Seruatij zelans iniuriam, subitò redit ad vindictam, luporumq; grauissimorum immissa multitudine, in præsentia sancti Põtificis, Ciuitatis perfidæ iussit deuorari colonos. Quod constructũ fuerat, vltrix flãma consumpsit: D Cætera fulgur comminuit. Terræ motus insuper cœlitus immissus, pergama multa subruit, adeò frequens & insolens, vt ipse Põtifex mortem euadere desperaret.

Intelligens tandem difficillimum sibi fore diuinis decretis obuiare, reuersus ad suam Sedem, quod inscius fecerat contra Dei voluntatem, pœnitẽdo studuit abolere, quoadusq; diuina meruit lætificari consolatione, talia sibi dicente: Pax tibi, noli timere, Dominus tecum.

Ad

A Ad supernæ igitur repromissionis gaudia, ad æternæ beatitudinis præmia, tandem illum Domino vocante, septimo Kalendas Augusti, ex hoc sæculo migrauit. Et quia non impar est meritis, iuxta suũ prædecessorem Monulphum sepelitur, in medio Ecclesiæ viri gloriosissimi, Seruatij. *Moritur 7. Calend. Augusti. Sepelitur in Ecclesia S. Seruatij Traiectensis.*

Quid ergò nos tantilli, tantorum dicemus in gloria Sacerdotum? Hi sunt reuera, quos miraculis coruscare, verbis pluere, vt nubes volare, sancta Dei miratur Ecclesia. *Isa. 60.* Hi sunt profectò, quos beatus Ioannes oliuas esse ac lucernas non indignè testatur; *Apoc. 11.* quia diligentibus Deum, ne lampades eorum extinguantur, supernæ gratiæ administrant oleum, per quod itur securè ad vitam. Ostendunt viam B doctrinis sanis, & exemplis splendidissimis, defendunt patriam, & custodiunt excellentia meritorum, & instantia orationum, vt sol & luna illuminant terram vniuersam. Ministratur per eos salus: per eos animæ deletur interitus. Vitæ præsentis per hos donatur subsidium, & æternum remedium. Hi sunt, quos in charitate non ficta, elegit gratia Christi. Iure etiam vocantur columnæ; quia suæ sanctitatis humeris, substentant infirmam Christi familiam. Igitur ad excolendam Christi vineam in Vrbe Traiectensium, alios cultores Christus elegit, sicut sequens capitulum demonstrat.

C

## ANNOTATIONES.

1 Multorum temporibus annorum.] *Molanus in natalibus Sanctorum 16 Iulij, notat rexisse ecclesiam Traiectensem septem annis, & illum obijsse circa annum Domini sexcentesimum septimum, eodem anni die, quo Monulphus prædecessor eius.*

2. Vt relatione quorundam fidelium didicimus.] *Consentiunt omnia nostratia chronica, quæ asserunt Ducis Lotharingiæ fuisse filium. Sed illud mirabile est quod eadem chronica narrant, quòd cum Carolus Magnus christianissimus Imperator, ad dedicationem suæ magnificentissimæ Basilicæ Aquisgranensis, tot adesse voluisset episcopos, quot in anno dies, id est, 365, & duo deessent, Monulphus & Gondulphus, è suis sepulchris seu latebris emersisse, & illic ingenti gaudio affuisse. Peracta dedicatione, & à Leone Quarto summo Pontifice præsente accepta benedictione, omnibus* D *admirantibus recessisse, & sua mausolea repetijsse. Nostris chronicis adstipulatur Petrus Canisius in suo martyrologio, ex alijs sacris historijs.*

3. Iura regalia ecclesiarum & legalia.] *Propterea à Molano vocatur custos Ecclesiæ & defensor patriæ, sicut & illius prædecessor.*

4. Pergama multa subruit.] *Intelligo altiora & sublimiora ædificia.*

5. Septimo calendas Augusti.] *Eleuationis autem tàm Gondulphi quàm Monulphi festiuitas, incidit in diem S. Laurentij.*

*De Sancto*

## *De S. Perpetuo Episcopo, qui ei successit.*

## CAPVT XXXV.

*Ab Aegidio additum.*

*B. Perpetuus 23. Episcopus circa annũ Domini 598.*

IGitur post decessum beati Gõdulphi Episcopi, vicesimus tertius Traiectensi Ecclesiæ beatus Perpetuus mitissimus Christi Confessor, ordinatur Episcopus, circa annum Domini, quingentesimum nonagesimum octauum.

Qui beatus vir, clarus existens signis & virtutibus, talentum sibi creditum Domino suo cum lucro reportauit: nam in omnibus quæ probaliter, Deo fauente agere potuit, non suam, sed Christi gloriã quæsiuit. B

*Moritur pridie nonas Nouẽb. Sepelitur Dionanti primo in Ecclesia S. Stephani, post trãsfertur in Ecclesia B. Virginis. S. Perpetuus post Christum Dionatensium patronus.*

His ergò atq; alijs bonorum operum studijs fultus, ad sanctam senectutem peruenit, & sic in confessione Domini, pridie nonas Nouembris, migrauit ad Christum. Qui beatus cõfessor Christi, primo quidem sepultus est in Ecclesia beati Vincentij leuitæ|& Martyris, in oppido, quod Dionantum nuncupatur: Nam ex eius tumba oleũ emanasse dicitur per longa tempora. Sed postea corpus eius in Ecclesia beatæ Mariæ virginis, in eodem oppido sita, translatum est, & in feretro decenter collocatum: vbi & à ciuibus reuerenter frequentatus, & fideliter inuocatus, multiplici beneficio, alter post Christum est eis patronus: De quo inter cætera, aliqua hic, quæ nostris temporibus acciderunt miracula, enarrare curauimus. C

*Miracula eius.*

*Puer à calculo liberatur.*

Fuit apud Dionantum Burgensis quidam, nomine Theodericus, qui habens puerum nomine Fucherum, morbo rupturæ vel calculi miserabiliter laborantem, medicum cum ferramentis, vt opem ferret puero, aduocauit: Cumq; in crastinum prædictus puer secari debuisset, prædictus pater eiusdem pueri votum faciens beato Perpetuo, & promittens quod fabricã ipsius pro posse suo promoueret, si per ipsius merita sospitas puero redderetur, eadem nocte prædictus puer, optatam & insperatam recuperauit sanitatem. D

*In fluuium Mosam lapsus, à S. Perpetuo in ripam saluus educitur.*

*Psalm. 117.*

Fuit etiam ibidem quidam clericus, nomine Clemens, qui quadam die, dum Mosam super ripas inundantes, ex noua domo, iuxta turrim beatæ virginis cerneret, ex alto in prædictum fluuium subito lapsus est; In ipso autem casu, beatum Perpetuum ad memoriam reducens, eum prout potuit, vt sibi adesset, fideliter inuocauit. Cum igitur in prædictum fluuium mergeretur, & impetus aquæ ipsum traheret in profundum, vidit subito beatum Perpetuum pontificali habitu indutum, per caput eum tenentem & ad ripam illæsum perducentem, *A Domino factum istud, & est mirabile in oculis nostris.*

*Lapsa in puteũ & semimor-*

Quædã etiam puella, cum ex puteo, qui in medio Dionanti situs est, aquam extraheret, repentè in puteum corruit, & capite grauiter

læso,

A læso, cæterisque membris penè confractis, mortua, vt dicebatur, extracta est. Illi autem qui eam extraxerant, beatum. Perpetuum inuocantes, & corpus exanime ad altare ipsius cum festinatione deferentes, spatio breui transacto, puellam, quam attulerant, vt putabant, mortuam, meritis B. Perpetui, receperunt viuam. *Puella, ope S. Perpetui viua restituitur.*

ANNOTATIONES.

1. Circa annum Domini 598.] *Sedit verò, secundum Molanum in natalibus Sanctorum, 13. annis. Vide illum 4. die Nouembris.*

2. Nam ex eius tumba.] *Adstipulantur omnia nostratia chronica, & Molanus supra, vt de eius tumba cani possint versus, qui ad laudem S. Nicolai Myræ episcopi &*
B *confessoris, in breuiario Toletano scribuntur.*

Cuius tumba fert oleum,
Matres oliuæ nesciunt,
Quod natura non protulit,
Marmor sudando parturit.

3. Quæ nostris temporibus acciderunt miracula.] *Anno Domini 1601. ad postulationem magistratus Dionantensis tàm ecclesiastici quàm sæcularis, scripsi miracula quæ contigerunt apud feretrum D. Perpetui anno Domini 1599. & aliquot superioribus. Quorum occasione ex chronicis & ritualibus libris ecclesiæ Dionantensis, scripsi quoque vitam S. Perpetui latino & gallico idiomate. Descripsi etiam oppidum*
C *Dionantense, & ea quæ in ipso acciderunt memoria digna, præsertim à beato Materno, & eius conuersione ad fidem in Iesum Christum. Quæ quia iamdiu typis euulgata sunt, eorum nihil repeto.*

## *De S. Ebregiso, qui apud Coloniam translatus est.*

## CAPVT XXXVI.

*Ab Aegidio additum.*

D POst sanctum Perpetuum, Traiectensi Ecclesiæ substituitur vicesimus quartus Episcopus sanctus Ebregisus, circa annum Domini sexcentesimum vndecimum, qui præsedit plusquam quatuordecim annis, sub Apostolicis Honorio, Seuerino, Ioanne tertio, & Theodoro, imperante Heracleo, qui Dominicam crucem de Persida Hierosolimis à Cosdroe Rege asportatam reuexit. *S. Ebregisus 24. Episcopus.*

Hic beatus Ebregisus quondam in Vrbe Tungrensi ex nobilissima progenie oriundus fuit, literarumque studijs traditus à parentibus, in eadem Ciuitate, diuina donante gratia, Doctores summos in scripturis sacris, in breui æquiparauit. *Doctores summos in scripturis sacris æquat.*

In quo etiam tempore, circa scilicet annum ab incarnatione Domini sexcentesimũ duodecimum, Lotharius Rex cõmisit filiũ suum *Vixit circa annum Dñi 612.*

I Dago-

Dagobertum educandum Pipino Principi, patri S. Gertrudis, & Arnulpho illustri cognato suo, & postea Metensi Episcopo. Cognatum ideò appellamus, quia Lotharius Rex Francorum, pater Dagoberti, filiā habuit Blichtildē. Hæc ex Ansberto nobili viro genuit Arnoaldū, seu Bodegisilū, siue Boggis, trinominus enim fuit; Boggis enim de Oda vxore sua genuit Arnulphum, postmodū pontificem Metensium. Hi tenuerunt sex ducatus, quatuor in Aquitania, & duos in Gallia Belgica, à Beloauo trebete dicta. Arnulphus verò ex Doda vxore sua, quæ postea Treuiri quieuit reclusa, genuit Ansigisum & Clodulphū, post patrē tertiū Metensem Episcopū. Ansigisus autem de Begga Pipini ducis filia genuit Pipinum Grossum, sub quo, & pro cuius adulterio, beatus Lambertus interfectus ab impijs extitit. Sed his omnibus omissis, ad nostrum redeamus Ebregisum Episcopū. A B

Igitur sub præfatis Principibus, vt supra diximus, Traiectēsem beatus Ebregisus regebat Ecclesiam, vir magnæ sanctitatis magnæq; auctoritatis: Cuius gesta qui plenius nosce desiderat, vitam eius virtutibus plenam, & miracula quæ per eum Dominus operari dignatus est, ex integro relegat, quam in pluribus locis haberi, non dubitamus.

*Vita & miracula S. Ebregisi seorsim descripta.*

De loco autem vbi sepultus est, testatur Anselmus in gestis Pontificum Tungrensium, ad sanctum Annonem Coloniensem Archiepiscopum descriptis, quod idem sanctus Ebregisus Traiectensiū Episcopus, sepultus sit in Trumonia, diœcesis Coloniensis villa, vbi ferè per trecentos annos aut amplius tumulatus iacuit, vsq; ad tempora Brunonis Coloniēsis Archiepiscopi, qui fuit frater magni. & primi Ottonis Romanorum Imperatoris. Qui venerabilis Archiepiscopus, & Dux Bruno admonitus reuelatione diuina, & beato Ebregiso primo sibi apparente, sed Archiepiscopo super hoc hæsitante, secundo, & tertio, ac iterum apparuit in somnis, dicens, vt corpus eius à loco supradicto deportaret. Certus itaque factus idem Bruno Archiepiscopus de visione, corpus eiusdem beati Ebregisi, à Trumonia transtulit Coloniam, sicut eiusdem Trumoniæ testantur indigenæ, & in Ecclesia sanctæ Ceciliæ virginis & martyris, in feretro auro & argento decenter ornato, cum honore & reuerentia, collocauit, vbi multis & magnis miraculis fœliciter coruscat, ad laudem & gloriam Dñi nostri Iesu Christi. C D

*Locus sepulturæ.*

*S. Ebregisus reuelatione diuina ab Archiepiscopo Coloniēsi ex Trumonia transfertur Colon. ad Ecclesiam S. Ceciliæ.*

## ANNOTATIONES.

Hic Beatus Ebregisus quondam in vrbe Tungrensi ] *De beato isto Ebregiso fatendum est nobis, quod reuera certi nihil habeamus, nisi quod fuerit vicesimus quartus Episcopus noster, circa annum Domini 612, præsederitq́, 14. circiter annis, & in Trumonia villa sepultus sit prout notauit partim Harigerus supra c. 32. partim Anselmus in sua præfat. ad Annonem Archiepiscopum, partim Ægidius hic, & communiter chronica nostra. Cæterum, quòd in vrbe Tungrensi natus sit, & ibi litterarum studijs à parentibus traditus, breui tempore doctores summos in scripturis sacris*

A *cris, in eadem ciuitate æquipararit, prout hic in textu Aegidij, non habet apparentiã, cum ciuitas Tungrensis pro eo tempore, & fortè plusquam ducentis perantea annis esset penitus deleta, vt patet ex antedictis. Similiter, quod Bruno Coloniensis Archiepiscopus eundem Ebregisum ex Trumonia transtulerit Coloniam, prout habet idem Aegidij textus paulo inferius, & Anselmus in dicta præfatione, mihi valde dubium est, existimo ea hic per errorem adscribi, confusis nominibus Ebregisi & Euergisli, quasi fuissent vnus & idem, in quo etiã errauit Molanus in natalibus sanctorum Belgij 24. Octob. Hic S. Euergislus quartus fuit Archiepiscopus Coloniensis, successor S. Seuerini, plusquam 200. ante Ebregisum annis natus est, & studijs imbutus in Tungrensi ciuitate; ibidemq; martyrio affectus, & tumulatus, vt Molanus notat supra, & inde postmodum à Brunone Coloniam translatus, vt Aegidius noster in margine Codicis, veluti*

B *seipsum corrigens, annotauit, cuius hæc verba sunt*: Huius Beati Ebregisi festiuitas quinto nonas aprilis, à quibusdam nono Calend. Nouembris recolitur. Quo similiter die agitur depositio S. Euergisli Diaconi & successoris sancti Seuerini Coloniensis. Hic B. Euergislus oriundus extitit de Tungrensi vrbe: Et cum illis diebus humani generis inimicus, in messe dominica nequiter seminaret Zizania, admonitus est, vt eandem ciuitatem, ac suos affines visitaret, & quia, mortuo Beato Seruatio, carebat pastore, in ea semen diuini verbi spargeret, quod cum fideliter adimplêsset, nocte quadam, dum ex more Ecclesiam beatæ virginis, ad soluendum Deo laudes matutinas, à domo parentum suorum progressus visitaret, à quibusdam hæreticis interficitur, corpus autem eius in Ecclesia beatę Marię tumulatur, sed post

C quingentos annos, tempore primi Ottonis, cum frater eius Bruno Coloniensis Archiepiscopus à Parisijs rediens, Tungri hospitaretur, apparuit ei prædictus martyr Euergislus pontificalibus indutus, ostendens ei casulam suam fractam in pectore, petẽs eam renouari. Expergefactus à somno, &c. *Quam annotationem non reperio in meo codice vlterius se extendere, sed supplere possumus ex vita sancti Brunonis, quæ habetur apud Surium in Octob. c. 27. vbi de hoc Brunone loquens, inquit*, Cum causa colloquij habendi de statu regni apud principes regionis illius, iter haberet in occidentem, forte in reuersione, pacato regno, ad Oppidum Tungrensium deuenit, quod venerandos reliquiarum cineres sancti Euergisli conseruauit. Nam, peccatis exigentibus, Ciuitatem totam longa vetustas, & bellorum tempestas, cum nomine penitus dele-

D uit, ac nouitas aliò Sedem Episcopalem transmutauit. Cumque ibi summus Præsul pernoctaret, illudque animum eius multum moueret, quod tàm sacer locus ad nihilũ iam quasi deueniret, in ipsa nocte apparuit ei S. Euergislus, quasi palliatus casulâ conscissâ, qui & dabat talia verba: Videsne vt vestimenta mea sunt neglecta, & à tinea consumpta? *Quoniam tu illuminabis lucernam meam: illumina tenebras meas. Nam hinc eripiar, & in Deo murum trãsgrediar.* Nec mora, Episcopus somno solutus, rem voluebat tacitus: facto autem mane, bonæ memoriæ ad se iussit venire Folcmarum œconomum, quem in omni negotio consueuit habere coniunctissimum, remque illi ex ordine

I2 nun-

nunciauit,& vt ille in medium consuleret, postulauit. Qui mox dicebat ad primam responsionem, Sanctum Euergislum propriam debere reuisere sedem. Lætatus Episcopus, tam sacri corporis reliquias, sua imperiali potentia propriæ sedi se velle restituere, suis nunciauit omnibus. Hoc vero illi audientes, illud eis optabile fore prædicabant, & penè omnes præ gaudio flebant. Nec mora, cum omni deuotione perrexit cum suis Episcopus ad locum, vbi iacebat sanctum corpus, & post quoddam altare de quadam fabrica iam senio consumpta, cum omni veneratione eleuauit, ac multum flentibus incolis, cum suis Coloniam reportauit. Vbi ad sanctissimam sedem ventum est, ingens populi concursus factus est, Clerus cum sanctimonialibus conuenit, vterq; sexus concurrit, tota ciuitas nouis gaudijs exultauit, sicque cum omni celebratione diuinæ laudis, quinto Calend. Aprilis, honorabiliter repositum est in Ecclesia sanctæ Ceciliæ virginis. Ibi verò tot Dominus quotidiana dignatus est per sanctum suum conferre dona salutis suæ sacræ ecclesiæ filijs, vt præsentem credat vnusquisque adesse largioribus beneficijs,&c. *Ex quibus patet non fuisse vnum & eundem Ebregisum & Euergislum, sed vnum alium præcessisse ducentis plus minus annis, vnum in Trumonia, alterum in Tungrensi ciuitate sepultum. Fueritne tamen fortè vterq; à Brunone translatus Coloniam, vnus ex Tungris, alter ex Trumonia, non immeritò videtur dubitari posse, tum quia Anselmus in dicta præfatione tam asseueranter ponit, & Annoni Archiepiscopo testatur Coloniam habere cineres Beati Ebregisi Episcopi nostri, ex Trumonia per Brunonem in Monasterium sanctæ Ceciliæ translatos, citatq; pro se omnes Trumonienses indigenas ita perhibentes: & Ida Abbatissa eiusdem Monasterij sanctæ Ceciliæ, testatur quoq; in suo monasterio eiusdem Ebregisi Leodiensis Episcopi cineres requiescere, petens ab Anselmo gesta illius sibi describi, prout idem Anselmus testatur, libriq; ac chronica nostra manu scripta communiter ita tradunt. Nihilominus non ausim quicquam determinare, examinabunt penitiùs, qui maiori abundant otio.*

---

## *De Sancto Ioanne.*

## CAPVT XXXVII.

*B. Ioannes Agnus vigesimus quintus Episc.*

HIs igitur per successionem ad superna translatis, Ioannes vigesimus quintus succedit, vir totius sanctitatis, cuius vitam & gesta breuiter narrare tentabimus.

*Ecclesia. 11. e.*

Nec debet æstimari difficile Deo, quod mirabiliter vult operari, *Qui mirabilis in operibus suis*, Sanctos quoque suos inenarrabiliter mirificat. Ipse etenim qui miris & ineffabilibus signis omnibus populis innotescit, ipse beatum Ioannem, propter incredulorum temporis eius côuersionem, præstãtissime mirificauit, vt qui soli omnia scienti, propter sanctitatis meritum erat notissimus, mirabiliter innotesceret etiam sui temporis hominibus.

Hic

A Hic igitur beatus Ioannes, cui tunc temporis nomen erat Agnus, tanto vocabulo simplicitatis, meritò & castis respondebat operibus: Insistebat enim agriculturæ, quæ sola ferè artiũ exerceri valet absque criminis labe. Quod opus, non ægestatis necessitate coactus sectabatur; (erat quippe vir nobilis & magnarum possessionum abũdans reditibus) sed ne torpens otio, indignus haberetur victu & vestitu quotidiano. Ipsum quippe locupletissimum fuisse, testantur prædia nostræ Ecclesiæ ab ipso collata, hactenus à nostris antecessoribus & à nobis possessa, quorum decimationem sancti Cosmæ reretinet Ecclesia in castro Hoyensi, pro eiusdem sancti viri sepultura.

*Respondebat nomini suo simplicitatis & castitatis merito.*

*Diues vacabat agriculturæ.*

*Reliquit Ecclesiæ Leodiensi multa prædia.*

B

ANNOTATIONES.

Ioannes vigesimus quintus succedit.] *Reperio annotationem in codice Aureæ vallis, quæ sic habet:* Circa annum Domini sexcentesimum vigesimũ sextum. *Nec dissentit Sigebertus, qui dicit hunc Ioannem floruisse anno Domini 627.* Florebant, *inquit*, in Gallijs Austregisillus Bituricensis episcopus, & sub eo Sulpitius, Cunibertus Coloniensis, & Ioannes Tungrensis. *De hoc Molanus ad vigesimam quintam Iulij in natalibus Sanctorum sic habet:* Huyi obitus Ioannis Traiectensis ecclesiæ episcopi. Is re & cognomine agnus B. Amandi prædecessor, hæreditatem suam reliquit oratorio SS. Martyrum Cosmæ & Damiani, quod est in castro Huy-
C ensi. *Natalem quarundam Ecclesiarum martyrologia ponunt octauo calend. Augusti, qui tamen in Hoyensi castro non celebratur. Traiectenses autem omnium Episcoporũ suorum memoriam faciunt die sexta Febr. Asseruatur legenda huius Ioãnis Agni gallico sermone conscripta in arce Hoyensi, cuius copiam habeo extractam per D. Ioannem Stassoul, ipsius arcis tunc Capellanum, sub data anni 1585. die 23. Augusti, quæ in omnibus cum his Harigeri & Aegidij scriptis concordat.*

---

## *Quod ei à Transmarino quodam prædictum sit, eum Traiectensem Episcopum futurum.*

D

## CAPVT XXXVIII.

DVm igitur talibus insisteret laboribus, quidam de transmarinis partibus superuenit peregrinus, qui visione Angelica fuerat admonitus, vt mare transiret, & Ciuitatem benefactam ab Anthonino Augusto constructam deueniret, & virum Dei ex nomine designatum super magnalia Dei institueret. Is itaque multas circumquaque terras lustrando, benefactam Ciuitatem quæsierat: tandem Hoyum deuenit, Ciuitatem ex nomine demonstrato inuenit. Amplius progressus ad orientem, Beatum se reperisse Ioannem lætatus est iuxta condictum Angelicum, rurali opere in prædio suo Tutantia vocato, incumbentem. Et, ne

*Peregrinus ab Angelo monetur ire Hoyum & quærere Ioannem Agnum*

*Hoyũ Ciuitas benefacta quondam dictũ, & à quo cõstructũ*

 quis

quis eius animo scrupulus remaneret, tentauit an ex nomine reliquum iudicium conueniret. Salue (inquit) optime vir, agne. Cui cum annueret, & salutatus resalutaret, certior iam factus vir ille transmarinus, bono (inquit) operi insistis, bonus & ipse à Deo agnosceris. A

*Laus Ioannis.*

Bonus ad te nūtius missus sum, nisi fortè (quod absit) verbis meis extiteris incredulus. Opera tua, & eleemosinæ placuerūt Altissimo, cœlos quoq; tua frequens penetrauit oratio, & cui nota sunt omnia, complacita est quæ in abditis tua manet intentio. Et quia magnificè Domino famularis, magnificè ab eo honoraberis: Mirum seruitutis tuæ spectaculum exhibuisti angelicis spiritibus, mirabile de te exēplum præbebitur hominibus. Oppidum Traiectense suo viduatum B est pastore, statuit Dominus eo officij te sublimari honore. Ad hæc sanctus vir primo obstupuit, arrectæq; comæ, vox faucibus hæsit, attonitusq; rei nouitate: Mira sunt (inquit) vir bone, quæ loqueris, non ex toto sum incredulus in verbis tuis: Oppidum quidem Traiectense non est ignotum mihi carere Pontifice, sed me substitui, videtur esse incredibile: Me enim vxorio innexum vinculo, liberorum grauatum sollicitudine, necesse est quæ mundi sunt cogitare, non talem sancti canones vel in sortem clericatus admittunt, &, vt alia prætermittam, irreprehensibilem me esse, sicut monet Apostolus, non autumo, multis me vitijs irretitum considero. Non astiti laborantibus, non sum compassus mœrentibus, cum Martha pauperibus spiritu non ministraui, cum Maria, verbo diuino non intēdi. C Ideò ab actiua multum me dissentire fateor vita, contemplatiuæ verò, nunquam saltem delibasse principia: literas non didici, nunquam studui, scholis non interfui. Et quomodo ad pontificatū tam insperatò debet ascendere, cui non contigit singulos gradus singulariter administrasse? Quomodo tandem poterit præesse, qui nunquam sciuit subesse? Ad hæc senior. Qui cuncta sicut vult potest, ei quoque id perficere impossibile non est: Et qui de nihilo cuncta creauit, cuius potentiæ nemo resistit, qui quondam aperuit ad loquendū os mutum asinæ, ipse scientia potest os tuum replere. Tu tantū eius Majestati difficile nil æstimes, sed credulus linguam fidelem in Creatoris aperias laudes. Ne, quæso, dubites, sed antiquorum historias diligenter retracta, fortassis enim aliquas earum auditu saltem percepisti. Quid in eis aliud antiqua sonant miracula, nisi quod ab Omnipotente iussa, innatum sibi statum mirabiliter mutauit natura? D

*Peregrinus prædicit Ioāni eum futurum Episcopum*

*Modestia Ioannis.*

*1. Timoth. 3.*

*Num. 22.*

## ANNOTATIONES.

1. In prædio suo Tutantia vocato.] *Villa est Huyo vicina* Tyhange, *gallico vocabulo, latino* Tyhonium, *hodierno tempore nuncupata.*

2. Ideò ab actiua multum me dissentire fateor vita.] *Codices aureæ vallis, Cruciferorum, Capucinorum, Groesbekanus non habent,* vita, *quod ex alijs Codicibus, Alnensi, & sancti Martini restituimus.*

Quid

A

*Quid ad hæc ille responderit, quodq́ baculus eius terra fixus floruit; & de Episcopatu, vita & obitu eius.*

## CAPVT XXXIX.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

AD hęc beatus Ioannes respondit: Horum quidem mihi nihil est dubium, sed comparatione eorum per quos hæc gesta sunt insignia, inferior nimis ego sum. Quo verbo finito, baculum
B quem manu tenebat, infigens humo; Sicut (inquit) est impossibile lignum hoc aridum terræ radicitus inhærere, florere pariter & fructificare, sic impossibile scias verba quæ dicis, in me impleri posse. Mox, mirum dictu, lignum superficiem mutauit, terræ inhæsit, corticem induit, viruit, floruit, fructum protulit. O mira potentia Conditoris. O ineffabilis gratia Creatoris. Fœlices qui hæc meruerunt videre. Fœlices & nos, si non dissimulemus credere. Fœlix Clerus tali Pontifice, & fœlices populi sub tanto pastore. *Peregrinus miraculo comprobat Ioannem Episcopum futurum.*

Vulgatũ est hoc celebre in omnium aures, prolatum est ad plurimos regni totius proceres. Non latuit Regem, fama hæc in Traiecto
C congregatam occupauit plebem. Confestim properatur, legatio Hoyum dirigitur. Beatus Ioannes cum Transmarino illo inuenitur, Traiectum, non sine admiratione omnium, ambo perducũtur. Regnum Austrasiensis Franciæ Dagobertus adolescens administrabat. Lotharius pater eius, quatuor regnorum Monarchiam solus regebat: Regia verò præcepta edicuntur, beatum Ioannem Traiectensem fore Episcopum, a cunctis acclamatur. Consentiunt omnes, vniuersi lætantur, rapitur, intronizatur. Sanctus vir, licet adhuc vellet reniti, quia tamen à cunctis videbat se fauorabiliter excipi, lętabatur se vinci à dispositione Dei, tam mira & euidenti. *Publicatur miraculum, & Ioannes cum peregrino ducuntur Traiectũ.* *Quo tempore hæc contigerit.* *Ioannes Agnus creatur Episcopus.*

Qui qualem quantumq́ue post intronizationem in sanctis operibus se exhibuerit, præmissa declarant, cùm constet eum omni mo-
D rum honestate præditum, quamplures perfectos habuisse discipulos: E quibus vnum accepimus, beatum scilicet Mononem, responsis sub eo Ecclesiasticis insistentem, perfectum exhibuisse martyrem. *Qualis & quantus vir Ioãnes Agnus.* *Eius discipuli.*

Ipse verò beatus Ioannes, cursum vitæ præsentis explens, in bona senectute vita decessit, brauium coronæ perennis accepit, sepultus in Ecclesia S. Cosmæ, Hoyi in monte sita. *Moritur & sepelitur in Ecclesia S. Cosmæ in castro Hoyensi sita.*

*Additio Aegidij.*

Cuius festiuitas agitur à quibusdam octauo Calend. Augusti.

Eius Epitaphium.

*Per stimuli florem tulit Agricultor honorem.*

Huius

*Ioannes 2. Episcopus Leod. leuat de terra reliquias Ioãnis Agni.*

Huius verò Ioannis reliquias nostris temporibus leuauit de terra D. Ioannes nominis huius secundus Leodiensis episcopus, & eas honorificè recondidit in altari Sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum in castro Hoyensi. Hoc itaque altare iterum consecratum fuit à prędicto Ioanne episcopo in honore prędictorum Martyrum, anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo. A

Vetus quoque altare, quod ab antiquis illic fuerat constructum, distabat à muro aulæ rotundæ ferè duobus cubitis, & ibi fuit inter murum aulæ rotundæ & altare sepultus B. Ioannes Agnus, tenens caput sub altari prædicto, pedes verò vsque in murum aulæ sæpedictæ.

*Auctor præsens fuit cùm Ioannes 2. leuaret reliquias Ioannis Agni.*

Huius verò tumbam vidimus nostris temporibus, quando Ioannes prædictus eum leuauit de terra, collocauitque altare iuxta murum aulæ rotundæ prædictæ. Claruit autem dictus beatus Ioannes Agnus sub Dagoberto primo & famosissimo Rege Francorum, & eius patre Lothario Magno. B

## ANNOTATIONES.

1. Mirum dictu, lignum superficiem mutauit, terræ inhæsit, corticem, induit, viruit, floruit, fructum protulit.] *Codex peruetustus vitæ huius Ioannis Agni Episcopi, qui in arce Hoyensi seruatur, præter alia, quæ conformiter cum auctore nostro scribit, dicit lignum de quo hîc agitur, protulisse poma suauissimi saporis, quæ ab eo tempore poma S. Ioannis, ab hoc videlicet Ioanne appellata fuerũt. Idem refert Molanus in natalibus SS. Belgij ex quodã Liberto Houtemio, qui se id ex antiquissimo M.S. codice accepisse Molano testatur. Insignis huius miraculi meminit Sigebertus in vita S. Theodardi, vbi sic legis:* Vt sciamus autem qui fuerint illi, quorũ exẽplo vel instituto Theodardus meliora charismata æmulabatur, à paucis multos, à vicinis lõginquos, à notis colligamus ignotos. In ijs præeminebat Arnulphus ex maiore Metensiũ Episcopus, Eligius ex aurifice, post, Nouiomensis Episcopus, Ioannes etiam Tũgrensis ex laico in Episcopũ, eodem signo quo primus Aaron à Deo electus, dum huius quoque virga, quã manu gestabat, in terram iussu Angeli defixa, reuiruit, fronduit, floruit, fructificauit. C

2. E quibus vnum accepimus, beatum scilicet Mononem.] *De hoc sic habet martyrologium Vsuardi 18. Octob.* In Nassonia natalis B. Mononis martyris, qui Angelico monitu de Scotia Arduennam deuenit, ibiq; soli Deo multo tempore seruiens, à sicarijs latronibus confossus, fęliciter occubuit, sepultus in ea Ecclesia, quam ipse construxerat. D

3. Huius verò Ioannis reliquias nostris temporibus.] *Consentit Molanus in natalibus Sanctorum die 25. Iulij.*

4. Huius verò tumbam vidimus nostris temporibus, quando prædictus Ioannes eum leuauit.] *Ex his verbis colligo Aegidium nostrum præsentem fuisse, cùm Ioannes Episcopus huius nominis secundus, leuaret reliquias S. Ioãnis Agni, & additionem hanc aut propria manu scripsisse, aut alteri scribendam dictasse.*

*De Sancto*

A

### *De Sancto Amando.*

## CAPVT XL.

POst hæc, sanctus Amandus vicesimus sextus subrogatur Episcopus, de cuius vita, quia plena virtutibus habetur descripta, placuit hinc inde decerpere pauca, & ipsa ante Episcopatum eius gestorum repetere initia. *Vita S. Amãdi separatim descripta.*

Igitur in Aquitania oriundus patrem habuit Serenum, mater Amantia est nominata: non solùm secundum sæculi dignitatem incliti, verum christianissimi. *Patria & parentes Amãdi.*

B

Dum puer adhuc esset, patriam parentesque reliquit; Ogiam insulam ad occidentem maris Oceani expetiuit. Illic à fratribus gaudenter suscipitur, & cùm literatus esset, Dei seruitium frequentabat ardenter. Primum autem signorum eius hoc fuit initium. *Puer relinquit parentes, & ad monasterium conuolat. Claret miraculis.*

ANNOTATIONES.

1. *Vitam S. Amandi scripsit quidam Baudemundus illi contemporaneus, ex qua auctor noster quæ aliquot capitibus de gestis S. Amandi narrat, desumpsit. Scripsit quoq; vitam eius quidam Milo poëta, vt ait Sigebertus de viris illustr. capite 106: cuius epitaphium habet chronicon Elnonense, vt refert Molanus ad martyrologium Vsuardi 6. Februarij:*

C

Milo Poëta, sophus, cubat hoc sub marmore clausus,
Carmine dulciloquus, qui librum sobrietatis
Edidit, & sanctum pulchrè depinxit Amandum,
Floribus exornans, metro prosaque venustans.

*Scripsit quoq; Philippus de eleemosina capitibus 52. & Gilbertus Decanus Elnonæ Sancti Andreæ deportationem Sancti Amandi per Franciam, ac miracula per Amandum in via patrata, quæ habentur manu scripta in Flandria ad sanctum Amandum, vt notauit Molanus sup. Plura de eo habet Notgerus Episcopus Leodiensis in vita S. Landoaldi, quam habet Surius tom. 2. Martij 19. Quædam quoq; reperies in vita S. Bauonis apud Surium tom. 5. die 1. Octob.*

D

2. Subrogatur Episcopus.] *Marginalis annotatio codicis Aegidij habet*, anno Domini 632.

§. 3. Igitur in Aquitania.] *Annotatio marginalis Aegidij*, Ex pago, *inquit*, Berbantico, anno septimo, quo Iustiniani successor Iustinus iunior, cum Sophia vxore in Republica arcem Imperij tenebat.

4. Oriundus.] Anno *(inquit ibidem Aegidius)* ab incarnatione Domini 571. natus est S. Amandus, quo videlicet tempore, Ioannes Pontifex sexagesimus tertius præsulatus sui octauum annum agebat. Computantur autem à natiuitate beati Amandi, vsque ad obitum eius Pontifices Romanæ sedis sexdecim. Primus, Ioannes prædictus; secũdus, Benedictus; tertius, Pelagius; quartus mirabilis Doctor Ecclesiæ Gregorius; quintus, Fabianus; sextus, Bonifacius; septimus

timus alter Bonifacius; octauus, Deus dedit; nonus, Bonifacius tertius; decimus, Honorius; vndecimus, Seuerinus; duodecimus, Ioannes; decimus tertius, Theodorus; quartus decimus, Martinus beato Amando familiarissimus; decimus quintus, Eugenius; decimus sextus, Vitallianus, cuius tertio anno Pontificatus obijt beatus Amandus. Fuerunt etiam hi Imperatores, Iustinus, Tyberius, Mauritius, Focas, Eracleus, Constantinus, cuius anno vigesimo tertio regni vltimum æui annum expleuit beatus Amandus. De Regibus verò Francorum, primus Hilpericus, secundus Lotharius, tertius Dagobertus, quartus Sigebertus, eiusque frater Clodoueus, cuius filij fuerunt, Lotharius, Hyldricus, & Theodericus, sed Lothario mortuo, ac deinde Hyldrico interfecto, regalem quam nuper tõsuratus amiserat Theodericus recepit dignitatem, sub quo beatus Amãdus obijt. *His omnibus adstipulatur Sigebertus in Chronico.*

5. Primum autem signorum eius. ] Anno Domini 614. *(inquit Sigebertus)* Sanctus Amandus Elnonensis, per Gallias miraculorum, & prædicationis gratiâ, clarescebat.

---

*De Serpente orationibus eius fugato, & quod Clericus factus Turonos, hinc Bituricos, tunc Romam, indeque Gallias repetierit.*

## CAPVT XLI.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

*Primum eius miraculum.*

EVnti per viam die quadam magnitudinis nimiæ serpens occurrit: Et primùm quidem, pro puerili ętate extimuit, demum, post fusam orationem surgens, crucis signum opposuit, & vt ad latebras redeat, indicit. Statim iussis obtemperans serpens, otiùs redijt, & in eandem insulam deinceps non comparuit.

*Pater frustra eum à monasterio reuocat.*

Post modicum tempus, pater eum insequutus, à monasterio tẽtauit abstrahere, sed negotio imperfecto, puerum sanctum nolens reliquit.

*Fit Clericus*

Deinceps Turonicam expetens Ciuitatem orationis causâ, beati Martini Antistitis inuisit sepulchrum, vbi & comam capitis abscindens, Clericatus adeptus est honorem.

*Suscipitur à S. Austrigisilo Bituricensi Episcopo. Virtutes Amandi. Peregrinatur ad Vrbem SS.*

Inde Bituricas deueniens à sancto Austrigisilo eiusdem Ciuitatis Episcopo, & eius Archidiacono sancto Sulpitio postea Episcopo, deuotè suscipitur. Quorum suasu, cellam sibi illic construxit, quam per quindecim fere annos inhabitauit, cilicio tectus & cinere, vigilijs assuetus & ieiunijs; hordeaceo pane contentus, à vino abstinuit, aquâ corpus sustentauit.

Post hæc, sancto tactus desiderio, Romam profectus est, vt beatorum

A rum Apostolorum suffragia expeteret. Et cùm quadam nocte, egressis custodibus, ipse in Ecclesia delitescens & orans pernoctasset, sequenti die repertus, iniurijs afficitur, & ab Ecclesia propellitur. Hac de causa in foribus sedēti, & præ cordis mœstitia extasi detento, sanctus apparuit Petrus Apostolus, blandeq; delinitum, vt Gallias prædicandi gratiâ repetat, hortatur: Ipse verò redditus hilarior, ad Gallias est reuersus.

*Petri & Pauli suffragia expetituros.* *Afficitur iniurijs.* *S. Petrus in extasi illi apparēs hortatur vt Gallis prædicet Euangeliū.*

*Additio Aegidij.*

Et in parochia Tungrensi verbum vitæ populis prædicans, cœnobium in honore beati Apostoli Petri ædificauit ac dedicauit. Quod monasterium super Sambram nominauit, in quo requiescit corpus B gloriosi Confessoris Fredegaudi Abbatis, cuius festum agitur 16. Calend. Augusti. Requiescit in eodem Venerabilis Abbatissa beata Itta, forma & genere nobilis, quæ cùm sentiret suam dissolutionem, cupiens cum Christo viuere, iussit se duci in dictam Ecclesiam, & cùm viaticum atque extremam vnctionem de manu Sacerdotū accepisset, ante altare beati Nicolai, quem intimo cordis ardore diligebat, diu in oratione procumbens, sanctam animam orando, inter manus Angelorum Deo reddidit.

ANNOTATIONES.

1. Inde Bituricas deueniēs, à sancto Austrigisilo.] *De hoc agitur festiuitas 20. Maij in martyrologio Vsuardi.* Bituricas (*inquit*) Beati Austrigisili C Episcopi & Confessoris. *Vitam eius scripsit quidam illi contemporaneus. Habes illam apud Surium tom. 3.*

2. Sancto Sulpitio postea Episcopo.] *De hoc festiuitas agitur 16. Calend. Febr.* Bituricas Ciuitate (*inquit Vsuardus*) depositio sancti Sulpitij Episcopi, cuius vita & mors prætiosa, gloriosis miraculis commendatur. *Hic non est Seuerus, sed Pius, cui sanctus Gregorius Turonicus dedicauit historiam de septem dormientibus in maiori monasterio. Vitam habes apud Surium pag. 411. quam scripsit quidam illi contemporaneus, quod indicant illa verba*: Quantum eorum relatione cognoui, qui ei à pueritia vsque in tempora nostra comites, ministriue fuerunt.

---

D *Quod Episcopus ordinatus multa bona opera fecerit.*

## CAPVT XLII.

NEc mora, coactus à Rege & Sacerdotibus, iuxta morem ad prædicandum est ordinatus Episcopus. At ipse commissum sibi strennuè implens officium, circumquaq; positis verbum Dei annunciabat, monasteria construens Religionem amplius curabat, ipsaq; cœnobia prædijs & opibus à Rege sibi & Principibus collatis, ditabat. Captiuos pretio redimebat, nudis vestimenta præbebat, esurientes cibis reficiebat.

*Ordinatur Episcopus.* *Fundat monasteria ex donarijs Regis & Principum.*

*Secundo peregrinatur ad Vrbem.* Item subijt animũ Romã proficisci cõtigitq; inde reuertentẽ Cẽtũcellis hospitari. Cũq; illic esset, Diabolus vnũ de famulis arripiẽs ad mare necandũ trahebat: Qui cum Christum ad suam liberationẽ inuocaret, Diabolus autem irridendo quis esset Christus inquireret; *Eius miracula* ait beatus Amandus: Filius Dei viui pro salute hominum crucifixus. Ad hanc vocem, disparente Diabolo, ereptus est homo. A

Per idem pelagus nauigantibus eis, captus est piscis, cuius captura gaudium cumulauerat nautis: Sed hanc eorum lætitiam orta subito turbauit tempestas, quæ eos de vita desperantes, ad virum Dei confugere compulit. Orante sancto, beatus Petrus per puppim nauem transiens, apparuit, confidere iussit, saluandos omnes promisit. Sedata est mox procella, tempestas fugata. Facto mane, omnes ad terram incolumes exiêre. B

ANNOTATIONES.

1. Ordinatus est Episcopus. ] Anno, *inquit Meyerus*, 633. Amandus Elnonensis, decus eo tempore religionis, creatur Episcopus Tungrorum, quibus tum Sedes Episcopalis erat Traiectum, quod veteres Vtricesium nominârunt.

2. Item subiit animum. ] *Ita legit codex Aureæ vallis, Capucinorum, Cruciferorum, & Grosbecanus: codex Alnensis legit*, Iterum.

---

*Quod Gandensem populum conuerterit, Bauonem recluserit, mortuum resuscitauerit.* C

## CAPVT XLIII.

*Ingreditur Gandauum.* INgressus interea Gandense oppidum Scaldi fluentis insitum, Diabolicis laqueis sic inuenit irretitum, vt eius loci homines pro Deo colerent ligna & arbores. Cæteris circũquaq; positis Christi fidei subiectis, isti, vel propter efferos mores, vel propter infœcundos cespites adhuc idolis seruiebant. Igitur fauente Aychario Nouiomensi *Afficitur iniurijs.* Episcopo, Regia insuper auctoritate incumbente, tanto sedi scrimini opposuit, nimio succensus animi feruore. Quoties iniuriatus, quoties flagris est cæsus, quoties ab inhonestis mulieribus deturpatus, quam sæpe in fluuium præcipitatus? Ad vltimum, fugatis sodalibus, *Cœnobium construxit.* solus remansit prædicationi assiduus. Sancti Petri cœnobium illic ędificauit, Sanctum Bauonem ex Hasbanio prædonem conuertit, & trans fluuium factâ cellulâ, pœnitentem inclusit. D

In eodem pago reus quidã Comiti iudicandus est præsentatus: Superueniens sanctus vir, pro eo, ne moreretur, Comiti preces humiliter satis effudit. *Orat pro quodã reo frustra.* Obduratus ille B. viri precibus non intendit; quin potius damnatũ hominem primo cædi iussit, deinde ligno præcepit affigi. Postea, discedentibus cunctis, defuncti iam corpus in patibulo relinquitur, sed S. vir visitaturus miserũ, post modicũ regreditur: At vbi

A vbi iam defunctũ reperit, depositum de ligno ad cubiculũ, vbi orare consuerat, secũ facit deferri. Et cùm iuxta corpus orans pernoctasset, mane fratres conuocans, aquâ lotum, viuũ restituit, ita vt ne vulnerũ quidem eius saltem cicatrix appareret. Cuius miraculi nouitas loci illius incolis in tantum profuit, vt ad eum vndiq; concurrentes, idola sua, proprijs manibus diruerent, & ea in Ecclesijs cõstruendis expenderent.

*Reum defunctum à morte suscitat.*

Post horum cõuersionem, transito Danubio, gentibus prædicare disposuit, sed pluribus ex eis in infidelitate persistentibus, paucos tamen Christo regenerauit, ac deinde ad propria regressus est.

*Transit Danubium, & gentibus Christum prædicat.*

ANNOTATIONES.

B 1. Ingressus interea Gandense oppidum ] *Consonant his, eaq; illustrãt quæ habet Meyerus ad annum 634. dum ait:* Per idem tempus Amandus in Mempisco atque Gandaui prædicauit, multisq; tandem laboribus, Gandenses ad veram conuertit religionem, ea in re præcipuos nactus adiutores, Martinum Pontificem Romanum, Dagobertum Regem, Aycharium Nouiomensem Episcopum, atq; Landoaldum Archipresbyterum, vna cum Amantio diacono. Nam postq; ob stultas & insanas superstitiones, gentisque obstinatam peruicaciam, parum Amandus se videret proficere, Romam ea de causa ad Pontificẽ profectus est. Pontifex, Episcopusq;, prædicandi illi munus tradiderunt. Simul Dagobertus Rex diploma dedit, quo cogi eos voluit, C quicunque nostræ religionis ritus profiteri detrectarent. Sic demũ domitâ Gandauorum ferociâ, suauissimũ Christi iugum subijt, Aræ Mercurij, quem Deum ibi colebant, euersę, luci succisi, fana destructa. Fundatum à Regibus in monte Blandini, in sinistra Scaldis ripa, pago Corturiacensi, principi Apostolorum cœnobium, idq; ab Amãdo consecratum, illiq; præpositus Floribertus vir plane apostolicus. Dedicata item cella Diui Bauonis in eadem ripa Scaldis, pago & castello Gandensi, quę & ipsa in magnum creuit monasterium. Instituit item Amandus clericos Truncinij in pago Mempisco, territorio Gandensi super amnem legiam, vbi castellum quoddam steterat.

D 2. Superueniens vir Sanctus ] *In martyrologio Elnonensi sic legimus:* In pabula Elnonæ monasterio, depositio sancti Amandi Traiectensis Episcopi & Confessoris, qui multorũ miraculorũ virtutibus pollẽs, inter alia fertur, quod reo, cui ante mortem à sæuo iudice ne potuerat vitam impetrare, post mortem à pio iudice Deo, vitam impetrauit & salutem. Baudemundus, qui vitam sancti Amandi scripsit, dicit quendam, Bonum, Præsbyterum sibi narrasse quod præsens erat, cùm Amandus Tornaci à Iudice non obtinebat furis liberationem, quem suspensum ad vitam reuocauit. *Habes vitam Amandi apud Surium tom. 1.*

A

*Dagoberti Regis filium catechizat, Traiectensem Episcopatum post triennium derelinquit.*

## CAPVT XLIIII.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

*Dagobertus Rex Amandũ à se regno pulsum reuocat, & veniã rogat*

*Modestia Amandi,*

*Catechizanti Amando puer 40. dierũ respondet, Amen.*

*S. Amandus triennio solum Episcopus. Sacerdotes & Diaconi illi insultant.*

CONtigit interea Dagobertum Regem ex coniuge suscipere filium: Et quia idem Rex, subitâ præuentus irâ, beatum virum cum iniuria regno dudum expulerat, quod pro quodam crimine corriperetur ab eo, ductus pœnitudine, ex occasione baptizãdi pueri, sibi eum voluit reconciliare, & idcircò directis honestioribus viris, Eligio scilicet & Audoeno, ex commisso in eum primũ quidem veniam precabatur, deinde, vt ad baptizandum filiũ suũ veniret, obnixè rogabat. Tãdem repertus vir Domini Amandus, Regię petitioni veniẽdo paruit, noxam remisit, sed tantæ Maiestatis filium baptizare, quasi indignus humiliter recusauit. Sed Rege in prece perseuerante, puerum quadraginta à natiuitate dies habentem, catechizauit. Circumstantibus in alia occupatis, & non respondentibus, puer clara voce respondit, Amen: Sicq; baptizatus, Sigebertus est nominatus; cunctis qui aderant, mirantibus pariter & gaudentibus. B

Post hęc, beato Ioanne Traiectensi Episcopo ad superna translato, Rex Dagobertus, conuocatis Sacerdotibus plurimis, sanctum Amãdum Traiectensibus præfecit. At ipse, suscepto pastorali officio, commissorum sibi sollicitudinẽ gerens, vicos & castra per trienniũ circuiuit, verbum vitæ annunciauit: Sed nihil se proficere cernens, quin potius Sacerdotes & Diaconos insultare sibi perpendens, dimissis eis, ad alia se loca transmisit. C

*Additio Aegidij.*

Extat ad hũc sanctum Amandũ epistola decretalis Martini Papæ, in qua significat eundem Amandum voluisse pastorale obsequium deponere pro eorum inobedientia, quia Presbyteri vel Diaconi, post suas ordinationes in lapsum carnis inquinabantur: à qua voluntate illum dehortatur idem Beatissimus Papa, persuadens eum ad patientiam, & commonens, vt nullam eis in delicto compassionem exhibeat, sed lapsos omnes ab officio deponat, & eos in iugem pœnitẽtiam mittat. Si enim tales quærimus ad sacros ordines promouendos, quos nulla ruga, nullum vitæ contagium ab ordinibus sacris præpediat, quantò magis, si post ordinationem suam in lapsum reciderit, & præuaricationis peccato depræhendatur obnoxius, omnimodè prohibendus est cum manibus lutulẽtis atque pollutis, mysterium nostræ salutis tractare: sitq; huiusmodi semper iuxta sacrorum Canonum statuta, in hac vita depositus, vt ille qui mentis interna D

na

A na ſcrutatur, nullamque de ouibus errare congaudet, dum aſpexerit ſinceram eius pœnitentiam, in terribili iudicio habeat reconciliatã.

## ANNOTATIONES.

1. Eligio ſcilicet & Audoeno.] *Sigebertus de viris illuſtribus cap. 28*: Audoenus, *inquit*, qui & Dado Rothomagenſis Epiſcopus, ſcripſit ad Robertum Pariſiorum Epiſcopum vitam Eligij Nouiomenſis epiſcopi, duobus libris explicans miracula, quæ vel in vita, vel poſt mortem eius geſta ſunt per eum, tertio libro rhetoricè & commaticè totam eius vitam recapitulans. *Meminit Eligij Aimonius lib. 4. hiſtoria Francorum cap. 41. Fridegotus autem diaconus ſancti Odonis, dicitur vitam S. Audoeni ſcripſiſſe: cuius reliquias ſanctus Odo epiſcopus Cantuariam tranſtulit ãno 956. Edidit eam Surius correcto nonnihil ſtylo. Idem Sigebertus in chronographia anno 637.* Florebant in Francia tres fratres, Ado, Rado, Dado qui & Audoenus dictus eſt, qui ſuam erga Deum deuotionem oſtenderunt, ſinguli ſingula cœnobia fundando, ex quibus Dado fuit referendarius Dagoberti Regis. Referendarius autem dicebatur, ad quem publicæ conſcriptiones referebantur, vt per eum annulo ſeu ſigillo Regis confirmarentur. Hos ad hoc animârat Eligius aurifex iam dudum in aula Regis Lotharij clarus, qui etiam ex dono Dagoberti Regis Solenniacum monaſterium conſtruxit, vbi ſanctus Remaclus ex Aquitania veniens, ſe in Chriſti tyrocinio ſub eo exercendum dedit. Sanctus verò Dado qui & Audoenus, intra Brigenſem ſaltum cœnobium conſtruxit, quod Raſbacis dicitur, in quo S. Agillum primum abbatem præfecit.

2. Puer clara voce reſpondit, Amen.] Anno Domini 633. *inquit Sigebertus Gemblacenſis in Chronographia*, Sigebertus infans filius Dagoberti à S. Amando baptizatur, vbi tacentibus cunctis, ipſe infans quadraginta dierum, Amen, reſpondit, & Amandus Traiectenſis epiſcopus ordinatur.

3. Sicque baptizatus Sigebertus eſt nominatus. ] *Sigebertus de viris illuſtribus cap. vlt.* Scripſi, *inquit*, vitam Sigeberti Regis Francorum, cõditoris eccleſiæ & abbatiæ S. Martini extra Metim poſitæ. *Habetur in monaſterio Malmundarienſi M. S. & nuper ſtudio fratris Iacobi Moſandri Carthuſiani typis excuſa eſt tom. 7 de probatis Sanctorum hiſtorijs: ex qua confirmantur ea quæ auctor noſter hoc cap. de Sigeberto & Amando narrat. Vide quoq; de eadem re Aimonium lib. 4. cap 20.*

4. Dimiſſis eis ad alia ſe loca tranſmiſit. ] *Quibus caſibus liceat dimittere Epiſcopatum, docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 4. & 5. & ibi recentiores Scholaſtici. De hac re habes quadam infra, vbi Remaclus quoq; Epiſcopus fit monachus. De hac dimiſſione Sigebertus ad annum 638. ſic loquitur: Sanctus Amandus Tungrenſis Epiſcopus, Epiſcopatu poſthabito, verbi inſtat officio.*

Quod

*Quod contemnentes verbum Dei ex ore, eius vltio diuina percussit, cæcus ex aqua manibus eius infusa, visum recepit.*

## CAPVT XLV.

*In monasterio degit.*

CHanalaus postea, insulam Scaldi fluminis deuenit, ibique cum fratribus religiosis aliquamdiu mansit. Contemptores autem verbi Dei plaga crudelis per biennium attriuit, ita vt in eo loco, nullus remanserit ex his, qui sanctum virum prædicantem spreuerant. B

*Egressus Gentilibus prædicat.*

*Aqua manibus S. Amandi fusa, cæcum illuminat.*

Postea, in Wasconiam secedens, Gentilibus populis verbum salutis prædicabat. Mimilogus quidam seruum Christi derisit, Euangelium annullauit, protinus à Dæmone arreptus, proprijs se lacerans manibus, miserabili obitu vitam finiuit. Sed & illic minimè proficiens, cùm reuerteretur ciuitatem quandam hospitandi gratiâ intrauit. Illo ab Episcopo Ciuitatis honorificè suscepto, aqua manibus eius infusa eodem iubente Episcopo reseruata est, de qua cæcus quidam, dum oculos intingeret, lumen recepit.

*Insidiatores suos cæcitate percussos, itemq; cæcam mulierem illuminat, monachum inobedientem paralysi percussum liberat: remuneratio virtutum eius, & dormitio.* C

## CAPVT XLVI.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

*Redit in Gallias & monasteriũ exstruit.*

*Egre fert loci Episcopus, & mortem illi machinatur.*

*Insidiatores diuinitus puniuntur.*

POstea Franciâ rediens, cùm illic habitare decerneret, Hildericum Regem poposcit, vt sibi locum monasterio construendo aptum largiri dignaretur; quem protinus impetrauit: sed Mumulus Ozidinsis Episcopus hoc ægrè tulit, qui mox contra virum D Dei ardentissimâ stimulatus inuidiâ, in mortem eius aspirauit. Ilicò misit apparitores, qui locum alium congruentiorem sibi, simulatè ei ostenderent, vt dum ab hominibus eum abstraxissent, clanculò perimerent, & corpus in abdito loco proijcerent. Quo beatus ille, spiritu sibi reuelante cognito, sitiens tantum martyrium, ad montem quendam sequutus est illos, illicq; cæcitate feriuntur inimici; sed pœnitentes, orante sancto, curantur.

Reuertens autem Beluacum, in pago Ciuitatis apud cæcam quandam mulierem hospitatus est. Sciscitatus causam cæcitatis, didicit eam adorasse arborem Dæmonijs dicatam: Mox illam incidi præcepit, & mulier lumen recepit.

Præposito

A Præpoſito monaſterij cuiuſdam, vt ad euehendum fratribus vinum plauſtra pararet, indixit: Ille plauſtra ſe non habere mendaciter reſpondit, & iuſſioni eius parere ad horam diſtulit. Mox paralyſi diſſolutus, crimen inobedientiæ ſuæ recognouit, & naui impoſitus Elnonē monaſteriū viro Dei deducitur, à quo vinū & panem accipiens, mox, vt guſtauit, in integrum ſanitati reſtituitur, & de ſuis prauis moribus, in reliquum emendatur.

Alia multa miranda peregit, innumera cœnobia conſtruxit, & opibus ditauit. Ad vltimum, Elnonenſe monaſterium inhabitauit, vbi & vitæ finem accepit, octauo idus Februarij, anno Conſtantis qui & Conſtantinus, 181. anno Domini 665. anno ætatis ſuæ 90.

B

*Additio Aegidij.*

Tempore quo Carolus Magnus Imperator Romanorum, Ludouico filio ſuo coronam Imperialem impoſuit in eccleſia B. Mariæ Aquiſgrani, & Bernardum filium Pipini ſui, Regem Italiæ fecit, in Francia apud cœnobium Elnonenſe S. Amandus Traiectenſis epiſcopus, à Lothario dictæ eccleſiæ archicuſtode eleuatur, à depoſitione eius anno circiter centeſimo quinquageſimo: cuius corpore adhuc inuento integro, cùm eius capilli & vngues, qui excreuiſſe videbantur, ſuccidérentur, & de eius ore dentes, adhibita forcipe extraherentur, ſanguis inde profluxit, qui ad memoriam poſterorum C adhuc ſeruatur.

ANNOTATIONES.

1. Elnonenſe monaſterium.] *Situm eſt inter Tornacum & Valencenas.*

2. Anno Domini 665. ætatis ſuæ 90.] *Conuenit Molanus & Meyerus.*

3. Sanguis inde profluxit.] *Martyrologium Elnonenſe ſic habet:* Elnonæ eleuatio corporis S. Amandi epiſcopi & confeſſoris, cuius corpus poſt centum & quinquaginta à tranſitu annos, integrum inuentum eſt, atque de ore eius geminis ab inuentore dentibus ablatis, ſtillæ ſcribuntur fluxiſſe cruoris.

---

D

*Proemium in vita beati Remacli.*

## CAPVT XLVII.

Omnipotens Deus, qui diues eſt in miſericordia, cuius natura, bonitas; voluntas, efficientia; opus miſericordia; ſuſtinuit vaſa iræ apta in interitum, in multa patientia, *Rom. 9.* ſaluandis omnibus venit, diuitias bonitatis ſuæ omnibus prærogauit, opus miſericordiæ ſaluatricis, vt eſſet recuperabile, miſecorditer ante prouidit. Initium ergò ſalutis noſtræ, Deo miſerante habemus, & beatos eſſe nouimus, qui dum Chriſtum in carne tantam prælibaſſe ſalutem non viderunt, credere fideliter audita non

*Ioann. 12.*

dubitauerunt. Multos namque ipsorum opera quæ ipse fecit, fecisse, A & maiora, iuxta promissum ipsius, operatos esse fatentur non solum proximi, sed & vltra Sauromatas prædicant positi, & glacialem frequentantes oceanum, & fortunatarum incolæ insularum. Et idcirco tanto delectet nos succumbere bono, tanto sit gloria subesse Domino; qui non modo fautor & adiutor est incremento proficientium, verùm remediabiliter prouidet, ruentium casibus obuiando, dum & Angelica nobis præstat suffragia non deesse, & patrocinia confert Sanctorum, quos pro reatibus intercessores nòn dubitemus efflagitare.

*Inuocatio Sanctorum, vti intercessorum.*

*Omnes Sancti à nobis honorandi, sed specialius illi, quos Deus singulis quibusque locis misericorditer attribuit.*

Quos cùm passim & diuersis donatos prouincijs in cõmune conueniat honorare, singulis tamen quibusq; locis misericorditer preuisos attribuit, quos specialiter amplectendos, & propensius voluit exorandos. E quibus nobis beatum Remaclum destinauit: Cuius B quia suffragijs plurimum innitimur, eius vitam & gesta pro posse narrare ordimur.

---

### *De Regno Francorum & Aquitania, vnde sanctus Remaclus originem duxit.*

## CAPVT XLVIII. C

*Laus regni Francorum.*

FRancorum Regnum à sui principio semper infatigabile, tunc præ cæteris sibi collimitaneis visum est florere, cum iugo Dominicæ fidei colla passum est subiugare. Maximum autem accepit incrementum, & firmum super eo sumpsit Ecclesia Dei statũ, cùm Lotharius Rex, iusta successione hinc quartus, Monarchiam singulariter triũ regebat Regnorũ, & tum quadragesimũ agebat annũ, quando Heraclius Augustus sanctę Crucis relator quartum decimũ. Hic sceptro suo, nullius circum se positi sceptrum passus est occursare, sed quicquid pene Hispania, Gallia, & Germania Regum & gentium continebat, suis habenis studuit coërcere. Hic Dagobertũ filium Austrasijs præfecerat, eiusque dominio Germaniæ Regna D coniunxerat.

*Temporibus Lotharij Regis & Eraclij Augusti Ecclesia Dei magnũ sumpsit incrementum.*

Quorum fœlicissimo tempore in tantum exuberauit christianitatis titulus vbique, vt rara circa finitimos inueniatur hodieque Ecclesia, quæ non sancti alicuius eorum temporum repræsentet patrocinia. Sed, vt sileamus interim de innumeris, tunc sancti viri Eligius & Audoenus Palatinis insudabãt curis; Beatus Arnulphus cum Romarico, regalibus intererant consilijs: Sancti vero Remaclus, Goar, & Amandus, Aquitaniam natiuitatis suæ illustrabant auspicijs. Est autem Aquitania (quam quidam autumãt tertiam fere partem Galliarum) ab obliquis aquis ligeris fluminis nuncupata, qui eam ex plurima parte limitat, peneque in orbem circundat. Hæc à Circio habet

*Multi sancti viri floruerũt tempore Lotharij Regis Francorum, & inprimis hi: S. Remaclus Aquitanus, & Aquitania vbi sita.*

A habet Oceanū, qui Aquitanicus ſinus dicitur; ab occaſu, Hiſpanias, à Septentrione & Oriente, Lugdunenſem prouinciam; ab Euro & meridie, Narbonenſem. Riuulis & fluminibus piſcoſa, glebis terræ, pinguiſſima, vinetis nectarea, nemoribus conſita, fructibus opulenta, paſcuis pecorum ſufficientiſſima, auri & argenti & cæterorum metallorum copijs referta, nauium & vectigalium commeatibus quæſtuoſa, ſed voluptatum omnium præ cunctis prouincijs luxurie fracta, à viris efferatos mores habētibus, bellicoſa pariter & inquieta. Hæc Ciuitates pergrandes & opulentiſſimas, pariterque populoſas habet quatuordecim; ex quibus duæ ſunt Metropolitanæ, vna Burdegalenſis, magnorum ſemper virorum inſignita titulis; altera B Bituricum, habens hac tempeſtate Archiepiſcopum ſanctum Auſtrigiſilum, Archidiaconum verò beatum Sulpitium, in breui poſt, honore pontificali donatum. In quorum diœceſi, beatus hic Remaclus fœliciſſime ſumpſit natiuitatis exordia, patre Albutio, matre verò Matrinia, diuitijs mundialibus, vt potè generoſis, pollentibus.

*Laus Aquitaniæ.*

*Aquitania duas habet Ciuitates metropolitanas Burdegalēſ & Bituricā.*
*S. Auſtrigiſus archiepiſcopus Bituricēſ.*
*B. Sulpitius archidiaconus.*
*Parentes S. Remacli.*

## ANNOTATIONES.

1. *Vitam beati Remacli ſcripſerunt, Notgerus Epiſcopus Leodienſis ad Werinfridum Abbatem, quam habes tom. 5. Surij, & Thietmarus. Eſt in monaſterio Stabulenſi M. S. in pergameno litera Romana perantiqua.*

2. Quorum fœliciſſimo tempore.] *Statum Eccleſiæ Leodienſis huius temporis diligenter & chronicè depingit & laudat Molanus in Chronica recapitulatione* C *Sanctorum Belgij cap. 7.* Dagobertus (*inquit*) Clotarij, vel, *vt noſter loquitur,* Lotharij filius, regnat annis 16. moritur anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto. Clodoueus ſecundus eius filius, regnat annis 17. moritur anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, Sancto Sigeberto fratre eius regnante in Auſtraſia. Clotarius ſiue Lotharius, tertius Clodouei filius, regnat annis tribus, moritur anno ſexcenteſimo ſexageſimo nono. Sub his Regibus mirabiliter propagauit ſe Chriſtiana religio apud Belgas: Inprimis, Martinus primus creatur S. Romanæ Eccleſiæ Pontifex, anno ſexcenteſimo quadrageſimo octauo, obijt anno 653. à quo multi Belgici Prædicatores auctoritatem prædicandi acceperunt, idemque petenti Amādo, plures dedit cooperatores. Omnes Belgij Diœceſes habuerunt tunc Præſules viros planè Apo- D ſtolicos, & in fidei propagatione feruentiſſimos. Traiectum ad Moſam habuit ſanctum Amandum. *Et paulò poſt.* Quantum verò Religio per eum creuerit, ex ſequētibus conſtabit. Succeſſit ei anno 646. aut circiter S. Remaclus Aquitanus, quo cooperante, Sigebertus de poſteritate prolis deſperans, duodecim conſtruxit monaſteria, in quibus eminebant in Arduenna, Stabuletum, & Malmundarium. Succeſſit ei in regimine Diœceſis Theodardus, de quo ſuo loco poſtea dicemus. *Reperio in Codice Aureæ vallis annotationem marginalem ſub his verbis:* Anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, Virgo Chriſti Reginulpha, ſanctitate claret in Gallia, & eſt ſepulta in Ec-

clesia B.Petri, quæ à nomine suorum parentum Ayi & Ayæ, denominatur Ayon à Curia in Diœcesi Tungrensi. *Sigebertus idem narrat anno Domini 643.* A

3. Arnulphus cum Romarico. ] *De Arnulpho Paulus Diaconus lib. 6 de gestis Longobardorum cap. 5.* Fuit (*inquit*) Episcopus Metis, vbi extat liber de eius gestis & miraculis. *Vide tom. 4. Surij. Romarici, Vsuardus mētionem facit 8. Decēb.* Treuiris depositio S. Eucharij; eodē die, S. Romarici cōfess.

4. Remaclus Goar ] *De Goare sic Vsuardus die 6. Iulij:* In pago Treuirēsi S. Goaris Præsbyteri & Confess. qui in prouincia Aquitaniæ ortus, temporibus Hildeberti Regis Francorum, patriam, parentesque deseruit, & in prouincia quæ ripi Rheni fluminis contigua Trigoria nuncupatur, atque ad Diœcesim pertinet Treuirorum, Deo libere inseruire delegit, vsq; in finem vitæ suæ. *De Amando ante diximus.* B

5. Archiepiscopum S. Austrigislum. ] *Eius vitam scripsit quidam coetaneus. Est apud Surium tom. 3.*

6. B. Sulpitium. ] *De hoc etiam ante diximus.*

---

## *Quod idem à beato Sulpitio, dehinc sub Eligio educatus, palatij primoribus innotuerit.*

## CAPVT XLIX.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

*Præceptores S. Remacli. Educatur à B. Sulpitio.*

EDucatus est autem puer hic sanctissimus, sub B. Sulpitio sublimiter, in cuius veneratione constat ab eodem sancto viro plurimas in nostra Diœcesi postea dicatas Ecclesias. C

*A B. Eligio imbuitur monastica disciplinis. S. Remaclus fit alijs religiosæ conuersationis norma & exemplum. B. Eligius Remaclum suum facit vicariū.*

Postea, iam adultus B. traditur Eligio, qui eum Solempniaco monasterio, quod ipse pio opere in sua cōstruxerat hæreditate, locauit, & monasticæ disciplinæ sacris institutionibus apprimè instruxit. In tantum autem bonus adolescens monitis pij patris adhæsit, vt non modò verbi diuini haud segnis executor fieret, verùm & ita gratiâ exuberaret diuinâ, vt omnibus sub eadem militantibus disciplina, religiosæ conuersationis fieret norma & exemplū. In vigilijs continuis pernoctabat, orationes verò pernox continuabat, in abstinētia, D præcipuus, in vniuersa morum probitate præclarus. Qua de re B. Eligius curam sibi cōmissorum ei delegans, onus & vices suas repertiens, seruitio palatij, sicut cōpellebatur, se reddidit.

*Remaclus vocatur ad palatium Regis Francorum.*

Interea, gestorum eius probitas, & vitæ sanctitas, prodente fama, auribus cunctorū innotuit, promulgatúq; in aula regali, tantū virū non debere Regis abesse præsentiæ, cuius præsentiâ disponi possint regni negotia. Euocatus igitur, ad palatij honorificè deducitur limina, magnum deinceps omnibus solamen futurus, vti postea docuit rerum euentus.

B. igitur Ioanne, vt iam prælibauimus, à corpore decedēte, B. ei Amandus in Pōtificio Traiectensi successerat: sed à suis se non solum contemni, quin & verbū diuinæ prædicationis attendēs subsannari,

cùm

A cùm incorrigibiles esse cerneret, eos reliquit, & ad alia loca secesserat, sicque multo iam tempore Pontificalis sedes vacauerat.

*Additio Aegidij.*

Eo, inquam, tempore, à Martino Papa Romanorũ, S. Amando Traiecteñ Episcopo, ad auxilium exercendæ prædicationis deputatus S. Landoaldus, S. Romanæ Ecclesiæ Præsbyter, ad Gallias transmissus fuit. Qui ordinatus Traiecteñ Ecclesiæ Archipræsbyter, ibidem Deo militabat sub S. Amando. Et quia idem Episcopus, studio prædicandi se expedierat Episcopali sarcina, B. Landoaldus vices Episcopi diligenter & oportune supplebat, & per nouem annos rexit Ecclesiam Episcopo vacantem, donec Remaclus cathedram Traiectensis Ecclesiæ suscepit. B

*A B. Amando vsq; ad B. Remaclum, vacat sedes 9. annis.*

*B. Landoaldus nouem annis egit vicarium Episcopi.*

ANNOTATIONES.

*1. De Sulpitio & Eligio, de quibus initio capitis fit mentio, antè diximus.*

2. Apprime instruxit.] *Ita restituimus ex codice Cruciferorum; codex enim noster Aurea vallis habet,* ad primum, *vitiosè: alij codices, Alnensis & S. Martini legunt,* ad vnguem.

3. Sanctus Landoaldus S. Romanæ Ecclesiæ præsbiter.] *Huius res gestas scripsit Notgerus episcopus Leodiensis, quas habet Surius tom. 2. Ibi nõ pauca reperies, quæ illustrant historiam rerum ecclesiæ Leodiensis huius temporis. Celebratur illius natalis dies à martyrologio Romano 19. Martij; sic enim ibi legitur:* Gandaui natalis Sanctorum Landoaldi præsbiteri Romani & Amantij C diaconi, qui à s. Martino Papa ad prædicandum euangelium missi multis post obitum sunt illustrati miraculis. *Venit ergo Landoaldus Traiectum cum Amando episcopo, assumptis secum decem alijs socijs, inter quos fuerunt Amantius diaconus, Adrianus internuncius, Vinciana virgo soror eius, & Adeltrudis virgo, & alij. Amando episcopatui cedente, vices eius suppleuit per nouem annos, talis tantusq; habitus, vt illi puer nobilis Lambertus instituendus traderetur, vt suo loco dicetur. Ad senium magnum peruenit, mortuus est in Wintershouen pago, quem Aper pater nobilis pueri Lamberti illi donârat, sepultusq; est in ecclesia S. Petri, quã ipse ædificârat, cum omnibus suæ peregrinationis socijs, solus tamen Amantius diaconus, & è sacro fonte filius, vno eodemq; in sepulchro cum eo collocatur. Corpora è terra eleuauit calendis Decembris Florebertus Leodiensis episcopus, excitatus mul-* D *titudine miraculorum, quæ ibi fiebant. Hæc autem postea ob Nordmãnicam deuastationem sub terra recondita, miraculis emergentibus, iterum mundis loculis inclusa sunt, consentiente Heraclio proximo prædecessore Notgeri episcopi. Postmodum; Gandense S. Bauonis monasterium, ex Wintershouen pago anno 980. Sanctorũ pignora ad se recepit, sub Wormaro abbate: quæ Lindulphus episcopus Tornacensis, de miraculis certior factus, è vilioribus & antiquis vasculis, transtulit in noua scrinia auro argentoq; fulgentia anno 982. Scribit Notgerus Chilpericum Regem, qui sedem habebat Traiecti, sumptus ad vitam necessarios misisse quotidie S. Landoaldo, sed quadam vice B. Adrianum eiusdem beati viri internuntium, nimia auri & argenti pondera portare creditum, à latronibus esse interceptum. & in medio via, loco villari martyrij gloriâ honoratum.*

*Quod-*

A.

## *Quod beato Amando in Cathedra Traiectensi successerit, & qualiter vixerit.*

### CAPVT L.

*Remaclus quo tempore fit Episcopus.*

SIgeberto autem Austrasijs à patre præfecto, & in Mediomatricensi vrbe regni sedem habente, plebs Traiectensium, cum electione communi totius Cleri ac Sacerdotum, cum frequentia pariter & audientia Magnatum, acclamatione etiam omnium ordinum, Regem conueniens, prece multa beatum sibi poposcit præesse Remaclum, Deo & hominibus acceptum, & nulli eius ætatis sanctitate secundum. B Quorum votis Rex incunctanter assentiens, decreuit eorum annuere petitioni, simulq; super hoc inire colloquia beati viri. Sed quis effari queat, quanta eum benignissimus Rex ad consentiendum demulsit suauitate? Quis referat, quantum vir beatus reniti visus est pro posse? At, Rex Sacerdotum pariter & Optimatum fretus consilio, à proposita non destitit intentione. Et quid multis morer? Solus tandem multorum victus instantiâ, vicesimus septimus Traiectensium substituitur Episcopus.

*S. Remaclus 27. Episcopus.*

In cuius regiminis officio, quam integre, quamq; sancte deinceps vixerit non est nostræ facultatis euoluere. Nullus erat, qui non eum ex affectu diligeret, quod esset omnibus in communi bonus, omnibus in communi beneuolus: C Nihil arrogantia de eius moribus vsurpabat, totum hunc humilitas sancta vendicabat. Superbi hunc reuerebantur vt Iudicem, humiles amplectebantur vt Fratrem. In terra positus, cœlestem se habitu ostendebat & moribus. Integerrimus corpore, solertissimus mente, circumspectus in opere, optimus ingenio, magnus in consilio, Catholicus fide, patientissimus spe, diffusus exitit charitate. Inter diuites & pauperes medius, vt pauperes illum quasi pauperem, diuites computarent vt diuitem. Cœnobiorum extitit plurimorum fundator, discipulorum multorum fuit pater & institutor.

*Cathalogus virtutum Remacli.*

*S. Remaclus inter diuites & pauperes medius.*

#### ANNOTATIONES.

1. Sigeberto autem Austrasijs à patre præfecto.] *Huius Sigeberti Regis sanctissimi scripsit vitam Sigebertus Gemblacensis eiusq; genealogiam. Obijt anno ætatis suæ ferè trigesimo primo; regni Austriæ vigesimo octauo: Christi sexcentesimo sexagesimo secundo.* D *Sepultus est Metis (quæ Vrbs Regni sui sedes erat) in Basilica, quam ad gloriam S. Martini exstruxerat. Scripsit quoq; idem Sigebertus de miraculis huius Sigeberti Regis, quæ eius tempore Metis contigerunt ad illius sepulchrum. Interserit autem vnum miraculum prioris temporis de quodam Hugone memoratu dignum, qui, cum in litanijs & diuinæ seruitutis officijs memoria nominis Sancti Sigeberti celebraretur, sancti huius nomen de libro litaniarum, in quo quotidie nominabatur, delere præsumpsit. Vnde postmodum dictus Hugo ad sancti viri tumulum incensum oblaturus, tanta inualetudine diriguit, vt pedem mouere non posset, neq; prius restitutus*

A *restitutus est, quamuis ipse & reliqui fratres pro reatu ante Sanctum Dei pœnitentiã agerent, nisi postquam sanctum nomen in deleto loco propria manu rescripsit, quod pridem incautè destruxerat.*

2. Vicesimus septimus Traiectensium substituitur Episcopus.] *Anno Domini 646. iuxta supputationem Sigeberti in chron.*

---

## *Qui sancti viri sub eo coaluerint.*

## CAPVT LI.

B EX quorum numero beatus extitit Theodardus, disciplinis ab eo Ecclesiasticis informatus, & ab ipso sibi successore designatus, & ad vltimum, martyrij corona insignitus. Sanctus quoque Lambertus ex eius discipulatu extitit, quem & ipse martyrem probatum suo tempore exhibuit. Sic & beatus confessor Hadelinus, qui & ipse Aquitanicus, dum aliquando, vbi secesserat grata Deo opera gereret, vidit in visione patrem eundem sibi apparuisse, vultu venustum, crine reuerendum, staturâ corporis præstantissimum, qui locum illi futuræ conuersationis & perpetuæ requietionis ostendit, & fontem vsibus hominum habilem demonstrauit. Quod ita esse C probatur, dum & in ipso loco corpore requiescit, & spiritu præses, multa credentibus ibidem beneficia præstare non desistit.

*SS. Theodardus, Lambertus, Hadelinus, S. Remacli discipuli.*

*B. Remaclus in visione docet Hadelinũ vbi & quomodo viuere debeat.*

### ANNOTATIONES.

1. Sic & Beatus Confessor Hadelinus.] *De hoc ante annos 35. rogatus à bon. mem. Molano præceptore meo, scripsi quædam ex vita quæ istic in Ecclesia legitur, quæ ipse Molanus Natalibus Sanctorum inseruit, ipsum nimirum Aquitaniæ territorio ortum, relictâ terrâ & cognatione sua venisse Stabuletum, & S. Remacli magisterio vsum, ab eoq; Cellas missum, vt ibi monasterium sibi construeret: picturã quoq; eius. Deinde translationes & migrationes Canonicorum Cellensium in Oppidum Visetense sub Adulpho de Marka anno 1337. ob oppressionem quam à Domino Cellensi* D *tunc patiebantur. Quæ legere poteris apud Molanum ad diem tertiam Februarij. Porro de trãslatione & migratione Canonicorum ad Oppidum Visetense dicemus postea, quando ad gesta Adulphi de Marka veniemus.*

2. Qui locum illi futuræ conuersationis.] *Nunc Celle dictus, non procul à Dionanto.*

3. Corpore quiescit.] *Postmodum anno Domini 1337. postquam auctor ista scripsit, vna cum suo Canonicorum Cellensi collegio Visetum, ditionis quoq; Leodiensis oppidum, ad ripam Mosæ duobus à Leodio miliaribus, ab Adulpho de Marka translatũ est.*

*Sancto*

A

## *Sancto Trudoni adhuc puero, quid eum facere oporteat, prædicit.*

## CAPVT LII.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

*Trudo adhuc puer votum facit Deo.*

INterea sanctus Trudo, puerili adhuc ætate floridus, primos emittere iam cœperat Deo gratæ iuuentutis fructus suauissimos.

Hic sublimis admodum sanguinis generositate præpollens, & diuini obsequij amore flagrans, voto se constrinxit, vt, si Deo cooperante sacrarum literarum sciētiam posset attingere, in suæ proprietatis fundo monasterium construeret, in quo, toto suæ vitæ tempore Christo deseruiens, quoscumque posset secum perseueraturos, sibi aggregaret. B

*In visione nocturna mittitur ab Angelo ad S. Remaclū*

Tali æstuans desiderio, visione nocturna corripitur; & Angelica consolatione, quatenus beatum Remaclum de his omnibus instruendus adeat, admonetur. Surgens igitur properè, de visione non dubitat, sed quo iussus fuerat tendere, gressum accelerat.

Cuius aduentu vir Domini Remaclus, Spiritus sancti reuelatione præcognito, cùm adhuc esset in via beatus puer, domesticos suos obuiam misit, & sibi eum adduci cum honore præcepit: introductoq; ad Episcopum S. puero, intuitus eum pius pater surrexit, & cum gaudio eum amplexatus, in oscula ruit. Cumq; pedibus eius venerādus adolescens prosterneretur, leuatus concitè, ab eo responsum tale suscepit: Ab hac hora mihi, fili mi, vinculo charitatis iungêris, & ego perenniter iura tibi supplebo paternitatis. Mihi namq; seruo suo, dignatus est Dominus reuelare, quicquid super dispositione animi tui te oporteat agere, & à me doceberis, qualiter voti tui compos existere possis. Et quia literarum discendarum æstuas desiderio, & te Ecclesiam constructurum in tuo vouisti fundo, hoc ordine nôueris te omnia completurum. C

*S. Remaclus diuinitus docetur quid Trudoni consulere debeat.*

*Mittitur Trudo ad Clodulphū Metensem Episcopum.*

Ecclesiæ B. Prothomartyris Stephani sitæ in vrbe Metensi possessionum tuarum trades dominium, illicq; literarum discendarum aggredieris studium. Sed nunc, fili charissime, mente hilari aggredere indictam tibi à Deo peregrinationem, cuius fauente prouidentia tui desiderij citò consequêris consummationem. Postea, voti cōpos ad me reuertêris, & Ecclesiam Deo promissam, quo volueris loco, fundabis. Et his dictis, cum per dies aliquot eum secum detinuisset, benedictione sua munitum, ad Metensem misit Episcopum. D

*Trudo Sacris literis instruitur, & Sacerdotali honore sublimatur. Patrimonij partem Ecclesiæ Metensi donat.*

Et, vt verborum vtar compendio, beatus Clodulphus Metensis Episcopus reuerenter eum suscepit, deuotissime secum detinuit, patrimonia sibi oblata Prothomartyris vice Stephani suscepit, literis instruendum tradidit, instructum sacerdotali honore sublimauit, tandēq;

A tandemq; post aliquot annos, ad eius petitionem, B.P. Remaclo remisit. Quo referente quid erga eum superna egisset bonitas, beatus pater ei congaudens, & Deo grates referens; in diœcesi sua verbum Dei annuntiare, & missas celebrare, pro velle permisit, & aliquãdiu illic commorantem, tandem episcopali fultum benedictione, vt natale solum reuiseret, abire concessit. Et voti sui non immemor, cœnobium in prædio suo, sine dilatione fundauit, patrimonijs & reditibus dotauit, Deo seruientes illic instituit, cum quibus & ipse residuum vitæ suæ sanctè & piè conuersando peregit, tãdemq; finem vitæ sortiens bonum, ibidem sepulturam accepit.

*Trudo verbum Dei prædicat per Diœcesim Leodiensem. Cœnobium, vt vouerat, ædificat & patrimonialibus bonis dotat. In cœnobio per se fundato moritur.*

*Additio Aegidij.*

B Ante altare Sanctorum Quintini martyris, & Remigij cõfessoris, Romanam ecclesiam regente Beato Sergio, Traiecti præsidente sancto Lamberto, Francis dominante Theodorico illustris Reginæ Bathildis filio.

ANNOTATIONES.

1. *Vitam & gesta S. Trudonis primò scripsit Donatus Diaconus, & postea Guikardus Abbas, postmodum, vt notat Sigebertus de viris illustribus c. 171.* Theodoricus monachus & Abbas, vitam S. Trudonis vrbaniori stylo meliorauit. *Incipit,* Domino dignitate patri, charitate fratri, Gerardo, Theodoricus salutem: *Et infra*: Cogitis, vt beatissimum summi illius capitis C membrum Trudonem, quem ante Donatus Diaconus, & postea Guikardus Abbas, vtriusque linguæ vsque ad interpretem periti, latinitati tradiderunt, meâ quoque operâ & stylo librarijs tradam. *Extat tom. 6. Surij. Scripsit quoq; vitam S. Trudonis nostro sæculo Gerardus Moringus, quæ Louanij anno 1540. impressa est.*

2. Hic sublimis admodum sanguinis generositate præpollens.] Lineam enim nobilitatis, *inquit Theod. in vita eius cap. 1.* ab omnibus retro atauis, Francorum Principum sanguis, & Austrasiorum Ducum vena in eum transfuderat.

3. Voto se obstrinxit, vt si.] *Huius voti fit mentio cap. 9. vitæ S. Trudonis, vbi S. Remaclus sic Trudonem alloquitur:* Nec eris immemor voti, quod D vouisti in pueritia (nosti autem) de fundãda in proprio iure ecclesia. *Et cap. 2. lib. 2. eiusdem vitæ sic inquit Theodoricus:* Recolens etiam voti suæ illius quondam puerilitatis, & quia periculosè vouetur quod post votum non redditur, concepta auctoritate, lineam iacit fundandæ ecclesiæ.

4. Patrimonia sibi oblata, prothomartyris vice Stephani suscepit.] *Huius donationis mentio fit ca. 12. apud Theodoricum, vbi habes Trudonem donasse Metensi Episcopo omnem hæreditarij sui fundi possessionem, quam in territorio Hasbaniensi, loco qui vocatur Sarchinium, super fluuium Cisindriam possidebat, eiusq; donationis solennitates, vocatis primoribus & optimatibus loci, ad subscribendum fuisse seruatas. Molanus de hac re loquens in natalibus Sanctorũ, ad diem 23. Nouẽb.* Mediũ, *inquit,* Dominiũ ciuitatis ex resignatiõe S. Trudonis pertinuit

M ad

ad Episcopum Metarum Lotharingiæ. Sed, is anno millesimo ducẽtesimo vigesimo septimo, resignauit idipsum solenni commutatione in Episcopum Leodiensem, prout testantur gesta Abbatum Trudonensium. *Hactenus Molanus. De hac commutatione plura suo loco & tempore ex libris chartarum Ecclesiæ Leodiensis, Deo dante, dicturi sumus.* A

5. Finem vitæ sortitus est bonum. ] *Sanctitas vitæ S. Trudonis multis & ante & post mortem, probata est miraculis. De quibus Theodoricus toto fere secundo lib. Et Moringus,* Incredibile memoratu, *ait*, quot quantaque ad implorandam opem sanctissimi patris prodita sint miracula, atque cum alias, tum verò præside monasterij huius Alardo Abbate eius nomine secundo, ab anno millesimo quinquagesimo quinto, vsque ad octuagesimum secundum. Qua tempestate, ne monasterium quidem omnibus opem postulantibus sufficiebat, sed nec ipsum oppidum. B Foris passim videre erat fixa tentoria, perinde atque in iusta oppidi obsidione. Quæ omnia quidem olim copiose clareque satis, plures commemorârunt, præsertim Stephanus quidam sub Grutamo & Alardo secundo Abbatibus. *Festum S. Trudonis Vsuardus notauit 23. Nouemb. Sed & Waldebertus nono Calend. Decemb. cecinit:*

Nonam Papa tenet Clemens certamine in Vndis,
Hicque suos Trudon mundi contemptor adornat.

*Secundum ipsius & B. Eucherij festum, quod translationis dicitur, celebre est die 11. Augusti, & historico sermone decoratum à Theodorico Abbate, de quo statim, qui ex Diui Petri Gandauensi cœnobio euocatus, Abbas ad S. Trudonem creatus est, anno millesimo nonagesimo octauo. Ex quo temporis calculo colligo Harigerum, quæ hoc capite tradit de sancto Remaclo & sancto Trudone, non potuisse ex Theodorico collegisse, cùm illũ tempore præcesserit, sed benè ex Donato diacono aut Guikardo Abbate predecessoris.* C

---

## *Quam fuerit à cupiditate alienus.*

## CAPVT LIII.

Libet ad hæc paucis intendere, omnium, vt prædiximus, in beato Remaclo cupiditatũ ignes deferbuisse, omnium nostri temporis Sacerdotum merita excessisse, omnes nostrę ętatis sua cõparatione superasse. D

Quis enim Episcoporum, vt præteritæ narrationis vtamur exemplo, quis inquam, oblatis sibi tanti patrimonij diuitijs, alias mallet ditari Ecclesias, & non potius sibi suisq; iudicaret necessarias? Nonne videmus quotidie in conferendis Ecclesiarum dotibus alterutris inuideri, & ditatis Ecclesijs, alias supplantare niti potius, quam congaudere? Quod quanto in nobis est amplius culpandum, tantò meritum beati huius viri talia proterentis, magnificis laudibus efferendum.

ANNO-

A ANNOTATIONES.

Quod quanto in nobis est amplius culpandum.] *Codices Aureæ vallis, Cruciferorum, Capucinorum, & Groesbekanus legunt* conculcandum. *Codices Alnensis & S. Martini pro* conculcandum *habent* inculcandum. *Nos restituimus* culpandum *ex vita B. Remacli per Notgerum Episcopum scripta, vbi c. 9. eandem querimoniam faciens, sic habet.* Quod sane quantò in nobis est culpandum magis, tantò meritum B. Remacli, id planè recusantis, maiori est laude & prædicatione efferendum.

---

B *Quod ex eius consilio Sigebertus duo cœnobia construxerit.*

## CAPVT LIIII.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

EO tempore Sigebertus Rex, in loco qui vocatus Casæcongidunus, super Sesmarum fluuium sito, Optimatum suorum consilio, cœnobium in honore Apostolorū Petri & Pauli, sanctiq; Euāgelistæ Ioānis fundauerat, quod & munere largitatis suæ ditauerat, & probatas Deo seruientium personas aggregauerat, quibus B. Remaclum prouisorem instituit, & vt inhabitantes regulariter instituerет, mandauit.

*B. Remaclus præficitur cœnobio super Sesmarum fluuium sito.*

C Extat vsq; nunc locus orationis eius, opere in rupe excisus, vnde multa proueniunt infirmantibus beneficia, vbi & seipsum aliquamdiu victimam in ara summi Dei, ieiunijs & vigilijs maceratam litauit, & familiarius Deo iunctus, contemplationi sanctæ suspendit, & fluenta suæ doctrinæ in subiectorum cordibus diffudit. Quem locum tandem fastidiens, quod vndiq; premeretur à circumhabitantium & potentium turbis, conueniens super hoc Sigebertum Regem, vt in Arduennæ partibus, loco qui Stabulaus nominatur, cœnobium construeretur, precibus obtinuit, cuius operis à præfato Rege prouisor & rector est institutus.

*Locus orationis B. Remacli spectabilis.*

*Fastidit situm loci & quare.*

*Inducit Regē Sigebertū, ad ædificandum cœnobium in partibus Arduennæ.*

*Additio Aegidij.*

Anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quadragesimo octauo.

D ANNOTATIONES.

1. *Reperio in codice Aureæ vallis duas annotationes auctoris marginales sub his verbis*: Imperatoris Constantis seu Constantini octauo, Rex Sigebertus filius Dagoberti, de prosperitate prolis desperans, duodecim monasteria hinc inde construxit Domino, cooperante sibi in his maiore domus Grimoaldo, fratre Sanctarum Beggæ fundatricis Andanæ Cœnobij, Gertrudis fundatricis cum Itta matre Niuellensis Cœnobij; Viuentiæ, quæ Coloniæ in cœnobio sanctarum virginum quiescit, & Traiectensium Episcopo Remaclo.

M 2 His die-

His diebus, multi vtriusque sexus in Gallijs claruerunt, qui ad testimonium sanctitatis suæ, in ædificandis Domino monasterijs operam suam impenderunt. Ex his, in nostra vicinia tunc florebat S. Landelinus Christi confessor, ab Auberto Cameracensi Episcopo ex prædone ad Christum retractus, fundator cœnobiorum super Sabram Alnæ & Lobiensis. De Anglia, Scotia, Hibernia Bertuinus Maloniæ, Eloquius Waltisiodorensis. Foronkinus cum duodecim socijs Hasteriensis. De Aquitania Gislenus Cellensis, in quo B. Hadelinus discipulus S. Remacli præfuit, & ibidem corpore quiescit. Foillanus, qui ex domo B. Gertrudis Fossensem fundauit Ecclesiam, & eius frater B. Vltanus, in eodem loco aliam beatæ Agathę Virgini, alijq; quamplures animarum lucra quærentes, de transmarinis Regionibus transfretârunt, & diuersas Ecclesias in parochia Tungrēsi ædificârunt. A B

2. *His adstipulantur quæ habes apud Sigebertum, anno 648.* Sanctus Fursæus in Hibernia claruit, qui peregrinationem pro Christo aggressus, ad Gallias vsque peruenit, & à Clodoueo Rege honorificè susceptus, Latiniacum cœnobium fundauit. Quem non multò post fratres sui, Foillanus & Vltanus, pari peregrinandi voto sequuti, per Gallias claruerunt, ex quibus Foillanus dono Gertrudis Virginis Fossense monasterium postea fundauit, vbi etiam martyrio coronatus quiescit. *Et anno 649:* Eligius Nouioni, Andoenus qui & Dado, Rothomagi clarent Episcopi, & Philibertus de Herio insula, & Richarius Pontinensis & Geremarus Flauiacensis Abbates, Andagisina quoque sacra Virgo secus Beluacum. Arsegisus etiam filius sancti Arnulphi clarebat, cui Begga soror Grimoaldi nupserat. *Et anno sequenti 650* Itta relicta Pipini, instinctu Amandi, se & sua Deo deuouens, monasterium Niuellense fundauit, eique filiā suam Gertrudem, Deo dignam virginem, præfecit. C

---

## *De Malmundarij constructione.*

## CAPVT LV. D

*Arduennæ saltus qualis.*

*Idolum Dianæ in Arduenna.*

*S. Remaclus exorcismus & signo crucis liberat locum ab incursione Dæmonum.*

Accepta igitur sanctus Sacerdos Regia auctoritate, & comitum necessariorum consolatione, vastum paludibus & confragosis montibus Arduennæ saltum aggreditur.

Reperit ibi manifesta satis inditia, quod loca illa idolatriæ quondam fuissent mancipata, lapides scilicet Dianæ & alijs protentuosis nominibus effigiatos, fontes hominum quidem vsibus aptos, sed Gentilium superstitione pollutos, ac per hoc, Dæmonum adhuc infestationi obnoxios. Facta itaque, per nomen Christi adiuratione, & signi sanctæ crucis protentione, locum illum à Dęmonum incursione piauit, & statim aqua, ab ipso suo meatu guttatim dilapsa disparuit. Videns ergo locum illum, tum aquis piscosum, tum pascuis yberri-

A vberrimum, multisque admodum vsibus hominum competentem, copiosa fontes orationis auxit benedictione, lapidi signum crucis insculpsit, plumbumque superfudit: Protinus refluxerunt aquæ largissimæ, quæ dictis fidem faciunt cernentibus hodieque. Et quia eundem locum à superstitionum emundauit pollutione, Malmundariũ, quasi, à malo mundatum, placuit vocitare. Oratorium illic ædificauit, officinas construxit, omnia ad cultum Dei pertinentia augmentauit. *Oratione fontes multiplicat & fecundat.* *Malmundariũ vnde sic dictũ.*

ANNOTATIONES.

Et alijs potẽtuosis nominibus.] *Codex Aureæ vallis, Capucinorũ & Groesbekanus legunt,* Dæmoniosis portentibus. *Codex Cruciferorum,* Dæmonio-
B sis portentis. *Codex Alnensis & S. Martini,* portentuosis nominibus. *Vita S. Remacli, apud Surium legit,* portentuosis nominibus, *quam sequimur.*

---

## *De Stabulaus constructione.*

## CAPVT LVI.

Qvia vero cœnobium illud in Coloniensi parochia fuerat fundatum, ad aliud quod suæ Diœcesis limite clauderetur, se contulit construendum. *Cœnobium Malmundariense sub Diœcesi Colonien. est situ.*
C Cùm igitur multa loca solers inuestigator circuisset, inuenit tandem locum operi futuro competentem, cui, ob confluentiam ferarum vndique illuc, vel ad potum, vel ad pastum concurrentium, velut ad stabulum inditum, Stabulaus antiquitus erat vocabulum. Igitur labori proposito cœpit arctius insistere, gratiaque cooperante diuina, prospero successu, voluntatem in breui subsequutus est effectus. *Stabulaus vnde sic dictum.* *Monasterium Stabulẽ ædificatur.*

Sed quia fratribus, quos iam ibidem vir sanctus aggregauerat, bestiarum syluestrium frequens incursus, non paruam incutiebat molestiam pariter & timorẽ, beati patris compulsi sunt super hoc perquirere consilium, simul & solatium. Quos ipse benignè consolans:
D Confidite (inquit) in Domino, charissimi, cuius omnipotentiam instanter inuocantes, auxilium eius contra hostium incursus vobis adesse precamini: Mandatis eius totis animis inhærete, mentes à cogitationibus turpibus & immundis illibatas seruate, animas vestras castificantes, seruitutem Domino puram impendite. Frontes vestras munite crucis signaculo, eius virtutem recondite intimo cordium antro, & confestim insidię latentis inimici & molimina redigentur in nihilum, istarumq; ferarum, per quas vos impugnandi sperat se inuenisse aditũ, horror erit incassum. Hæc & his similia prosequẽs, eorum animos in Dei obsequio primum fecit promptiores, deinde contra omnia peruigilis hostis tentamenta, reddidit valentiores. *S. Remaclus armat religiosos contra Dæmonũ incursus* *Virtus signaculi crucis.*

Post hęc, prępositis operũ dispositis, quęq; essent agẽda delegauit,

*Denuò implicat se Episcopali officio.*

& Traiectum rediens officio pastorali inuigilandum se denuò implicauit. Peractis igitur vtriusque cœnobij oratorijs, ad dedicanda ea Domino, beatus Pontifex admonitione regia proficiscitur, peractaque solemniter benedictione, curam vtriusque ac regimen à Regia suscepit sublimitate. A

## *Quod designato sibi successore, heremiticam vitam expetierit.*

## CAPVT LVII. B

*Remaclus Episcopus, fit monachus.*

*S. Theodardus B. Remacli successor instituitur.*

IGitur beatus Sacerdos, quod semper habuit in voto, remotioris vitæ solitudinem desideranter aggressus, ex permissu Regis, & Principum, & Cleri sibi commissi, totiusque plebis assensu, sanctum Theodardum probabilis vitæ virum, sibi succedere instituit, & in Stabulaus monasterium, vbi remotus à curis sæcularibus Deo liberius vacaret, secessit.

O quantus de eius abscessu exortus est luctus! O quā mœstos reliquit, quibus semina contulerat vitæ, cum viderent se tali patre orbari! Omnis ætas, vterq; sexus, dolorem cordis lachrimis testabatur effusis, atq; prosequendo eum, clamoribus insonabat infinitis. C

## *Prohibitio super hoc filiorum, item excusatio eiusdem viri sancti.*

## CAPVT LVIII.

QVorum eiulatibus sanctus vir permotus, mœstos eorum animos, quibus poterat mulcebat consolationibus.

*Num liceat Episcopatum dimittere.*

*Obijciuntur sacri Canones.*

*S. Remaclus respondit.*

Sed illi, nullo recepto solamine, quin potius obiectis ei canonum institutis, secessionem eius, ac si minus iustam, impedire conabantur, quia gregem quem semel regendum suscepisset, non nisi infirmitate cogēte, aut capitali culpa interueniente, vltroneè relinquere liceret. Ad hæc vir beatus, non se canonicis obuiare respondit institutis, cum in hac parte Sanctorum & meliorum se, edoceatur exemplis: Nec extra regulam canonicam probatur euagari, qui eorum vestigia nititur imitari, quorum vitā & doctrinis totius Ecclesiæ status in fide roboratus, virtutis incrementa suscepit. Ad hanc (inquit) spem, beatus me Baptista Ioannes animauit, qui in ipsa annorum teneritudine, magis elegit heremiticis squallere incommodis, quam inter ciues, leui saltem sermone, vitam contaminare. Et Moyses vitam hanc approbauit, qui, dum diuitijs Ægiptiorum contempsit D

*Luc. 3. Marc. 1. Math. 3.*

*Exod. 3.*

A tempsit eneruari, in vastæ solitudinis deserto, Dei colloquio meruit insigniri. Abraham omnium credentium pater, ad hos me incitauit effectus, cuius & exemplum imitatus, natali solo egressus, omniũ pomparum renunciaui cupiditatibus. Sic Elias, sic Elyseus, sic cæteri prophetæ huius sanctæ conuersationis initia dedicauerunt, qui theoriæ huius contemplatione insignes, ipsos Reges subiugauerunt. Ipsius Domini Saluatoris ad hoc me impulit exemplum, qui Diabolum debellaturus, heremiticæ solitudinis silentia delegit: cuius misericordia concedat, pietas annuat, vt & ego versutias illic sæuientis inimici proculcare, & animarum vestrarum profectibus pro voto valeam inuigilare. *Gen. 12.* *4. Reg. 2.* *Math. 4.*

B Post hæc responsionis & consolationis verba, pater venerabilis, cum illos pacatiores tandem reddidisset, data benedictione dimisit, ipse verò iter quod cœperat peragens, ad monasterium Stabulaus deuenit.

---

*Quod multi eius exemplo sæculum reliquerunt, & crescente religione, creuerunt res Ecclesiæ.*

## CAPVT LIX.

C VBi cùm eius sanctam ac deuotam conuersationem multi circumquaque cognouissent, cœperunt ad eum vndiq; confluere, & eorum plurimi Omnipotentis Dei se seruitio vouêre. Aliqui verò liberos suos monasticis instruendos disciplinis, & illic perpetuo seruituros contradere: multi etiam de facultatibus ac redditibus suis, Sanctorum illic degentium vsibus communicare. Inter quos dominus & pater Papolenus, visendi eum gratiâ venit, sed eius magisterio adhærere, quam retrogredi, prælegit. Susceptus est officiosissime, & cõuersatus absq; offensione, plures ad imitationem sui ædificabat. Tandem, cùm ad multam perfectionem profecisset, à beato Remaclo Malmundariensi monasterio præfectus est. *Papolenus S. Remaclum imitatur.* *Papolenus præficitur Malmũdariensi monasterio.*

D Ipse verò sanctus, Stabulaus reuersus, ad maiora deinde se virtutum opera accinxit, suique exemplo plures ad bonorum operum exercitium, animauit.

His quoque adijciendum, quòd crescente in Stabulaus Religione, crescebat & census Ecclesiæ. Audito namque Sigebertus Rex tanto eorum erga Dei cultum feruore, accersens beatum Remaclum, supra id quod prius dederat, scripto composuit & sigillo confirmauit, vt ex bonis quæ sui iuris essent, quicquid in circuitu monasterij intra duodecim leucarum ambitum contineretur, ad vsus fratrum ibidem Deo vacantium, idem deinceps monasterium libero iure possideret. *Rex Sigebertus quicquid in circuitu monasterij intra 12. leucas continetur, donat monasterio Stabulensi.*

Procedente etiam tempore, non cõtentus his beato viro collatis, alia

alia quam plurima suppleuit, & præfatum cœnobium decimarum, teloneorum, Winagiorum, & aliorum quorundam redituum munificentiâ ditauit. A

ANNOTATIONES.

1. Inter quos Dominus & pater Papolenus, alias Babolenus.] *De quo Molanus 26. Iunij.* Hic primum fuit Abbas Malmundarij, deinde successit Stabuleti sancto Remaclo: quo in loco quiescunt quoque eius reliquiæ, & altare habet in sui honorem consecratum, atque festum duplex maius. *In historia translationis sancti Simmetrij, de quo ante mentionem fecimus, dicitur Papolenus vel Babolenus, venisse ex Romano monasterio, quod Gregorius Magnus ad cliuum Scauri construxit, eumq́; Honorij auctoritate, per Galliam & Germaniam monasteriorum fuisse visitatorem, quod onus eum à morte B. Remacli accepisse opinatur Molanus, eaq́; de causa, dici à quibusdam Abbatem diuersorum locorum, Malmundariensem, Stabulensem, Bobiensem, Fossatensem, & sancti Germani in pratis.* B

2. Procedente etiam tempore.] *Notgerus in vita Remacli particularius hæc ita exprimit,* Anno decimo quarto regni sui idem Rex, scilicet Sigebertus, testamento legauit beato Remaclo, quædam in Aquitania, putà, telonium in porta vetraria, ad fluuios Taunacū & Ittam: itēque portum Sellis, & vogatium ad flumen Ligerim, cum omnibus ad eum attinentibus. Quod quidem testatur scriptum, eius manu subsignatum. Sancta, *inquit*, ac venerabilia monasteria Stabulaus, siue Malmundarium cognominata, vbi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Abbas, Christo auspice præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus, maior domus, in honore S. Petri ac S. Pauli, vel S. Martini, seu cæterorum Sanctorum suo opere in vasta eremi Ardennensis construxit, quemadmodum nos loca ipsa ad ipsa monasteria ædificanda pro nostra præceptione, ex foreste nostra concessimus: quæ licet gratiâ Christi sint dotata, mundanam tandem substantiam cernuntur parumper habere. Ideo diuina inspiratione cōmoti, decreuimus aliquantulū de fisco nostro ad ipsa monasteria respicere, & consolari: *Et cætera quæ in eodem scripto (auctor vocat præceptum) sequuntur.* Deniqúe ex fiscis, quæ monasterijs illis adiacent, decimas illis dedit, quas etiamnum ea monasteria obtinent. C D

*Quod post exhortationem fratribus factam, feliciter obierit in pace.*

## CAPVT LX.

*S. Remaclus ad senilem peruenit ætatem.*

POst hæc, beatus confessor Domini Remaclus, gloriosis insignis virtutibus, cum ad senilem deuenisset ætatem, diem sibi vocationis intelligens imminere, fratrum conuocans concionem post

A post dulces paternæ pietatis admonitiones, & extrema charitatis colloquia, modica febre corripitur, & sacrosancti corporis, pretiosiq; sanguinis Christi viatico confirmatus, inter charissimorum filiorũ manus, animam suo reddidit Creatori, cuius plurimum insudauerat seruituti.

*Meritum viatico Corporis & Sanguinis Christi confirmatur.*

Corpus eius honorificè curatum, cum multa psalmorum, hymnorumq; melodia, in beati Martini, quod ipse condiderat, oratorio est sepultum, vbi & aliquamdiu iacuit, & se cum Domino viuere, miraculis attestantibus, comprobauit.

*Eius exequiæ. Sepelitur in oratorio S. Martini.*

*Post mortem miraculis claret.*

Successit illi in monastico regimine Papolenus vir Apostolicus, cuius superius mentionem fecimus. Deinde Sigolinus, beati Patris B æque iudicio approbatus: Subinde Goduinus annis & morum maturitate grandæuus, qui etiam sancti viri corpus transtulit, & in Ecclesia beati Petri locauit, lectulumq; eius auro argentoq; decorauit: vbi per eius merita, multa Dominus operatur virtutum insignia, ad laudem & gloriam nominis sui, quod est benedictum in sæcula. Amen.

*Successores S. Remacli in monastico regimine Stabulensi. Papolenus, Sigolinus, Goduinus.*

ANNOTATIONES.

Miraculis attestantibus comprobauit. ] *Innumera pene sunt miracula huius sancti viri: quorum pleraq, studiosè collegit & descripsit libris duobus Notgerus, & ne illorum lectio tadium lectori pareat, in compendiũ contraxit Surius tom. 5. Nos coronidis loco, ascribemus vnum, quod Leodij accidisse in præsentia Imperatoris,* C *anno Domini 1071. narrat Lãbertus Scafnaburgensis in suo chronico.* Cùm (*inquit*) Henricus Imperator tertius Leodium venisset, fratres de monasterio Stabulaus proturbati, quotidie aures regias obtundebant pro repetitione monasterij Malmendariensis, quod Abbati ereptum, Rex cõsilio Bremensis Episcopi, dono dederat Coloniẽsi Archiepiscopo. Cumque nihil ille precibus, nihil lachrymis, nihil ipsa perurgentiũ importunitate moueretur, inito cõsilio (vt fertur) diuina reuelatione ad hoc faciendum incitati, ossa beati Remacli leuant, Leodium deferunt, & Rege celebri quodam loco conuiuium agente, super mensam ipsam apponunt, obsecrantes per Deum, vt si minus filiorum, saltem patris tanti misereretur iam cum Christo regnantis, & de iniurijs suis quotidie ad tribunal æterni iudicis proclamationem D facientis; cui nisi sua restitueret, vltrà ei, propter penuriam rerum necessariarũ, militaturi non essent. Hoc supplicationis genere, quod ad captandam beneuolentiam comparatũ fuerat, Rex versa vice nimium efferatus, concitus se relictis epulis, in palatium prorupuit, & quo exemplo in Abbatem tam audacis facti incentorem animaduertere deberet, plenus irarum, cogitabat. Sed ecce mensa cui superpositæ erant sacræ reliquiæ, diuina virtute confracta corruit: ministroque Regis, haud obscuri nominis viro, crura pedesque contriuit: qui paulò post, exorata per intercessionem beati Remacli pietate diuina, ita pristinæ restitutus est sospitati, vt ne cicatrix quidem

in argumentum læsionis abolitæ relinqueretur. Atque ita deinceps per totam noctem, sequentemque diem, tanta circum sanctum corpus coruscabat miraculorum multitudo, vt corporali quodammodo proclamatione videretur Beatus Remaclus ius suum expostulare. Attonitis omnibus tantæ rei nouitate, Rex timore vehementissimo correptus, ne forte si cũctaretur, cœlestis in eum protinus vltio procederet, non solum ablata restituit, sed recentibus etiam donis, pro munificentia regia magnifice cumulauit. A

FINIS LIBRI PRIMI.

*Sigebertus de Illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap. 164.*

ANselmus clericus Legiensis, scripta GESTA PONTIFICUM LEGIENSIUM, & in eo libro vitam VVasonis Episcopi veraciter sibi notam plene descripsit.

A

# GESTA PONTIFICUM TRAIECTENSIUM ET LEODIENSIUM.

## A Beato Theodardo, immediato S. Remacli successore, vsque ad VVasonem quinquagesimum secundum Episcopum Leodiensem.

B

Proœmium opusculi sequentis.

### CAPVT PRIMVM.

HVc vsque gesta Tungrensium, Traiectensiumq; Pontificum sunt digesta, quæ fideliter seruant ordinem eorum quæ relatu digna erant. Quorum primus, beatus videlicet Maternus, in sede Tungrensi ferè viginti habuit successores: sed beatus Monulphus, qui vicesimus primus extitit, sedem Episcopij Traiectum transtulit, quam locus idem, vsque ad S. Hubertum, detinuit, eandemque postea beatus Pontifex, idem videlicet Hubertus, ex admonitione diuina, Leodium transuexit.

C

Deinceps, quæ sequuntur, ex alterius opusculi libello, quem quidam S. Lamberti Canonicus, Anselmus nomine, composuit, sunt annexa.

*Anselmus Canonicus Ecclesiæ S. Lamberti autor huius libri.*

Quæ igitur de posteriorũ Pontificum gestis sparsim aut legimus, aut certa antiquorum relatione didicimus, quasi breuiario quodam, nomina singulorum, cum paucis quorundam Episcoporum gestis, vsque ad Dominum Wasonem perstrinximus: De cuius vita & moribus multa prosequendo, paulò diutiùs immorati sumus, tum vt posteris tanti viri non negetur notitia; tum potissimè, quia vestræ pietatis rogatui hoc negare non potui. Igitur, vt conuenienter seruare possimus ordinem Pontificalium, præfati opusculi capite sublato, à successore sancti Remacli, beato videlicet Theodardo, nouum aggredimur exordium.

D

*Scripsit res gestas Episcoporum Leodiensium, vsq; ad D. VVasonem.*

ANNOTATIONES.

Quia vestræ pietatis rogatui. ] *Scripsit Anselmus hunc libellum rogatu Idæ Abbatissæ S. Ceciliæ Coloniensis, De qua vide epistolam Anselmi ad Annonem Archiepiscopum Coloniensem, priori libro præfixam.*

O *De sancto*

A

## De sancto Theodardo.

## CAPVT II.

*B. Theodardus succedit S. Remaclo.*

BEatus igitur Theodardus, sub beato Remaclo Ecclesiasticis disciplinis informatus, magistro Pontificatus honorem, arctioris vitæ desiderio, sponte declinãti, in sede Traiectensi vicesimus octauus successit.

*Compellat Regem contra prædones bonorum Ecclesiæ.* *A prædonibus trucidatur.*

Hic, pro rebus Ecclesiæ sibi creditis, dum regias aures pergit compellare, & contra peruasores prædiorum Ecclesiæ auxilium postulare, in saltu Biwalt nominato, haud longè ab vrbe Nemetensi, quæ Spira nunc dicitur, ab ipsis Ecclesiæ suę prędonibus interceptus, diffugientibus à se comitibus, innnocens trucidatur. B

*Cuius apud Deũ sit meriti, miraculo ostenditur.* *Mulier cæcitate percutitur.* *Eadem peccatum agnoscens, ad cadauer Sacerdotis sanatur.*

Nec mora, ab omnipotentis Dei clementia, beati viri meritum declaratur: Nam puella quædam, dum pia temeritate fila subtegminis, vnde in frusta comminutum caput martyris colligaretur, Dñæ substraxisset, rediens cum pecoribus, ipsam Dominã suam, eò quod pensum non redderet, vehementer offendit, adeò vt furore permota, pugnis & verberibus in ipsam cõsurgeret: Sed repentè dum percutit, ipsa grauiore ictu, cæcitate scilicet, diuinitus percutitur. Perstrepit ilicò lugens familia, adsunt acciti domesticorum plangore vicini. Exquisita diligenter tàm subitæ cæcitatis causa, ad cadauer Sacerdotis ocius curritur, rea illuc, cum fide & precibus confluentium perducitur, in confessione criminis venia postulatur & impetratur, discitque ab eo misericordiam quærere, cuius funeri paulò ante noluerat pietatem ab ancilla fuisse exhibitam. C

*B. Theodardus sepelitur cum summa reuerentia.*

Vnde indigenarum sollicitudo, certificata de virtutibus Sacerdotis indicio tam euidenti, eius ossa ibidem terræ mandare student cũ summa reuerentia.

*S. Lambertus sæpius tentat Leodium ossa B. Theodardi transfere: sed frustra. Tandem illa transfert.*

Procedente verò tempore, successor eius, venerabilis patronus noster Lambertus, eadem magistri ossa inde ad nos transferre sæpissimè tentauit. Cùmque multum reclamante rusticorum manu, & sui, vt aiebant, martyris ossa, cum armis vindicante, hoc diu frustra esset, misericordia tãdem diuina fauente, inde transferendi tanti thesauri copia datur Sacerdoti, sacrique funeris pignus Ecclesiæ suæ reuexit. D

*In saltu Biwalt claret miraculis.*

Cuius adhuc passionis diem, prouinciæ eiusdem compatriotæ, singulis annis, summa cum celebritate solent frequentare, & licet ossibus absentem, meritis & signis, quæ frequenter ibidem fiũt, se gaudent habere præsentem.

De sancto

A

## *De sancto Theodardo.*

## CAPVT II.

*Ab Aegidio additum.*

BEatus igitur Theodardus sub beato Remaclo ecclesiasticis disciplinis informatus, magistro Pontificatus honorem, arctioris vitæ desiderio, sponte declinanti, ei in Sede Traiectensi successit & à Sancto Cuniberto Archiepiscopo, in Episcopum consecratus, præfedit Ecclesiæ Tungrensi vicesimus octauus. *B. Theodardus à S. Cuniberto Archiepiscopo Coloniensi consecratur Episcopus.*

B Qui totus Deo deditus, talem se irreprehensibilem vita & moribus ostendebat, qualem sacra lectio idoneum cõmendat Episcopum. *1. Timot. 3.* Solicitudo præcipuè quotidiana ei erat omnium suæ parochiæ Ecclesiarum, vt, aut in quibus erant locis, episcopaliter regeret, aut in quibus, cogente Paganorum sæuitia, siue temporum vetustate dirutæ fuerant, restauraret. *2. Cor. 11. Vacat Ecclesijs regendis aut restaurandis.* Cùm ergò multa per Dei gratiam, & suam industriam iam restituisset, hæc cura eum remordebat acriùs, quod possessiones Ecclesiæ suę à domesticis hostibus & iniquis raptoribus direptas nouerat, per triginta circiter annos à iure ecclesiastico alienatas, in ius iniquorum cessisse. *Possessiones Ecclesiæ per domesticos raptores ademptas repetit.*

Sed, ne quid inexpertum relinqueret, paratus etiam pro quibus animam ponere, deliberat Regem Childericum adire, & ante eum, C super iniustitijs Ecclesiæ illatis, legaliter expostulare, si fortè per censuram regalem, Ecclesia possessiones suas reciperet. *Adit Regem Childericum iure astturus pro possessionibus recuperandis.* Et diuinitùs edoctus à mentis suæ oraculo, imminere sibi tempus passionis, disposuit domui suæ, & omnibus vltimum vale dicens, ouesque suas illi commendans, qui sibi illas commendauit, duce mentis constantiâ, cum paucis iter arripuit. *Edocetur diuinitùs imminere sibi tempus passionis.* Iamque Diœcesis suæ vicum excesserat, & in pago alienæ sedis, in saltu Biwalt nominato, haud longè ab vrbe Nemetensi, quæ Spira nũc dicitur, ab ipsis Ecclesiæ suæ prædonibus interceptus, diffugientibus comitibus, innocens cum solo puero ibi remansit. *Isa. 38. Non longe à Spira intercipitur ab ipsis Ecclesiæ suæ prædonibus.*

Hoc viso, vir sanctissimus in Domino cõfisus, paululum subsistit imperterritus, ac talibus perhibetur vsus esse affatibus: *Constantia B. Theodardi.* D nolite, quæso, filij, nolite manibus vestrís hoc tantum flagitium arrogare. Habete, obsecro, fidem Dei, & pacem habete inter vos. Si pacificè venistis, accipite hæc animis, & mea in cordibus vestris figite dicta, sin autem, vt sors & fortuna feret, feremus omnia æquo animo. *Alloquitur prædones.* Si iam tempus meæ imminet vocationis, nihil me vestra spicula terrent: Non recuso habere pro Saluatore meo Iesu Christo calicem mortis, qui non dedignatus est in corpore suo ferre pro me stigmata passionis. Si sic Deus disposuit, fiat voluntas eius: sufficiat mihi, quod ad hoc vsque certaui. Gregem mihi ab illo commissum reddo, & sic pro eius dilectione lætus occumbo. Contra hæc viri

sanguinarij sic perhibentur fuisse aggressi: Quid nobis, homo, superuacuum verborum agis cursum? Tua sunt tibi quæ loqueris, nihil nostra refert. A

*B. Theodardus à prædonibus contumelijs afficitur, cæditur & in terram prosternitur. Oculis in cælũ sublatis moritur.*

Miserabile tunc fuit cernere virum sanctum, quem quasi agnum mansuetissimum lupi rapaces inuadunt, contumelijs affectum humi prosternunt, eius capitis diadema egregium in frustra secant, cuncta quæ secum tulerat, sacrilege dispendunt, & quam celerrimè latebrarum suarum foueas repetunt. Sic à beato Pontifice exoratum, sic certatum, & ad desideria sua lumina torquens, sacram animam claris Angelorum choris immiscuit, quinto decimo die Calendarum Octobris, quo etiam die, interposito quolibet temporis spacio, beatus Lambertus eius discipulus & successor, fœlici est morte laureatus. B Passus est autem beatus Theodardus, secundum chronica, anno Domini sexcentesimo quinquagesimo nono. Præfuit enim sub PP. Vitaliano: imperante Constantino filio Constantini filij Eraclei. Francis dominãte Clodoueo Dagoberti Regis filio: Austrasijs quoque regnante Hildrico.

ANNOTATIONES.

1. Beatus igitur Theodardus.] *Vitam S. Theodardi Episcopi Leodiensis & martyris, scripsit quidam peruetustus auctor, cuius stylum vrbaniorem fecit Sigebertus Gemblacensis, vt ipse scribit ca. vltimo virorum illustrium. Habetur apud Suriũ tom. 5. ex qua auctor noster quæ hic habet, desumpsit. Fuit hic Theodardus natione Gallus, professione monachus; cùm enim Sigebertus Rex Francorũ in Austrasia duodecim monasteria erexisset, vni eorum, nempe Stabulensi, consilio sancti Remacli Tungrensis Episcopi, & Cuniberti Coloniensis, inuitus præfectus fuit Abbas, propterea annumerat eum Tritemius viris illustribus ordinis sancti Benedicti lib. 3. c. 103. & lib. 4. c. 154.* C

2. Sub Beato Remaclo Ecclesiasticis disciplinis informatus.] *Reperio in Codice Aureæ vallis marginalem annotationem, quæ nonnihil hunc locum illustrat.* Hi, *inquit,* cum beato Remaclo cœnobium Stabulaus inhabitare cœperunt, S. Theodardus primus eiusdem loci Abbas, antequam fieret Episcopus, sanctus Hadelinus, sanctus Lambertus, sanctus Hubertus christianus quoque sanctissimus, Florebertus, Papolenus, Anglinus, & cæteri multi. D

3. Hæc cura eum remordebat acrius, quod possessiones ecclesiæ suę à domesticis hostibus & iniquis raptoribus direptas nouerat.] *Causas huiusmodi direptionis persequitur Sigebertus in vita Theodardi his verbis:* Hoc accidisse dolebat, ex nota temporum & maiorum suorum negligentia. Ex nota temporum, quia securitas ex longo pacis otio contracta, multos à respectu diuini timoris auertebat, & ex rerum affluentia, irrepserat bonorum morum negligentia, cessantibus externis bellis, intestinis animorũ bellis periclitabantur. Inde passim contra ecclesiam Dei dominante iniustitia, quę semper primos impetus erexit contra bonorum innocentiam, non opitulabatur ecclesiæ Dei alicuius iustitia. Hic dolor non paruus Theodardo Pręsuli incum-

incumbebat, Traiectensem Ecclesiam magna possessionum suarum
A quantitate esse mutilatam, & per triginta circiter annos, nullum pro Ecclesiæ Dei iure repugnasse, vel saltem reclamasse. Amandus enim, cuius sanctitas paucis laudari non debet, irruentibus vndique in Ecclesiæ nauim tempestatum procellis, cogitans quod ait Apostolus: *quia nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus*, post trienniū, episcopatu Traiectensi relicto, in portum optatæ quietis se recepit. Cuius vices Landoaldus Archipræsbyter eius, oportune per nouem annos exequutus, pro Ecclesia stare non potuit, quia nihil Pontificalis iuris habebat. De Remaclo quod non potuerat brachia tendere contra torrentem inundantium malorum, Theodardus suis ocu-
B lis & auribus credebat.

2. Timot. 2.

4. Passus est autem beatus Theodardus, secundum chronica, anno Domini sexcentesimo quinquagesimo nono. ] *Iuxta Sigebertum passus est anno Domini sexcentesimo quinquagesimo octauo. Iuxta Baroniū in annotationibus ad martyrologium Romanum ad diem decimam Septemb. anno Domini sexcentesimo quinquagesimo quinto: tam magna est ferè vbiq; inconstantia chronicorū. Celebratur eius dies natalis in Ecclesia Leodiensi decima Septembris, quod annotauit Molanus ad martyrologium Vsuardi.* Item Leodiensi ciuitate, *inquit*, natalis sancti Theodardi Episcopi & martyris. Hic beati Remacli successor, Sanctique Lamberti eruditor requiescit in Legia, in Basilica sancti
C Lamberti.

---

## *De ostensione signorum ad corpus eius, & muliere cæcata ad eius corpus illuminata,*

## CAPVT III.

*Ab Aegidio additum.*

POst hæc, de circumstantibus suorum comitum extitit vnus, qui cum fœlicis corporis sanctas reliquias disiectas non pateretur, commodum duxit, vt recolligens partem parti humilem co-
D aptaret.

*Reliquiæ sanctæ corporis B. Theodardi disiectæ.*

Res quidem mira quæ contigit, auditu dictuque notanda. Dum puero ad vinciendum martyris caput institæ non sufficerent, atque eius animus anxius super hac re huc illucque diuideretur, ratū duxit villam quæ proxima erat, petere, vt inde quippiam filaminis asportando, huic necessitati supplementum posset accommodare. Nihil hæsitans callem ingreditur, & eundo mulierculam quādam in pascendarum ouium cura occupatam reperit, quam suo sic affamine cōplet. Mulier, non tibi videatur ab re quod postulo, petitioni meæ impetrationem celeriter præbeto: Vnum tui operis filum, ad colligendum caput Domini mei Theodardi, tepentis adhuc sanguine, à viris sanguinum & dolosis crudeliter interempti, concede. Sub his

*Vnus ex comitibus studet recolligere & ligare.*

 fragilis

fragilis mulier perterrita est dictis, steteruntque comæ & vox faucibus hæsit. Postremò, resumpto spiritu, lachrymabiliter facinus scelestissimum increpitat, sibique importunè insistenti talia reddit: dira te necessitas, bone adolescens, vt fateris, huc appulit; sed mei iuris non constat quæ petis tibi impendere: nam diurnum pensum quod operor, matri familias, cui ancillor, ad mensam vespere reddo: quod si minus fuerit inuentum assueto, profectò, noui, non impunè habebo. Tandem precibus supplicantis euicta, licet sciret sibi à domina imminere periculum, spontanea cessit quæ petebantur. Homo ergò lætatus se quæsita absq; difficultate impetrasse, iter accitum quo venerat, repetiuit. Cumque iam pro suo Domino sollicitus magno ferretur excursu, contigit luminaria duo flammantia intueri, quæ ad caput & ad pedes sancti martyris altrinsecùs posita, mirabiliter coruscabant. Dehinc, iam clauso die vesper commodabat olympo, & prędicta puella oues è pastu de more reduxit ad caulas. Cùm verò accita, filationis suæ æquam metretam, iuxta morem pristinum non rependeret, ictū ferientis Dominæ grauiter sensit in capite. Affuit ilicò B. viri ad vindictam puellæ subsidium, materq; familias oculorū perpessa est detrimētum. Quo facto, pro subitanea cæcitate, dolore cordis intrinsecus tacta, pœnituit, veniam quæsiuit, ad Sancti viri corpus perduci se petijt, quæ potiora habuit ad placandum munera, obtulit, oculos mirabiliter restauratos recepit. A B

*Ancilla precibus supplicātis victa ligamina petita cōcedit.*

*Duo luminaria ad caput & pedes martyris mirabiliter coruscāt.*

*Dña percutit ancillam, & miraculosè excæcatur.*

*Ad sancti corpus orans visum recipit.*

ANNOTATIONES. C

Partem parti humilem.] *Ita codex Aureæ vallis, Groesbekanus & Capucinorum: fuerunt enim colligendæ & religandæ simul capitis partes humi sparsim iacentes; nam sicarij, vt Aegidius superiore capite habet & scribit Sigebertus in vita Theodardi c. 9. caput Theodardi oleo sancto perunctum in frustra secārant.*

---

## *De tumulatione eius corporis, & signis ibi ostensis.*

## CAPVT IIII.

*Ab Aegido additum.*

HIs ita gestis, fama ad circumquaque posita loca diffunditur, & ad beatum locum, ab omni sexu & ætate, quasi apes ad aluearia, tota regione cōcurritur. Fit strepitus plangentium & clamor cœlo. Clamatur ab omnibus, quod vir modestus & iustus, inter manus sceleratorum, infanda cæde diem conclusisset extremum. Sed rursus consolabantur inuicem, quod ob salutem sui communem inibi palmam martyrij esset adeptus. D

*Audito miraculo, reliquiæ S. viri cum magna reuerentia tractantur.*

Iam pręciosam corporis religant margaritam, vulnera mollibus pannis exsiccant, membra deflecta in gestatorio reponunt, superq; illa,

A illa, velamina quamplurima conijciunt. Inde pars eorum sacrando subit feretro; pars cætera præcedendo, vias planas ostendit, & iuxta condictum matris familias, cum omni reuerentia, in loco qui dicitur, Nec, tumbam disponunt, ac dein exequijs ritè attributis, humi decentissimè mandant.

Quodque ibidem extitit illustrium patrator operum, atque signorum inditium, præbent paraliticorum multa subsellia, cæcorum frequentes illuminationes, febricitantium curationes, quæ ab incolis loci illius, per beati viri merita, in pristinum statum feruntur esse redintegrata.

*Diuersi generis miracula ad sepulchrum S. viri fiunt.*

Fama igitur apud vrbem Vangionum aures præsulis pulsat, qui B tunc temporis erat, omnemque rem ex ordine pandit: multa super B. Patris excessu cogitat, & quod in procinctu suæ Diœceseos rei euentus contigisset, valde lætabatur. Prædicta verò fama Rheni fluminis perlabitur vndas, atq; vrbis Nemetij populum commouet & perflat. Longius inde progreditur, & ciuitatis Argentinæ omnium ora peruolitabat. Re autem vera credidit sese supra memoratus vrbis Vangionum Pontifex, beati corporis thesaurum adepturum, & optimatum suorum consilio fretus, cum cæterarum ciuitatum Episcopis ad locum, quo sanctus Dei quiescebat, inde rapturus per accessit. Et iam Sancti glebam effodere, nec non auferre satagebat, cum C subitò (terribile visu) fera surgit hyems, magno misceri murmure cœlum incipit, sequiturq; intolerabilis commixta grandine nimbus. Sic Pontifice ab incœpto desistere coacto, indigenarum sollicitudo certificata de virtutibus Sacerdotis, tam euidenti indicio, eius ossa terræ ibidem mandare student, cum summa reuerentia.

*Fama miraculorum à S. viro patratorū longe dispergitur.*

*VVormatiensis Episcopus Theodardi corpus repetit.*

*Desistit ab incœpto.*

Procedente vero tempore, successor eius venerabilis patronus noster Lambertus, eadem Magistri ossa inde ad nos transferre sæpissime tentauit. Cumq; multum reclamante rusticorum manu, & sui, vt aiebant, martyris ossa cum armis vendicante, hoc diu frustra esset; misericordia tandem diuina fauente, inde transferendi tanti thesauri copia datur Sacerdoti, sacriq; funeris pignus in Ecclesiam leodiensem reuexit, ibiq; cum summa reuerentia tumulauit.

*B. Lambertus Episcopus Leodiensis idem corpus repetit & impeditur. Tandem obtinet, & Leodiū reuehit.*

D Cuius adhuc passionis diem quarto idus Septembris prouinciæ eiusdem compatriotæ, singulis annis, summa cum celebritate solent frequentare; & licet ossibus absentem, meritis & signis, quæ frequenter ibidem fiunt, se gaudent habere præsentem.

*Festū B. Theodardi celebratur 4. idus Septemb.*

## ANNOTATIONES.

1. Cum omni reuerentia, in loco qui dicitur Nec, tumbam disponunt.] *Codices Aureæ vallis, Capucinorum & Groesbekanus legunt* Hectumbā *vna dictione; nos restituimus* Nec, tumbam, *ex Sigeberto in vita S. Theodardi ca. 13. apud Surium tom. 5. vbi sic habes.* Instatur ergò ab omnibus, vt decēter iusta sepulturæ, *Theodardi scilicet*, expleantur. Isti vulnera mollibus pannis exsiccant, isti vestes sanguine sancto infectas, ad sui patrocinium

trocinium reseruant, membra satis defleta in gestatorio ponunt, & pretiosa velamina superponunt. Mater familias locum sepulturæ condicit, & iuxta suum condictum, in loco qui dicitur, Nec, tumbā disponi facit. A

2. Eius ossa terræ ibidem mandare student. ] *Paulò ante hoc, eodem capite dicuntur humi decentissime mandata esse. Ex quibus & quibusdam similibus, colligo Aegidium non apposuisse operi suo extremam manum.*

---

## *De sancto Lamberto.*

## CAPVT V. B

HVic successit semper memorandus venerabilis noster patronus Lambertus, in ordine vicesimus nonus.

*Lambertus nobili stirpe progenitus.*

*Rapitur ad Episcopatum potius quam eligitur.*

Is, vt perpaucis multa de eius vita perstringamus, ex nobilissima tunc temporis Traiectensium stirpe natus, à primæua ætate nobilius est in sancta religione conuersatus, & ob excellentis vitæ meritum, ad supplendas iam dicti antecessoris sui vices, raptus est potius quam electus.

*Patitur ab inuidis, & ab Episcopatu pellitur.*

In quo videlicet Episcopatus culmine, cum irreprehensibilis vitæ gratia in ipso bonis omnibus luceret imitanda, adeò prauis quibusdam erat inuidiosa, vt ad tantam deuoluerentur insaniam, vt & C Regem suum Childericum innocentem conarētur occidere, & sanctum hunc virum à sede Pontificali expellere.

---

## *De sancto Lamberto, qualiter in pueritia floruerit, & ad Episcopatum peruenerit.*

## CAPVT V.

*Ab Aegidio additum.* D

HVic successit semper memorandus venerabilis noster patronus Lambertus, in ordine vicesimus nonus.

*Lambertus ex nobili Traiectensi stirpe natus.*

Is, vt perpaucis multa de ipsius vita perstringamus, ex nobilissima tunc temporis Traiectensium stirpe natus, cuius pater vir nobilis & illustris & Regum lateralis, Aper fuit. Qui ad multiplicandum illorum numerum & magnificandas virtutes illorum, puerum ex ingenua vxore Hyspllinde habuit, illumque ad baptizandum viro Dei Remaclo tradidit, eiusq; in baptismate spiritalis existens pater, nomen Lambertus ei imposuit.

Deus autem omnipotens, qui linguas infantium facit disertas, cui nihil est impossibile, ipse Lamberti infantiā, pio & miro insigniuit miraculo

A miraculo; qualis quoq; vel quantus erga matres debeat esse filiorum affectus, per eum patenter exprimit.

Cum diebus ieiuniorum mater pueri Lamberti, ex more vellet loca Sanctorum circuire, quam humilius potuit, nutricem infantis, sibi & suis familiarem in secreto monuit, & vt panem subcinericium diei congruentem in reditu suo pararet, indixit, superaddens, vt erga infantem adhuc in cunis vagientem, lege nutricis peruigilaret. Ad manifestandum igitur imposterum beati Lamberti sanctitatem, & nutrix præceptum Dominæ obliuiscendo neglexit, & Domina, orationibus expletis, reditum maturauit. In ipso ergò reditus articulo infans, cui ætas vsum loquendi penitus negabat, ad nutricem,
B in hæc verba dixit: Mater mea, ô pia nutrix, iam fere pulsat ad ostium, vide si ex eius iussu, paratum habes panem subcinericium, Nutrix igitur, quia præter se & infantem cuncti abierant, quis esset qui ita loqueretur mirari & circumspicere cœpit, cum ecce infans, eadem ingeminando verba, ad nutricem aperte loqui cœpit. Mox ergò, Domina adueniente, nutrix stupefacta ex miraculo, se ream ex suo neglectu apud Dominam reddidit, & quomodo infans apertis verbis eam de præparando pane admonuisset, veraciter aperuit.

Diuina potentia, quæ, ob notã incredulitatis erga cœlestem Nuncium, os Zachariæ ad tempus clausit, ipsa simili ordine os infantis Lamberti mirificè aperuit ante tempus, qui exemplo filij eius Ioan-
C nis Principis adulterium suo loco erat repræhensurus, & inde palmam martyrij adepturus.

Dicitur etiam quod eadem nutrix vocabatur Lina nomine, & quod nata fuisset cæca, filia cuiusdam viduæ nobilis Francorum genere, quæ monita fuit visione Angelica, vt ad domum Comitis Apri in Traiecto accederet, quia de sua vxore Herysplende filium eodem tempore esset habiturus, quem cùm suscepisset, & suas mamillas virgineas succisset, ex ipso lacte virgineo defluenti, suos oculos perungeret, & lumen suorum oculorum, sicut Montanus monachus in ortu beati Remigij de lacte Ciliniæ anus decrepitæ, reciperet. Quo cùm virgo Lina peruenisset, & vt edocta erat impléesset, statim lumen suorum oculorum recepit, &
D deinceps infantem Lambertum suo lacte virgineo nutrire meruit.

Nunc verò ad historiam redeamus. Hic verò à primæua ætate nobilius est in sancta religione conuersatus, sub Landoaldo venerabili Archipræsbytero, literarum studijs imbuendus traditus est, in loco qui Wintershouen dicitur. *Traditur Landoaldo literarum studijs imbuendus.*

Qui Landoaldus, dum insisteretur in ædificanda ecclesia, artifices super penuria potabilis aquę conquerebantur, quia aqua ibi ex paludibus collecta, magis bibentes torquebat amaritudine, quam aliqua

P reforcil-

*Adhuc puer miraculosè excitat fontem hominum vsibus habilem.*

refocillaret suauitate. Vbi cùm beatus Lambertus cum sancto Landoaldo orationem compleuissent, terramque signo sanctę crucis baculo signassent, fons ibi vsibus hominum habilis protinùs emanauit. A

*Prunas ardentes veste gestat sine vllo adustionis vestigio*

Sed & quodam hyemis tempore, iussus à beato Landoaldo puer Lambertus, vt prunas ardentes afferret, qui cùm vas in promptu non haberet, requisitus ab illis à quibus ignem petebat, cum irrisione, si eas in palliolo suo recipere vellet, annuit; ille innocentia plenus, palliolum suum ambabus manibus extendit, prunas ardentes in eo recepit, stringensq; fortiter ne defluerent, in via lætus cum festinatione rediit: Cumq; coram magistro eas humiliter disposuisset, vestemque excussisset, nullum penitus in ea apparuit corruptionis signum, nullum vel modicæ adustionis vestigium. Mirari cœpit intra se venerabilis Sacerdos, & omnipotenti Deo gratias agere, quia, sicut videbat vestem illæsam ab incendio; sic mentem pueri synceram & mundam nouerat ab omni elationis vitio. B

*Rapitur potius quam eligitur ad episcopatū.*

His & aliis signis fœlix adolescens Lambertus, in diuinarum & mundanarum scientia literarum non mediocriter exercitatus, in via Domini, iuxta modum ætatis sufficienter edoctus, mundus & integer mente & corpore, ob excellentis vitæ meritum, ad supplendas iam dicti antecessoris sui Theodardi vices, raptus est potius quam electus, anno ætatis suæ vigesimo primo. In quo videlicet episcopatus culmine, cum irrepræhensibilis vitæ gratia in ipso bonis omnibus luceret imitanda, adeò prauis quibusdam erat inuidiosa, vt ad tantam deuoluerentur insaniam, vt Regem suum Childericũ innocentem conarentur occidere, & sanctum hunc virum à sede pontificali expellere. C

ANNOTATIONES.

1. *Sequitur author noster in gestis sancti Lamberti illustrandis, primò Godeschalcum, qui iussu Agilphridi Episcopi Leodiensis, qui à S. Lamberto quarto loco in Episcopatum successit, vitam Sancti, quamuis inculto sermone, verè tamen descripsit: Secundo, Stephanum ex clerico Metensi Episcopum Leodiensem, decimo loco S. Lamberti successorem: Tertio, Nicolaum Ecclesiæ Sancti Lamberti canonicum, qui primus veram Martyrij Sancti Lamberti causam ex professo euulgauit, & egregiè vereq; descripsit. Stephani scripta extant typis excusa apud Surium de probatis Sanctorum historiis tom. 5. Godeschalci scriptum nuper reperimus in vetustissimo libro pargameneo Ecclesiæ Leodiensis litera romana descripto, qui paßionale appellatur: quodsi aliquo modo legi poterit, sub finem huius tomi, loco appendicis, cum scripto Nicolai, quod in Ecclesia Leodiensi legitur, typis euulgari curabimus.* D

2. Nobilissima tunc temporis Traiectensium stirpe natus.] *Adstipulatur Sigebertus in Chronographia anno Domini 658.* Theodardo, *inquit*, Episcopo martyrisato, Sanctus Lambertus filius Apri Comitis, Episcopatum Traiecteñ illustrat gloriâ nobilitatis & gratiâ sanctitatis. *Hactenus Sigebertus. Childericus Rex asserit pectus S. Lamberti domicilium esse Spiritus sancti & linguam veritatis organum apud Surium tom. 5. in appendice ad vitam*

Sancti

A *Sancti Lamberti per Stephanum descripta, ex quodam M. S. exemplari fide digno. Clodoueus Rex appellat illum apostolicum virum, in eo priuilegio, quod promulgauit pro immunitate ecclesiæ Beatæ Mariæ Traiectensis, de quo Molanus in natalibus SS. 17. Septembris, quod huc vsq; mihi videre non licuit, nec illius in libris chartarum, quas antiquissimas Leodij habemus fit mentio.*

3. A primæua ætate nobilius est in sancta religione conuersatus.] *Codex aureæ vallis habet* nobilis, *vitio, vt puto, Amanuensis, quem sequuntur Codices Capucinorum & Groesbekanus, restituimus* nobilius *ex codice Cruciferorũ & Alnensi.*

4. Qui Landoaldus, dum insisteretur in ædificanda Ecclesia.] *Historiam huius fontis miraculosè per Landoaldum & puerum sanctum Lambertum excitati,* B *hausit Aegidius ex Notgero Leodiensi Episcopo, in vita Landoaldi; vbi inter alia sic habes:* Propter quod & illustris vir Aper, eiusdem pueri Lamberti pater, prædium vocabulo Wintershouen super Archa fluuium positum, eidem ad inhabitandum & Ecclesiam construendam perpetuo iure concessit, & eundem puerum, diuinis dogmatibus imbuendum, cum eo manere constituit. Vbi dum artifices operi insistunt, & aquam vtpote de paludibus turbidam fastidiunt, beatus Landoaldus cum puero Lamberto, inuocato Christi nomine, cum crucis protẽsione, fontem limpidissimum baculi impressione, omnium vsibus fecit ebullire, qui fidem dictis præbet vsq; hodie.

5. Sed & quodam hyemis tempore, iussus à beato Landoaldo puer C Lambertus.] *Hausit Aegidius & hoc miraculum ex Notgero, quod quia mirè sanctitatem Lamberti pueri illustrat, verba Notgeri in medium adferam.* Alio, *inquit,* tempore, cùm vsui necessario ignis deesse videretur, accitus à viro S. Landoaldo puer, ignem inferre iubetur. Cępit idem imperio reniti, & cur statim iubẽti non satisfecerit, palã fateri: Vas, inquit, Dñe, quo ignis oportunè importetur, deesse vides, & quo hunc modo inferri iubes? Promptus quidem tibi obtemperare mihi est animus, sed vt votis tuis contraire videar, ipse vasis cogit defectus. At pius pater, vbi hæsitantis pueri animum persensit: Placetne, inquit, fili, paternæ iussioni moram fieri, cùm ea qua tegeris veste, ignis satis commodè queat inferri? Qua puer motus increpatione, cùm præterea D obediẽtiæ exemplo cogeretur, imperio patris sanè obtemperat, pauloque progressus, ignem requirens properat. Quo tandem inuento, nihil adesse videns, quo eum oportunius ferret, gremium pannis ardentibus laxat, easque, nihil cunctatus, infra collocat, & ita veste illæsa, ad patrem vsque deportat. Tunc vir sanctus nouitatem miraculi secum altius considerare, fœlicisque pueri meritum, perfectorum etiam non dubitat virtutibus comparare: quo quidem ardens elementum, naturã suam vel ostendere timuit, vel omninò coactum est occultare.

A

## Quod pulsus ab episcopatu, monasterium Stabulaus adierit.

### CAPVT VI.

*Fugiens honores confert se ad monasteriũ Stabulaus. In monasterio Stabulaus feruet religio.*

HAc ille contumelia gratanter accepta, cum transitorios honores nocituros sibi potius quam profuturos, fugere præoptaret, Stabulaus monasterium, vbi potissimum religionem feruere cõstabat, expetijt: quiq; præesse iam nouerat, abbatis seipsum subegit imperio, ibiq; per septem annos, sanctam & Angelicam conuersationem, in omni virtutum peregit obseruantia. B

ANNOTATIONES.

1. Hac ille contumelia gratanter accepta.] *Vt historiam secessionis beati Lamberti Episcopi, illiusq; causam clarius intelligas, quædam ex chronographia Sigeberti altius repetenda sunt.* Anno, *inquit*, 662. Clodoueus Rex Francorũ obijt, & Lotharius filius eius succedit, cuius maior domus, post Erchanoldum, fuit Ebroinus. Abhinc, Francorum Regibus à solita fortitudine & scientia degenerantibus, regiã potentiã disponebatur per maiores domus, regibus solo nomine regnantibus: quibus moris erat, principari quidẽ secundũ genus, & nil agere vel disponere, quã irrationabiliter edere & bibere, domiq; morari, & calend. Maij præsidere coram tota gente, & salutare & salutari, obsequia & dona accipere & rependere, & sic secum vsq; ad alium Maium permanere. C Anno, *inquit idem*, 666. Lotharius Rex Francorũ moritur, & Theodoricus frater eius, ab Ebroino maiore domus in regnũ sublimatur. Hic propter insolentiã Ebroini anno 667. à Francis repudiatur, & frater eius Hildericus, qui in Austrasia regnabat, à cunctis ad regnandum euocatur. Porrò, Theodoricus & Ebroinus tonsurantur, & Theodoricus Parisijs in cęnobio S. Dionysij, Ebroinus in Luxouio relegantur. Anno Dñi 679. Bodilo Francus, quem Hildericus ligatũ ad stipitem cædi fecerat, Hildericũ in venatione exceptũ, cũ Blitilde vxore eius pregnãte, interficit, & Theodoricus regno restituitur. Anno sequẽti, Ebroinus à Luxouio egressus, vires resumit, insidiatores suos premit, super Theodoricũ Regem irruit, thesauros eius & ecclesiæ diripit, Leudesiũ maiorem domus perimit, Clodoueũ quendã, fingẽs se esse filiũ Lotharij regis, regem sibi facit, ad eius sacramentũ, quos potest, pœnis, minis, & blandimentis impellit. Anno 685. Theodoricus Rex Ebroinũ in gratiam recipit, eiusq; consilio Synodum episcoporum cogit, & in hac multos eorũ, ex sententia Ebroini, episcopatu priuat; aliquos etiam eorum irreuocabili exilio damnat, sub tam procelloso domesticæ persecutionis tumultu. S. etiam Lambertus à Traiectensi amotus episcopatu, in cœnobio Stabulaus monachicæ quietis expetijt portum, ibiq; per septem annos habitauit secum. *Hactenus Sigebertus. Ex his vides S. Lambertum secessisse in Stabulaus monasterium, ad euitandam* D

*Ebroin*

A *Ebroini sæuitiam, qui non alio animo, episcopos Galliæ ad Synodum vocari consuluerat, quam vt illius occasione, eos interciperet, seq; de eis vindicaret, quorum consilio se à statu suo turpiter deiectum, & in monasterium detrusum sciebat.*

2. Stabulaus monasterium expetijt. ] *Vide historiam apud Stephanum, in vita sancti Lamberti.*

---

## *Qualiter ibi probatus fuerit.*

## CAPVT VII.

B *Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

VBi cum brumali tempore, nocte quadam, ex illo religioso suo vsu, fratrum vigilias in Dei laudibus pergeret anticipare, à manu piè festinantis subitò calceus est elapsus, atque aliquantus proinde sonus à patre monasterij est auditus. Isq; statim eum qui taliter fratrũ turbasset silentiũ, cruci sub diuo positæ, (nam hæc erat ibidem huiusmodi corrigendis excessibus disciplina) nesciẽs tamen cui hoc imperasset, inflexibili addixit sententia. Ille velocius, quam si prospera iuberentur, Abbatis edicta prosequitur, &, vt erat solo indutus cilicio, pedibus nudis, coram cruce, mundo crucifixus, orans C & psallens perseuerat. Stat instar crucis ante positæ, stat planè Christi viuens hostia, offerens cælo suauissimos fructus obedientiæ, dum & obrigescente præ algore corpusculo, incumbentes fortiter contemnit niues, & psalmodiæ nihilominus persoluit munus, proculdubio, sic Creatori suo multo acceptius.

*S. Lambertus casu calcei, excitat in dormitorio sonitum. Subijcitur disciplinæ. Subit disciplinam & bruma li tempore solo indutus cilicio, sub dio, orat ante crucem, spretis frigore & niuibus.*

Verè eodem spiritu, hunc nostrum, & ex hoc iam supplicio martyrem, inflammatum esse crediderim, quo craticulatus ille Laurentius interius æstuans, exteriores flammas victor calcauit. Quorum par fides, illo igne quem Dominus Iesus in terras misit, vehementer ignita, ad dispares pœnas, quasi insensibilia reddidit corpora: sicq; alterum contemptus ignis cœlo transmisit; alterius vitam ad maio- D res certaminum labores, frigoris immanitas, interim parcendo, reseruauit. Qui licet, ob salutem multorum, à gloria cęlesti paululum sit dilatus, non tamen communi sanctis martyribus prætiosa morte, nec multiplici certaminis fructu, tandem est fraudatus.

*S. Lambertus spiritu S. Laurentij inflammatus. Luc. 12.*

Tegitur niue magis quam veste, vt dictum est, sacratissimum venerabilis viri corpus, eousque ante crucem manens fixum & immobile, dum fratres expletis vigilijs, vt frigentia caloribus recrearent corpora, in conclaue his aptatum vsibus sese conferrent, considerati sque omnibus, solùm Abbas deprædendit abesse Lambertum: cuius absentiæ causas perquirens, agnouit à referentibus eum esse, qui iussu ipsius crucem intempesta nocte adierit. Curritur otiùs, Sacerdos Dei, vix dum agnosci valens, extrahitur media illa niuium densitate, artusque sacri, ac si in mortem rigentes præ frigore,

copiosis ignibus admouentur, non sine multa fratrum & maximè abbatis pœnitentia, se reum, se sacrilegum ingeminantis, qui talia in Sanctum virum iudicare præsumpsisset: nec prius abstitit sedulitas fraternæ pietatis, donec cum Dei auxilio, multa adhibendo fomenta, afflictum corpus pristina incolumitate redintegrat. A

*Abbatis & fratrũ pœnitentia*

*Additio Aegidij.*

*Quid significet crux Leodij intra claustralia septa sub dio posita.*

Ob huius triumphi memoriam, specialiter in principali ecclesia Leodij, vbi idem prætiosus martyr corpore quiescit, mos iste primùm inoleuit, vt inter claustralia septa sub diuo, vexillum Dominicæ crucis perpetuò stabiliretur, licet nonnullæ ecclesiæ vsurpare sibi videantur, alio quidem religionis genere. B

ANNOTATIONES.

1. Vbi cum Brumali tempore.] *Adstipulatur Godeschalcus diaconus, & Stephanus, qui primi gesta beati Lamberti scripserunt.*

2. Ob huius triumphi memoriam.] *Habet hæc Aegidius ex scripto Nicolai, qui tertius vitam beati Lamberti descripsit.*

---

## *Qualiter ad Episcopatum redierit.*

C

## CAPVT VIII.

NOn multo post, deuotio filiorum Ecclesiæ Traiectensis, commissi pastoris damnum serò reminiscitur, tandemque detrectans impijssimi iugum supplantatoris, qui per septem iam annos oues Dominicas indignissimè tractauerat, venerabilem virũ Lambertum vehementissime reluctantem, maximo conamine de monasterio extractum, ad sedem episcopij reducunt, exceptumque egregio, hinc Deo seruientium, hinc pauperum Christi triumpho, rursus in cathedra pontificali sublimant.

Quantum illic vtriusque vitæ, contemplatiuæ scilicet & actiuæ, consequutus, sit à maioribus nostris conscripta, euidenter ipsius declarat vita. Et hæc compendiosè scribimus, ne gloriosum patronũ nostrum silentio præterijsse videamur. D

Taxandriam eatenus idolatriæ deditam, verbo quod est penetrabilius omni gladio, fortis bellator aggreditur confodere. Nec mora, annuente Dei gratia, syluestris illa humanorum cordiũ feritas mansuescit, & vasta solitudo diu sterilis & infœcunda, vberes Domino fideliter reddidit fructus.

*De morte*

A

## *De morte Ebroini, & qualiter ad episcopatum redierit.*

### CAPVT VIII.

*Ab Aegidio additum.*

His diebus, Ebroinus crudelitate nimia sæuus, qui Sanctos Dei, Leodegarium episcopum & fratrem eius Gerinum occiderat, sanctumq; Lambertum ab episcopio expulerat, iusto Dei iudicio, qui iudicat iniuriam patientibus, ab Ermenfrido Franco interfectus est.

*Ebroinus occidit SS. Leodegarium Episcopũ & fratrem eius Gerinum. Idem expulit à sede episcopali S. Lambertũ. Occiditur ab Ermenfrido Franco. Psalm. 102.*

B Erat tunc temporis vir oculis cæcatus vnus de illis quibus Ebroinus effoderat lumina, in insula Lugdunensi quæ barbara dicitur; qui cum nocturno tempore super ripam Rodani fluminis, orandi gratiâ, resideret, audiuit nauigantium impetum, & magna vi brachiorum contra impetum fluminis insurgentium: cumq; interrogaret, quo nauigiũ illud tenderet, vox in auribus suis percrebuit, Ebroinus est, quem ad vulcaniam ollam deferimus, ibi enim facti sui pœnas luet. Hoc idem vir sanctus audiuit ad consolationem sui, vt sciret quam pœnam persecutores iustorum sentirent.

*Multis effodit oculos. Pœnæ iustos persequentiũ.*

Interea, euoluto septennio, post horridam tempestatem, facta in C Ecclesiā Dei tranquillitate, impijssimo Ebroino qui Franciam diu vexauerat, iusto Dei iudicio, vt diximus, interfecto deuotio filiorum Traiectensis Ecclesiæ, amissi pastoris damnum serò reminiscitur, tãdemq; detrectans impijssimi iugum supplantatoris, Pharamundi, qui iam per septem annos oues dominicas indignissimè tractauerat, venerabilem virum Lambertum vehementissimè reluctantem, maximo conamine de monasterio extractum, ad episcopij sedem reducunt, exceptumq; egregio, hinc Deo seruientium, hinc pauperũ Christi triumpho, rursus in cathedra pontificali sublimant.

*Interfecto Ebroino S. Lambertus inuitus reducitur ad episcopatum. Reijcitur intrusus in episcopatum Pharamundus.*

Quantam illic vtriusque vitæ, contemplatiuæ scilicet & actiuæ, cõsequutus sit perfectionem, à maioribus nostris conscriptā, euidenter D ipsius declaratur vitā.

Sed hæc compendiosè scribimus, ne gloriosum patronum nostrum, silentio prætermisse videamur.

### ANNOTATIONES.

1. Ebroinus crudelitate nimia sęuus, qui sanctos Dei Leodegarium Episcopum & fratrem eius Gerinum occiderat. ] *Crudelitatem quam in Leodegarium exercuit Ebroinus, paucis eleganter describit Sigebertus:* Sanctus, *inquit,* Leodegarius diu ab Ebroino tormentatus, post famem & carceris squallorem, post oculorum euulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ & labiorum excisionem, tandem consummauit martyrium per capitis abscisionem. *Ita Sigebertus anno Domini 685. Si quis de vtroq; plura scire desiderat, legat eorum martyrium apud Surium, auctore quodam Vrsine, qui illud descripsit, iubente Ansoaldo Pictauorum Episcopo.*

2. Ab

2. Ab Ermenfrido Franco interfectus est.] *Attestatur Sigebertus in chronographia anno Domini 688.* Ebroinum, *inquit*, maiorem domus Neustriæ Francos insolenter opprimentem, Ermenfridus peremit, & ad Pipinum confugit. A

3. Euoluto septennio, post horridam tempestatem.] *Godeschalcus & quotquot deinde scripserunt de sancto Lamberto, septennium istud approbant.* Septem, *inquit Godeschalcus*, annis expletis, depositus est Pharamundus de sede pontificali, & eiectus de prouincia Traiectensi. Tunc agmina clericorum &c. Pastorem suum Lambertum repetebant, &c.

4. Impijssi iugum supplantatoris Pharamundi.] *Nicolaus in vita sancti Lamberti, ait quosdam dicere hunc Pharamundum fuisse clericum Diœcesis Coloniensis. Stephanus episcopus in vita eiusdem Sancti, impietatem eius insigniter depingit his verbis.* Eheu, cogor scriptis depromere rem, tum reuera gestam. Traiectensis ecclesiæ cathedram latro Pharamundus inuasit, curam & ministerium pontificũ, homo miserrimus, ad mundi pompam, non ad vitæ sempiternæ obtinendam palmam, accommodauit, vsurpauit præsulatum, dominium sibi vendicauit, latro animarum, ecclesiæ publicus prædo effectus, temerauit Sacramenta Dominici corporis, contaminauit fastigium canonicæ integritatis & rectitudinis, violauit sanctuarium, prophanauit sacerdotium, confudit religionem, immutauit ordinem, æquitatem oppugnauit, à iustitia prorsus abhorruit. Nullum facinus execratus est, nullum flagitium in se non admisit. Plura referre pudet ex ijs quæ homo fallax & dolosus gessit. B C

## *Qualiter Taxandriam conuertit.*

### CAPVT IX.

*Ab Aegidio additum.*

*Heb. 4.*

*Barbari insurgunt in S. Lambertum.*

TAxandriam eatenus idolatriæ deditam, eo verbo quod est penetrabilius omni gladio, fortis bellator aggreditur confodere. Insurgentibus autem in eum Barbaris, vt iniuriam Deorum suorum in eum vindicarent, & diuersis supplicijs Domini sacerdotẽ afficerent, quia abiectionem idolorum suorum æquanimiter ferre non poterant, cum in præsentiam sancti Pontificis irrupissent, tanta in vultu eius lux cœlestis gratiæ refulsit, vt diuino nutu perterriti, depositis armis & animis, starent parati obedire, qui venerant occidere. D

*Terrentur visa luce cœlestis gratiæ in vultu S. Lãberti.*

*Quid Taxandria & quam ampla.*

Sic annuente Dei gratia, syluestris illa humanorũ cordium feritas mansuescit, & vasta solitudo diu sterilis & infœcunda, per baptismi gratiam, & bonis operibus, vberes Domino fideliter reddidit fructus, totaq; regio illa (quæ diuersa ab incolis suis sortitur vocabula, & quæ cursu Mosæ dextro latere clausa, vsque in Septentrionalem Oceanum

A Occanum porrigitur, Apostolatui martyris Christi Lamberti debetur, quod errorem suum cognoscere, quod Christianæ fidei gratiam obtinere promeruit, & ideò Leodiensi parochiæ, sicut hodie cernitur, subdita est.

ANNOTATIONES.

Taxandriam.] Regio cui Taxandria nomen est *(inquit Nicolaus in vita S. Lamberti)* à Traiectensi oppido versus Septentrionem vix tribus miliaribus disparatur. *Godeschalcus, Stephanus & qui deinceps scripserunt res gestas sancti Lamberti, meminerunt conuersionis Taxandriæ ad fidem per sanctum Lambertum,* & propterea communiter à scriptoribus, *inquit Molanus in natalibus Sanctorum Belgij,* vocatur Taxandriæ Apostolus.

B

*De his qui ei cœlesti desiderio adhærebant, & de obitu Landradæ virginis.*

## CAPVT X.

*Ab Aegidio additum.*

FVerunt etiam per idem tempus, nonnulli in sæculari habitu, qui monitis & exemplis tanti patris animati, ob amorem cœlestis patriæ; spretis diuitiarum suarum illecebris, ad arctiorem vitam se contulerunt.

*Hubertus exemplo S. Lamberti permotus, arctiorem vitam amplectitur.*

*Similiter & Oda vidua.*

C Ex quorum numero extiterunt, Hubertus adolescẽs nobilis, Aquitanus genere, sub Theodorico Rege Comes palatij, literarũ studijs eruditus, & armorum exercitatione strennuus.

*Oda possessiones pauperibus erogat.*

Adhærebat ei amita sua Oda, quæ erat Boggis, Aquitanorũ Ducis recens defuncti vidua, quæ monitis & exhortatione Christi Sacerdotis Lamberti, ad contemptum mundi viriliter accincta, possessionum suarum redditus, qui erant amplissimi, in vsus pauperum cœpit abundanter erogare. Post hæc, constructo monasterio non longè à Leodio, in prædio suo, quod Amanium dicunt, vbi in sancto viduitatis proposito Deo seruiens, fœliciter requieuit.

*Cõstruit monasteriũ in Amanio prope Leodium, in quo fœliciter requiescit.*

Sed & Christi virgo beata Landrada, claris orta natalibus, se & sua Deo contradidit, constructo cœnobio in Belysia, proprietatis suæ D villa, de manu beati Lamberti, sacro illibatæ virginitatis insignita velamine, cum alijs plerisque puellis, arduũ angelicæ castitatis inibi aggressa est propositum.

*Lãdrada virgo nobilis exemplo S. Lamberti se & sua Deo tradit.*

*Construit in Belysia monasterium virginum.*

*Insignitur à S. Lãberto sacro virginitatis velamine.*

Hæc igitur beata virgo Lãdrada, cum iam in extremis posita esset, beatum Lambertum, qui longè aberat à se, mandari iubet. Properante cum festinatione ad præfatum cœnobium pontifice, interim sancta virgo Landrada migrauit ad Christum; quod & B. viro per visum reuelatũ est: Apparuit autem ei in somnis ipsa virgo, iocũda facie, cœlesti veste & lumine splẽdida, vt per ipsius habitus claritatem, indubitáter sciret eã iam trãsisse ad immortalitatis beatitudinem.

*Lãdrada virgo moritur.*

*Apparet B. Lãberto cũ lumine gloriæ.*

Q Cumque

Cumque eam episcopus de collata sibi à Christo virginitatis corona, familiariter & gratulando alloqueretur, adiecit: Si absens corpore, non animo, circa finem, dilecta filia, etiam verè Regis mei sponsa, tibi adesse non valui, saltem nunc edoce quo in loco corpus tuum debeam sepelire. Cui illa: suspice, inquit, sursum, pater, & eum locum, quem lux in modum sanctæ crucis in terris tibi facit esse conspicuum. Et ecce, lux in modum crucis rutilans videbatur; hunc, inquam locum, scito mihi in sepulturam à Deo concessum. Locus autem super quem hæc videbatur, Wintershouum vocabatur: In quo loco sanctus Lambertus sub Landoaldo, in pueritia sacras literas didicerat. A

*Edocet S. Lambertum de loco sue sepulturæ.*

*In pago VVintesbouo S. Lambertus puer didicit literas.*

Euigilans itaque episcopus, concito gradu Bilysiam venit, certus de visione & de sepelienda virgine. Conuocatis fidelibus qui ad funus virginis venerant, visionem aperuit, sed sanctimonialibus flentibus, & assensum ad hanc rem non præbentibus, coactus episcopus precibus earum, de visione tamen certus, in eodem loco, non ex voluntate sua, eam sepelierunt. B

*Sepelitur Landrada contra voluntatem S. Lamberti in Bilysia.*

Post triduum exurgens ab oratione episcopus, vt fidem faceret non credentibus, cum fide & reuerentia tumulum virginis aperire fecit, sed nec sarcofagum lapideum, nec corpus virginis repererũt. Mirantibus omnibus qui aderant, vir Dei Lambertus cum multitudine virorum & mulierum, Wintershoue properat, vbi cęlitùs sibi ostensum fuerat, locum fodi iussit, ibique sarcofagum, & in eo virginis corpus, sicut in Bilysia fuerat, reperit decenter reconditum, admirantibus & benedicentibus Deum qui ibi aderant, dignisque præconijs sancti pontificis efferunt merita, qui in terris positus, mente in cœlestibus habitabat. C

*Post triduum reperitur sepulta in VVintersbouo, iuxta S. viri visionem.*

ANNOTATIONES.

1. Hubertus adolescens.] *De hoc inferius.*

2. Amita sua Oda.] *Molanus in additionibus ad Vsuardum de ea sic loquitur 23. Octobris.* In villa Amania super fluuium Mosæ, natalis sanctæ Odæ viduæ, amitæ sancti Huberti. *Hæc post mortem mariti sui Boggi catholici principis, dote contenta, Deo seruire satagit & pauperibus. Sacerdotes & sacros ecclesiæ suæ ministros in Domino dilexit, & præcipuè beatum Pompeium Sacerdotem suum sacellanum, virum vitâ & moribus comprobatum, in tantum, vt licet percussio abfuerit, palmam tamen martyrij in sui corporis maceratione non credatur amisisse. Sepultus est Amania in cripta sacelli quod in monte, ad honorem sanctæ Catharinæ Deo est dicatum, vsitatius tamen Pompei dicitur, gallicè S. Pope. Hæc fundauit ecclesiam Amaniensem in qua quiescit, ab ea quoq; multa habet Leodiensis ecclesia, quæ est sancti Lamberti, sub quo præsule floruit. Transtulit autem eius reliquias de tellure sanctus Floribertus filius sancti Huberti, & in episcopatu successor, septimo Idus Iulij.* D

3. Sed & Christi virgo beata Landrada, claris orta natalibus.] *Neptis fuit Pipini Carolomanni filij. Quidam putant hanc Landradã, fuisse filiam Caroli Marcelli: falluntur æquiuocatione nominis, Landrada enim illa maritata fuit, fitq; eius memoria in vita filij sui Grodegandi episcopi Metensis.*

4. Con-

A 4. Constructo cęnobio in Belysia.] *Hic locus à feritate inhabitantium belluarum, bellua dictus fuit, postea, non à belluis bellua, sed Belysia, hoc est, benè Elysia, vocari cœpit, siue enim nemorosam iucunditatem, siue fluuium aut fontium irriguam species vbertatem, apum quoq; & mellis ceream suauitatem, addita incolarum christiana religione, parū est quod dubites de Elysia beatitudine. Sic Theodoricus abbas Trudonensis, qui eius vitam descripsit apud Surium tom. 4.*

5. Apparuit autem ei in somnis.] *Eandem historiam narrat Theodoricus, de quo statim c. 14. sua historia. Eleuatum est eius corpus, non multo tempore post eius mortem, Nonis Martij, ac deinde anno nongentesimo octuagesimo, cum sacris reliquijs Beati Landoaldi & Adriani martyris & sociorum, ad Domini Bauonis ecclesiam Gandauum est translatum, teste Sigeberto. Porrò, Belysiense monasteriū, hodie est canonicarū extra ciuitatem* B *Belysiam, in territorio Leodiensi, estq; adhuc nomine tenus monasterium; dicitur enim vernaculo idiomate,* Monster vel Munster Bilsen.

---

## *Qualiter à perfidis sit interemptus.*

## CAPVT XI.

TAlibus virtutum exercitijs, ad gloriosum venitur martyrium, cuius causa duplex extitit.

Et prima quidem fuit, quod peruasores rerum ecclesiasticarum C duos quosdam fratres, aliqui ex beati martyris propinquis, ipso nesciente, interfecerant, quod eorum proximus Dodo quidā, in sanctum pontificem causam sui retorsit odij.

Altera fuit causa, quod Pipinus maior domus regiæ, face libidinis adulterinæ succensus, memorati Dodonis sororem Alpaidem, legitimæ coniugi Plectrudi superinduxerat. De qua re sanctus Dei Lābertus tantum in principe perhorrescens facinus, adulterini criminis eum arguere non reformidabat, & nunc terrores diuini iudicij minitādo, nunc honestatem legalis thalami commendando, & adulterij obscœnitatem detestando, hoc apud ferocem eius animum vir D Apostolicus effecerat, vt iam in fornicaria minus insaniret.

Quod vbi illa primum sentire potuit, furijs agitata libidinis, fratrem gemebunda per internuntios conuenit, contumeliam sibi à Sacerdote illatam memorat, eius instinctu auersum à se conqueritur principis animum, commodius sibi fore Lambertum vitâ priuari, quam à tanto viro diuortio separari, insidiatoris interitu, hoc sibi posse præstari, quod nullius ab inuicem diffidij, deinceps infortunium posset interueniri.

Bibit ille transfusum à viperea sororis lingua venenum, armat statim ex domesticis regiæ domus in necem Episcopi milites auxiliarios, & miser, dum in Sacerdotis necem crudeliter grassatur, nescit quia sibi æternam mortem, illi finem laborum, & perpetuam pariat vitam.

Collectis igitur non paucis ad hoc facinus militum copijs, in pontificem, cum rara domesticorum manu tum forte Leodij commorantem, vt lupus in oues insilit, & primo diluculo domum præsulis (quam viderunt nonnulli tota illa nocte cœlesti lumine, instar Dominicæ crucis insigniri) audacissimus præsumptor, armatorum cingit obsidione. A

At vir Dei intrinsecus somno, cui post vigilias defessa membra reclinauerat, improuiso tumultuantium fragore expergiscitur, statimque nihil, vel contra moliri quærens, cum & posset (sciebat enim quia bellatores Christi, exemplo Magistri, moriendo, potius quam repugnando norunt vincere) totum corpus in oratione prosternens, prętiosam constantissimè mortem operitur. B

Nec mora, aduersarijs ex omni parte irrumpentibus, multi ante pastorem trucidantium ferro, ad cœlum præmittuntur, proculdubio martyres effecti.

Tandem, ipse pater venerandus vt erat solo fixus, lęthali est vulnere confossus, sicque cum oratione spiritum efflauit vitæ. Nec est dubium, quin sancti martyris animam exceperint laudes Angelicæ, cuius funeri non defuerunt cœlestes exequiæ, quæ etiam ab idoneis testibus sunt compertæ.

Dodo autem, immanissimi patrator sceleris, egestis turpiter intestinis, ipso anno vitâ priuatus, æterna morte est damnatus: Cæteri nihilominus eius conspiratores, alij inter se dimicantes seipsos interemêre: quidam à Dæmonibus vexati, miserabile spectaculum diuinæ vltionis in se hominibus præbuêre. C

Deinde, succedentibus annis, ex reuelatione diuina, B. successore eius Huberto agente, corpus sactissimi martyris in locum passionis, Leodium videlicet, cum incorruptum fuisset inuentum, est translatum.

Vbi, inter eundum, per illuminationem cæci, & claudi curationẽ, dignatus est Dominus declarare confluẽtibus vndiq; turbis, martyris sui virtutem. Ex quo ad eius tumulum tum nobis cernentibus, tum à quampluribus ea referentibus, sunt ostensa miracula, quæ pro sui numerositate non sunt conscripta. D

Cuius vitæ sanctitatem & gloriosæ passionis dignitatem, cum & rerum experimento, & auctoritate tot testimoniorum approbemus, confidenter hunc vere Angelorum esse conciuem, & martyrum cohæredem habere debemus.

Qualiter

A

*Qualiter à perfidis sit interemptus.*

## CAPVT XI.

*Ab Aegidio additum.*

TAlibus virtutum exercitijs, ad gloriosum eius venitur martyrium, cuius causa extitit.

Nam Pipinus, maior domus regiæ, face libidinis adulterinæ succensus, Dodonis sororem Alpaidem, legitimæ coniugi Plectrudi superinduxerat. De qua re sanctus Dei Lambertus tantum in principe perhorrescens facinus, adulterini criminis eum arguere non reformidabat, & nunc terrores diuini iudicij minitādo, nunc honestatem legalis thalami commendando, & adulterij obscœnitatem detestando, hoc apud ferocem eius animum vir Apostolicus effecerat, vt iam in fornicaria minus insaniret. *Causa martyrij S. Lamberti.* B

Quod vbi illa primum sentire potuit, furijs agitata libidinis, fratrem gemebunda per internuntios conuenit, contumeliam sibi à Sacerdote illatam memorat, eius instinctu auersum à se conqueritur principis animum, commodius sibi fore Lambertum vitâ priuari, quam à tanto viro diuortio separari, insidiatoris interitu, hoc sibi posse præstari, quod nullius ab inuicem dissidij, deinceps infortunium posset interueniri. *Alpais Dodonem fratrē armat contra S. Lambertum.* C

Bibit ille transfusum à viperea sororis lingua venenum, armat statim ex domesticis regiæ domus in necem Episcopi milites auxiliarios, & miser, dum in Sacerdotis necem crudeliter grassatur, nescit quia sibi æternam mortem, illi finem laborum, & perpetuam pariat vitam. *Armātur plures domus regiæ in S. Lambertum.*

Collectis igitur ad hoc facinus non paucis militum copijs, in Pontificem cum rara domesticorum manu tunc forte Leodij commorantem, vt lupus in oues insilit, & primo diluculo domum præsulis (quam viderunt nonnulli tota illa nocte cœlesti lumine, instar Dominicæ crucis insigniri) audacissimus præsumptor armatorum cingit obsidione. *Cingunt domū S. Lamberti Episcopi.* D

At vir Dei intrinsecus somno, cui post vigilias defessa mēbra reclinauerat, improuiso tumultuantiū fragore expergiscitur, statimq; reniti nihil, vel contra moliri quærens, cum & posset (sciebat enim quia bellatores Christi, exemplo Magistri, moriendo, potius quam repugnando norunt vincere) totum corpus in oratione prosternēs, pretiosam constantissimè mortem operitur. *Bellatores Christi moriēdo potius quā repugnando vincunt.*

Nec mora, aduersarijs ex omni parte irrumpētibus, duo nepotes ipsius, Petrus videlicet & Andoletus, cum multis ante pastorem trucidantium ferro, ad cœlum præmittuntur, procul dubio martyres effecti. *Petrus & Andoletus nepotes S. Lāberti cæduntur.*

Q3 Tandem

*S. Lambertus confossus in oratione emittit spiritum.*

*Angeli cælestes exequias S. Lamberto celebrant.*

*Dodo frater Alpaidis à vermibus cõsumitur, & fœtens eius cadauer in Mosam demergitur.*

*Percussor martyris congreditur cum fratre & alter ab altero perimitur.*

*Singuli conspiratores infra annũ mirabile diuinæ vltiõis in se exhibent spectaculum.*

*Corpus S. Lãb. nauigio Traiectũ deuehitur.*

*Defertur ad ecclesiã B. Mariæ virginis.*

*Hubertus diuinitus successor, in episcopatum renunciatur.*

*Timore Regis non exhibetur corpori S. Lamberti debita reuerentia.*

*Defertur ad humilem B. Petri ecclesiã extra vrbem, & in sepulchro Apri patris sepelitur.*

*Nulla pellex potest S. viri corpus osculari*

A Tandem, ipse pater venerandus vt erat solo fixus, lęthali est vulnere confossus, sicque cum oratione spiritum efflauit vitæ. Nec est dubium, quin sanctam martyris animam exceperint laudes Angelicæ, cuius funeri non defuerint cœlestes exequiæ, quæ etiam ab idoneis testibus sunt compertæ.

Dodo autem immanissimi patrator sceleris, languore cruciatus, à vermibus consumitur, egestisque turpiter per os suum intestinis, ipso anno vitâ priuatus, æterna morte est damnatus, & ob intolerantiam nimij fœtoris, in Mosam fluuium demergitur; percussor verò sancti martyris, fratri suo congressus, eodem die, pro spolijs diuidendis, in monte publico, alter ab altero perimitur. Cæteri nihilominus eius conspiratores, alij inter se dimicantes seipsos interemêre: B quidam à Dæmonibus vexati, mirabile spectaculum diuinæ vltionis in se hominibus, infra annum, præbuere.

Pauci ex satellitio sancti martyris, qui euaserunt mortis periculũ, tegentes vili tegmine corpus roseo cruore perfusum, quantocius nauigio Traiectum transuexerunt.

Exposito ad portum sancto corpore, cucurrit populus sine nomine & numero, & quanti apud omnes æstimatus fuerit, ex confusis omnium planctibus æstimari poterat. Impositus feretro, defertur Sanctus ad Ecclesiam cathedralem perpetuæ virginis Mariæ, cum debito honore. Clerus cum psalmis & canticis prosequitur, populus complodit manus cum lachrymis. C

Dum diuina celebrantur, vox desuper intonuit, quæ dolorem lugentium hoc modo temperauit: Deus omnipotens, qui ante mundi constitutionem omnia præordinauit & nouit, nouo martyri Lamberto, dignum successorem, eius moribus & doctrina imbutum, Dominum Hubertum, hodie in episcopum per suum vicarium Romæ ordinat, & consecratum vobis transmittit. Volat fama per populos, pauore & horrore concutiens vniuersos: Populus pernoctat solemniter, Clerus ritè frequentat excubias.

Non tamen satis audent debitam tanto patri reuerentiam exhibere, ne videantur voluntati regiæ contraire. Tantus autem timor D Traiectenses pro huius rei acerbitate incesserat, vt nec mausoleum dignum tanti nominis viro auderent præparare. Ideò defertur Sanctus ad humilem ecclesiolam beati Petri extra vrbem, apertaq; tũbâ Apri patris ipsius Lamberti, manè facto, cum ossibus patris sui corpus sanctissimi filij tumulârunt.

Traditur enim à maioribus, quia cum sanctum corpus omnibus exosculandi liber aditus pateret, si qua pellex se ingerebat ad corpus sancti martyris osculandum, quasi quodam rotata turbine, retrocedebat. Per pellicum ergo repulsam clarebat nimis, Deo & sancto martyri pellicem illam odiosam fuisse, quæ duplici crimine Franciam infamauerat, & sanctam conturbârat Ecclesiam.

Deinde succedentibus annis, ex reuelatione diuina, B. successore eius

A eius Huberto agente, corpus ſacratiſſimum martyris in locum paſſionis, Leodium videlicet, cum incorruptum fuiſſet inuentum, eſt tranſlatum.

*Corpus S. Lamberti martyris ſuccedente tẽpore integrum repertum, Leodiũ trãſfertur. Miracula ad reliquias ſancti martyris.*

Vbi, inter eundum, per illuminationem cæci, & claudi curationẽ, dignatus eſt declarare Dominus confluentibus vndiq; turbis, martyris ſui virtutem. Ex quo ad eius tumulum tum nobis cernentibus, tum à quam pluribus ea referentibus, ſunt oſtenſa miracula, quæ pro ſui numeroſitate non ſunt conſcripta.

Cuius vitæ ſanctitatem & glorioſæ paſſionis dignitatem, cum & rerum experimento, & auctoritate tot teſtimoniorum approbemus, B confidenter hunc verè eſſe Angelorum conciuem, & martyrum coheredem, perſuaſum habere debemus.

## ANNOTATIONES.

1. Cuius cauſa extitit.] *Qui beato martyri Lamberto tempore viciniores ſcripſerunt, vt Godeſchalcus Diaconus, & Stephanus Epiſcopus Leodienſis, principalem martyrij beati Lamberti cauſam ſubticuerunt, quod tum adhuc ſupereſſet Carolus Martellus, & alij propinqui Pipini principis, propter cuius pellicem occiſus eſt. Qui tempore remotiores ſcripſerunt, vt Aegidius noſter, & conſequenter reliqui ferè omnes, vnicam, eamq; principalem attingunt; quia videlicet ſanctus Lambertus Pipinum Principem increpare auſus fuit, quod pellicem Alpaidem Plectrudi legitimæ* C *vxori ſuæ ſuperinduxerit. Anſelmus, qui tempore intermedio ſcribit, duas cauſas aſſignat, vtramq; veram; priorem quidem minus principalem, alteram potiſſimam & principalem: Priorem Anſelmus breuiter perſequitur. Qui vult videre fuſius explicatam, legat vitam beati martyris, per Stephanum ca. 16. apud Surium tom. 5. & per Godeſchalcum primũ, vt ſperamus, excudendã. Primariã martyrij cauſam teſtatur Regino in chronico ad annum 622.* Ea, *inquit*, ætate claruit Lambertus Tũgrenſis eccleſiæ epiſcopus, qui dum regiam domum, zelo religionis accenſus, increpaſſet, ab iniquiſſimo Dodone & alijs viris de palatio miſſis, improuiſo concluſus intra domum eccleſiæ in Leodio vico occiditur. *Sigebertus quoq; Gemblacenſis:* Sanctus Lambertus, *inquit*, Pipinum principem increpare auſus, quod pellicem Alpaidem Plectrudi legitimæ vxori ſuæ ſuperduxerit, à Dodone fratre ipſius Al- D paidis, Leodij martyrizatur, & Traiecti tumulatur, eiq; ſanctus Hubertus ſubrogatur. *Idem teſtatur & Marcellinus presbyter in vita ſancti Suiberti; quam habes tom. 2. Surij, die prima Martij.*

2. Quam viderunt nonnulli tota illa nocte cœleſti lumine, inſtar Dominicæ crucis inſigniri.] *Idem habet Godeſchalcus, Stephanus, & alij poſteriores in vita S. Lamberti.*

3. Statimque reniti nihil, vel contra moliri quærens.] Apprehendit gladium, vt hoſtibus reſiſteret, *vt inquiunt Godeſchalcus & Anſelmus*, ſed confeſtim ſententiam mutans, tota mente confiſus in Domino, mutauit conſilium, & gladium de manu proiecit in terram, ſuoſque tum nepotes, tum famulos hortatus eſt, pro iuſtitia patienter & fortiter occumbere.

4. Nec

4. Nec est dubium, quin sanctam martyris animam exceperint A laudes Angelicæ. ] *De his Godeschalcus & Anselmus fidem faciunt. Godeschalcus:* Repositus est, *inquit* sanctus, *scilicet Lãbertus*, in sepulchro, quod Angeli Dei custodientes, & psallentes in ipsa Basilica instar vocum ipsius sancti, cum alijs modulatione dulcissima resonãtibus, quas multi ex loco illo audientes & mirantes, cupientes introire Basilicam, etiam cùm appropinquabant ad sanctum locum, vt certius auditum intelligerent, mox paulatim silebant voces psallentium, cùm egressi essent longius, dulciter resonabat cantus, & sic pérmanebat famulatus Angelicus.

5. Egistisque turpiter per os suum intestinis. ] *Godeschalcus, de hac diuina vltione sic ait:* Dodo, qui primus & princeps ad necem Antistitis cucurrit, vltione diuina percussus, omnibus infra arcana testinis repositis, putrefactis & fœtidis foras per os suum proiectis, infœlicem & pessimam vitam finiuit. Post tantam põpam sæculi, in profundum inferni trusus cruciatur sine fine. *Idem Anselmus & alij consequenter scriptores, qui vniformiter attestantur vltionem diuinam consequutã in omnes Dodonis complices, prout Aegidius noster hic depingit & confirmat Sigebertus in chronographia anno Domini 699.* B

6. Non tamen satis audent debitam tanto patri reuerentiam. ] *Idem scribunt Godeschalcus, Anselmus & Nicolaus.*

7. Traditur enim à maioribus, quia cùm sanctum corpus. ] *Appendix ad vitam S. Lamberti, quam ex M.S. exemplari, fide digno collegit Surius, sic habet:* Interim miri quiddam cernere licebat, quemadmodum à maioribus accepimus, cunctis sine repulsa ad osculandum admissis, si quę pellex accederet, quasi turbine quodam exagitatam, retrocedere cõpelli. C

8. Corpus sacratissimum in locum passionis, Leodium videlicet. ] *Huic fidem perhibent Godeschalcus, & quotquot deinde de Beato Lamberto scripserunt.*

9, *Reperio in codice Aureæ vallis annotationem marginalem, his verbis:* Passus est Beatus Lambertus in vico Leodico cum suis socijs, decima quinta calendas Octobris, anno episcopatus sui quadragesimo primo, ætatis suæ sexagesimo, sub Rege Francorum Hildeberto Theodorici Regis filio, regni eius secundo anno, circa annum Domini septuagesimum. Quo tempore fastigium regni Romani inuaserat Tyberius Absimarus. *Sigebertus in chronographia scribit passum*, anno sexcentesimo nonagesimo octauo. D

Quod

A

*Quod in Baugaria & pago VVertzeburgensi ad eius memoriam fuerint frequenter miracula.*

## CAPVT XII.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

NVnc superest de pluribus eius aliqua referre miracula, vt liquido constet fidelibus, etiam illic eius preces vigere, vbi non quiescit corpore.

B Est insula quædam in Baugaria, continens monasterium in sancti martyris honore constructum, vbi quod sæpissimè ad memoriam martyris miracula fiant, fama referente cognouimus.

In Werzeburgensi pago, vicus est habens Ecclesiam beati martyris ac Pontificis nomini dicatam, ad quam annuo passionis eius die confluens cum diuersorum munerum Xenio prouincialium concio, dum deuotè student offerre carnalia, cum spiritualibus animarum subsidijs, leprosorum quoq; corporum sæpissimè gaudet inde se reportare medicamenta. *In VVerzeburgensi pago inuocatus S. martyr sanat leprosos.*

*Additio Aegidij.*

Processu temporis, Francone præsulatus Leodiensis functo dignitate, C Normanni gens, scilicet, beluina feritate spirans, Leodium violenter irruperunt, & municipijs effractis atq; combustis, ciuibus etiam immoderata cæde fusis, & substantijs eorum sublatis, ad vltimum, ecclesiã sancti Lamberti igne consumpserunt, eam solo coequantes, sola ruinæ & combustionis vestigia reliquerunt. *Tempore D. Franconis Episcopi Normanni deuastant Leodium.*

Deinde, ad locum in quo sanctum corpus venerabatur, barbarica præsumptione volentes accedere, & optima quæ inuenirent diripere, diuinitus incussa formidine, resilientes aufugerunt. Qui fugientes hoc modo fugam suam consolabantur, dicentes sibi dispendium venisse, quod solam & non adeò prætiosam, circa martyris D corpus micantem fabricaturam non abstulissent. *Normanni à pretioso S. Lamberti martyris sepulchro diuinitus arcentur.*

Detecto itaq; sanctuario & Sancti sepulchro, flatibus ventorum niuibus & pluuijs exposito, mirabilis virtus Omnipotentis apparebat in laude sui martyris, quod toties complutâ vndiq; imbribus terrâ, & circumquaq; niuibus opertâ, super sepulchrum eius nec pluuiæ gutta defluebat, nec crispata niuium conspersio insidebat. Mirum erat & insolitum, quod locus corporis sacri nudo aeri patens, siccum aerem suscipiebat, humidum verò respuebat. *Sepulchrum S. martyris complutâ & niuibus conspersâ circumquaq; terrâ, à niue & pluuia intactum permanet.*

Aliquando, in annuo festiuitatis eius recursu, epulante populi frequẽtia quæ gaudijs intererat solemnibus, auxit gaudium virtus martyris, dum pluribus cæcis reddita lux oculorum, multorum cæcitatem cordium illuminauit, & pluribus mutis reddita loquendi facultas, in præconijs Dei multorum ora laxauit: Multis etiam claudis reddita *Quadam festiuitate S. martyris plurima fiunt miracula.*

reddita pedum officia, pleris panderunt viam eundi ad Christum inoffenso pede cordis. A

*D. Stephanus Leodiēsis episc. opus scripsit vitam S. Lamberti martyris.*

Tempore verò præsulatus Domini Stephani, qui vitam illius eleganti narratione expoliuit, & dictionis lepore decorauit, sed & nocturnam melodiam in eius solemnitate composuit; cæca à natiuitate mulier diuinitùs per visionem admonita est, vt beati martyris monasterium adiret, & aliquid potabilis haustus sibi peteret, quo gustato, ipse haustus ad oculos eius saluberrimus ascenderet, eosque illuminaret. Credidit illa visioni, surgit, ad limina sancti martyris accedit, potum efflagitat, allatum bibit, & ilicò fugatis tenebris, lucem hactenus inexpertam accepit, omnipotenti Deo, ac sancto martyri B Lamberto gratias referens, & eorum suffragia poscens, ad propria læta remeauit.

*Mulier à natiuitate cæca, ad limina S. martyris illuminatur.*

ANNOTATIONES.

1. Processu temporis Frācone.] *De Francone & Stephano episcopis Leodiensibus, eorumque gestis, inferius suis locis dicemus.*

2. Siccum aerem suscipiebat.] *Codex aureæ vallis & Groesbekianus legunt* suspiciebat.

---

*Quid apud Louiniol ad memoriam eius contigerit.*

CAPVT XIII. C

*Louiniolum prope Louaniū vnde dictum.*

Villula quædam est Louaniensi oppido proxima, cuius etiam participans nomini, Louiniolum est appellata.

Continetur illic ecclesia, cuius præsbyter retulit multa se vidisse & audisse in eodem loco gesta Christi Domini, per merita sancti pontificis miracula, quę cum maxima ex parte exciderunt à memoria, pauca quæ mente retinere potui, strictim statui memorare.

---

*De equo in rabiem verso, & mortuo.*

D

CAPVT XIIII.

Pullus equi indomitus, cùm ad ipsius ecclesiæ parietes latera cōfricaret, statim versus in rabiem, post modicum subitò cadens, expirauit.

---

*De eo qui pedem foribus ecclesiæ eius illisit.*

CAPVT XV.

Adolescens quidam temerarius puellam opprimere gestiens, rapido cursu fugientem insequebatur: Illa pernicibus plātis insequen-

A insequentem diu fatigans iuuenem, tandem ad memoratam ecclesiam deuenit, & obseratis firmiter foribus, sese introclusit: Quam ille celeriter insequens, eisdem sacris foribus, maximo impetu, pedem furibundus impegit. Cuius protinus pes tantæ collisionis acerbitate peruasus est, vt crescente deinceps per annum sensim dolore, tandem putrefactus, à iunctura tibiæ deciderit. *Sacra loca non revereri quanti sit periculi.*

Sicque miser ille euidens omnibus spectaculum dedit, sacra loca non reuereri, quanti sit periculi.

---

B

### *De eo qui furtum vomitu prodidit,*

### CAPVT XVI.

Alius quoq; vir scelestus, vicino porcellum sublatum coxerat, & cum aliis similia secum actitare solitis, commederat: postera die, quæ dominica habebatur, populo ad ecclesiam concurrente, iste facti conscius, propinquans altari, cancellos impudenter ingreditur; fit in ecclesia proclamatio de porcelli sublatione, monetur furti conscius vt damnum restituat, sub Dei sanctiq; martyris obtestatione, dissimulante illo, iussu præsbyteri, ab astante populo fit ad Deum oratio, ne diu tantam latere sinat nequitiam. Necdum *Monetur furti conscius sub Dei sanctique martyris obtestatione vt dãnum restituat.*
C oratione finita, temerarius ille coram omnibus, absortam cum obscœno vomitu reiecit prædam. Vt amplius innotesceret furtum latens, magna suillæ carnis frusta, quæ pridie consumpta, iam poterãt esse digesta, ore eius effluxêre.

Sic turpe factum, turpi prodente nausea, funestum expellunt ab ecclesia; nec desistunt, donec fateri cogerent, vbi, vel quando, eundem porcum abegerit.

Pro huiusmodi miraculis, non parua eidem loco seruatur reuerentia, nihilq; indecens quod inultũ, circa eiusdem basilicæ ambitũ, aiunt posse contingere.

D

---

### *De contracto erecto.*

### CAPVT XVII.

Adolescentulus quidam ab annis pueritiæ claudus, genuum inflectione, & scabellorum subuectione trahebatur, cuius erat victus, fratrum reliquiæ; inter quos perreptans, & interdum singulis alludens, pro simplicitate ac debilitate patienter ferebatur, quibus etiam, in his quæ manu contingere poterat & componere, satis officiosus erat, scilicet, in ferãdis ostijs & referandis, rebus quoque aliquoties ipsius ecclesiæ custodiendis, signisq; pulsandis, solerter obsequebatur.

Cui, dum die quadam obuenisset soli cura clausuræ portarum oratorij, dum ad obdendum ostio pessulum subrigitur, subitò partim laxati nerui poplitum, eum in alta subrectum aliquandiu sustentauerunt: Iam aliquantum saluti conceptæ applaudens, dum iterum, quasi pro obserando firmius ostio, subsiliens pessulo colluctatur, ex toto laxantur nerui, & extendi iam & remitti habiles effecti, ex toto illum erexerunt. Itaque nodosis genuum flexibus solutis & extensis, stupuit innouatam in se salutem, & hoc meritis prætiosi martyris attribuit, quem solum præsentem sciebat & corpore & virtute. A

*Contractum curationem S. Martyri Lamberto merito attribuit.*

Dissimulans itaque adhuc in se factam virtutem, cum scabellis curuus repens & accliuis, vt prius, cæteris æditius occurrit, sed coram illis nil minus opinantibus, repentè subrigitur, quod paulò ante in oratorio sancti Lamberti sibi accidisse protestatur, refert etiam rei gestæ ordinem. B

Ipsi autem admirantes, Deum, sanctumque Dei martyrem laudibus efferunt, fratribus nuntiant, & sui nuntij verax testimonium, ipsum paulò ante debilem, modò sospitem, in præsentia adducunt. Congratulantur fratres illius incolumitati, & ex eo laudandi ac benedicendi Deum, sanctumque Lambertum martyrem, materiam iam sumunt, quam etiam ciuibus imponunt, vt cum vocibus Cleri, personet clamor populi.

*Scabella infirmi coram altari S. martiris appenduntur ad miraculi memoriam.*

Scabella infirmi coram altari Sancto appenduntur, ostensura longè post futuris ecclesiæ filijs, sanctum Lambertum in curandis debilibus, morbidisque sanandis, mirabili virtute pollere, & vt pateat aspicientibus, etiam corpore defunctum, virtutibus vigere. C

Et quia longum ac tædiosum est singula Sancti miracula particulariter enarrare, Dei per eum operantis potentiam vniuersaliter laudemus.

ANNOTATIONES.

Et quia longum ac tædiosum est.] *Hæc verba vsq; ad finem capitis, interpolata sunt in codice Aureæ vallis, restituimus illa ex codice Cruciferorum, vt textus Anselmi integer habeatur.* D

---

***De homine qui magnam dilectionem habens circa martyrem, qualiter in ecclesiam introductus est.***

## CAPVT XVIII.

*Ab Aegidio additum.*

QVidam vir bonus & religiosus, laicus tamen de Leodio, habebat in consuetudinem venire ad matutinas apud ecclesiam beati Lamberti, cui nocte quadam videbatur quod campanæ sonarent

A sonarent ad matutinas, quod tamen falsum erat; sed credo quod Dæmones eius bono proposito inuidentes, & eum fatigare volentes, strepitum campanarum auribus eius inimiserant, vt ita resurgeret, & ante matutinas vigilaret, vt tempore matutinarum minus vigilare posset. Qui veniens ad ostium ecclesiæ, obseratum inuenit. Similiter secundum & tertium, quia nondum hora erat surgendi. Fatigatus tandem peruenit ad porticum ante ostium ecclesiæ sanctæ Mariæ, quod est similiter ante introitum capellæ & altaris sanctæ Agathæ, & omnia obserata inuenit. *Tentatio Dæmonis.*

B Cum itaque ibi aliquantulum in orando moram faceret, visum est ei quod personam quandam honestam & reuerendam cano capite, & rasam coronam habentem, amictam pallio, egredi videret de capella illa, quæ illum manu apprehēdit, & vt sequeretur innuit, & cùm ad ostium ecclesiæ peruenissent, aperta est ilicò in eorum aduentu, ianua miraculosè, & sic vir ille in ecclesiam introducitur, vsq; ad medium: Qui cum vellet chorum intrare, persona illa clausit ostium chori, & extra chorum dimisit eundem. Tunc audiuit interius fragorem, & circa feretrum beati Lamberti sonitum, & quædam signa, per quæ intellexit, quod ipse esset beatus Lambertus, qui eum in Ecclesiam introduxerat, & ita Deum & sanctum eius glorificans, horam matutinalem expectauit. *S. Lambertus martir per visionem cui leodiensi apparet.*

C

### *De milite qui spernebat miracula Beati Lamberti.*

## CAPVT XIX.

*Ab Aegidio additum.*

Erat quidam miles de pago Hasbanio, qui solitus erat deridere facta beati Lamberti, & deridendo blasphemare. Transiuit aliquantulum temporis sine vindicta; sed cum parui penderet
D correctionem suam, quadam die iudice iusto iudicante, os blasphemum distortum est, ita quod videbatur os habere ad aures: *Dedit ista vexatio intellectum auditui.* Qui ilicò venit Leodium ad misericordiā gloriosi martyris, culpam suam coram omnibus recognoscens. Sub feretro circiter tribus diebus in precibus iacuit, & sic demum veniam obtinuit, & per beatum martyrem pristinam recepit sospitatem: & ab illo tempore deuotus & humilis circa venerationem Beati Lamberti permansit. *Esa. 28. Miles hasbanus deridens miracula S. martiris castigatur & publice culpam agnoscit. Fit deuotus S. Lamberto.*

A

## Oratio ad sanctum Lambertum.

### CAPVT XX.

*Oratio pia & erudita.*

IAm ad te noster vertatur sermo, Christi martyr inclyte, seruulorum preces ne aduerseris, obsecro.

Tu fonte euangelico maiorum rigans pectora, terram simul prætioso rigasti sanguine. Spiritus cœlum possidet, terra seruat cineres: Nos eosdem veneramur, vt peccata seruulorum tuo precatu deleas. Per eum, quo hanc ecclesiam fundasti, sanguinem, quamq; ex minima adęquasti maioribus, vt quos enutristi, oramus, pijs tuearis precibus. Nullam tuarum ouium peccati prurigine finas esse morbidã, sed & si qua mortali labe est infecta, per lamenta pœnitentiæ, tuo ouili rursus dignam esse facito. Repelle primum turgidam cum liuida filia superbiam, absit ira, absint & odia. Nullum locum in fraternis cordibus habeat discordia. Foris pugnæ, intus rixæ sopiantur. Tuo interuentu omnia sint pacata. Fugiat cum sodali gula, turpis ebrietas. Cędant inuicem pugnantia, luxus & auaritia. Cædat & libido animabus mille ferens naufragia. Obtine, quæsumus, prece tua tibi seruientibus, à Deo veram cum patientiæ benignitate, humilitatem. Charitas non ficta in nobis cum fraterna regnet concordia. Pax interior, exteriora bella rideat. Cum syncera sobrietate, adsit cibi temperantia. Caro, Dei adiutorio, castitatis edometur legibus. Pro ambitu terrenorum, appetitus veniat cœlestium. In amore præsentis sæculi, non dormitet horror iudicij. Prædonis ferrum reconde visibilis, multoq; magis hostes preme inuisibiles. Isti enim necant animas, illi, si exteriora tollant, nil agunt amplius. Neminem de grege Boemoth illius crudelissimi, sinas gutture absorberi, sed & si quem tuorum dentibus arripuerit, etiam pro tuis meritis, circumplectentis armillæ gratia, per maxillæ foramen eripiat. Ora pro defunctis fidelibus vniuersis. Ora pro viuis, ora pro sequentis æui posteris, vt simul omnes ab auditione mala liberētur in aduētu Iudicis. Amen.

*S. Lambertus ecclesiam Leodiensem minimam adæquauit maioribus.*

*Iob 40.*

B C D

### ANNOTATIONES.

*In separãdo textu Anselmi ab additionibus Aegidij Aureæ vallis, hactenus vsi sumus codice Cruciferorum, qui hic est mutilatus, desunt enim illi quatuor capita, decimum quartum, De oratione ad sanctum Lambertum: Decimum quintum, De sancto Huberto: Decimum sextum, De sancto Floriberto: Et decimum septimum inscriptum, De alijs sex episcopis. Quæ restituimus ex codicibus Alnensi & sancti Martini.*

*De sancto*

A

## *De sancto Huberto.*

## CAPVT XXI.

IAm dudum longius à suscepti operis intentione euagati sumus, petitâ veniâ, ad propositum redeamus.

Igitur, successit S. Lamberto venerabilis pater Hubertus, in ordine episcopali tricesimus. *S. Lamberto succedit B. Hubertus.*

Cuius vitam qui plenius nosce volunt, ad vitam eius, quæ virtutibus plena apud nos habetur descripta, recurrant. Sed, ne nos eum B silentio præterijsse videamur, de eo dicamus quantum scietibus non sit onerosum, nec omninò ignorantibus obscurum. *Vita S. Huberti.*

Hic, cum ossibus B. Lamberti, Leodium trāstulit sedem episcopij, quæ eatenus habebatur Traiecti. *Dicitur transferre sedem episcopij Leodium & simul ossa D. Lāberti*

Ipse primum in humili Leodio, Deo opitulante, religionis posuit fundamentum, vnam tantum ecclesiam ordinando, eandemque pro temporis oportunitate, fabricis, & cæteris insignibus adornando. *Leodij ponit prima fundamēta religiōis.*

Ius ciuile Oppidanis tribuit, vitam & mores ipsorum disciplinæ frænó composuit. *Ius ciuile tribuit oppidanis,*

C Libram panis, libram vini, modiumque, quæ nobiscum perseuerant vsque hodie, sapienter instituit. *libram panis, vini, modiū q; instituit.*

Tandem, multis virtutibus plenus, in senectute bona migrans ad Dominum, à semet dictatam, in ecclesia quæ nunc est Apostolorum principis, apud nos accepit sepulturam.

In qua, cum post septuaginta annos, corpore iam resurrectionis futuræ gloriâ demutato inueniretur, obtentu Lodouici filij Caroli Magni, in pagum Arduennam est translatus, ibique ex satis amplis reditibus fidelium deuotione oblatis, proprium illi est conditum monasterium.

D

## *Qualiter per baculum pastoralem B. Lamberti Romæ cognita sit mors eius, & de ordinatione S. Huberti.*

## CAPVT XXI.

*Ab Aegidio additum.*

IAm longius à suscepti operis intentione euagati sumus: ad propositum deinceps redeamus.

Interea, successit S. Lamberto venerabilis pater Hubertus, in ordine episcopali tricesimus: qui per omnia beati Lamberti Pontificis & Deo digni futuri martyris vsus consilio, Romam profectus fuerat, triumphalia Apostolorum visitare limina, vt feruorem religionis & contemptū mundi, quem hortatu dilecti magistri cōceperat, per eorum merita ad effectū perduceret; seq; Sedis præsulis orationibus com- *S. Hubertus succedit S. Lāberto. Vtitur per omnia consilio. S. Lamberti.*

*Proficiscitur Romam tempore Sergij pontificis.*

commendaret. Quem qualiter beatæ memoriæ Sergius Papa, qui vitæ merito Romanæ ecclesiæ sacerdotiũ adornabat, exceperit, eiq; per angelicam visionem, mortem ipsius martyris Lamberti Romæ reuelauerit, Deo annuente, breuiter explicemus. A

Siquidem ipse summus Pontifex, post matutinarũ solẽnia, vigilijs & orationibus fatigatus, modicum somno fragilibus membris indulgens, circa ipsius diei obdormierat auroram, qua sacerdos Christi Lambertus, propter veritatis & castitatis defensionem & testimonium, per manum scelerati Dodonis, consequutus est martyriũ. Et ecce, Angelus Domini cęlesti lumine conspicuus ei in visione assistens: Diligenter (inquit) Frater, his quæ tibi à Dño per me manifestantur intende, & fidem verbis adhibe, & quod præcipitur, studiosius exequere. Lambertus Tungrorum Episcopus, hac ipsa hora intra sanctuariũ Domini ab impijs est pro pietate immolatus: Et quia in terris martyrũ Christi imitari studuit fidem & constantiam, eorũ in cœlesti curia consortium obtinere meruit & gloriam. En, eius pastoralem baculum, in quo gregem sibi creditum vigilanter rexit & pauit, à loco passionis eius tibi subitò translatum suscipe. Et visus est ei baculum porrexisse, dicens: in hoc substitues ad regimen Tungrensis Ecclesiæ, tali viro dignum hæredem & successorem, ipsius Lamberti doctrina & moribus institutum, à Deo in sacerdotem iam electum, Hubertum nomine, quem ad Apostolorum limina hodie venientem, his & his signis inter alios, poteris cognoscere. B C

*Sergius pontifex edocetur diuinitus de nece & morte S. Lamberti.*

*Angelus deponit baculum pastoralem S. Lamberti apud Sergium pontificem.*

Statimq; euigilans Papa, cum de visione adhuc hæsitaret, inuenit iuxta se repositum, sicut in visione ab angelo acceperat, beati Lamberti baculum pastoralem, quem cum timore & admiratione maxima suscipiens, & oculis perlustrans, non iam inanem & phantasticam, sed plenam fide & certè diuinam esse visionẽ, intellexit, Quid viderit, audierit, quod signum acceperit, ex ordine aperuit.

*Sergius pontifex recognoscit S. Hubertum & traditione baculi pastoralis eum successorem S. Lamberti constituit. Vnde Aegidius baufit hanc miraculosam S. Huberti electionem.*

Facta itaq; oratione, & immolatã laudis hostiã, ad exequendum visionis præceptum, circa limina Apostolorum, studiosus aduenientium perscrutator consedit; Et forte, memorabilis vir Hubertus, finito longo peregrinationis suæ labore, eadem nocte, in proximo vrbi vico, mansionem acceperat. Qualiter autem à Papa Sergio eodẽ die agnitus, & de nece dilecti magistri sui Lamberti per signum baculi eius certior factus sit, si quis plenius scire desiderat, libellum illũ relegat, quem à viris fidelibus æditum de vita & conuersatione ipsius præclari comitis Huberti ante episcopatum, à plerisq; apud nos & haberi & legi, non est dubium. D

*D. Ionas Episcopus familiaris S. Huberto vitam eius & miracula descripsit.*

Sed & de vita & miraculis, quæ in Episcopatu gessit, quæ quidem ex libro Domini Ionæ Episcopi, qui inter cæteros familiari ei contubernio adhæsit, decerpens, meo opusculo hic aliquid retexere curaui.

Igitur venerandus præsul Hubertus à Romana vrbe cum baculo pontificali beati Lamberti rediens, à Clero & populo Traiectensi honorifice

A honorificè suscipitur, & in cathedra pontificali intronizatur. Sciẽs namque aliam legem esse subditorum aliamque prelatorum, scilicet, vt subditus quisq; curet ne pereat, neuè sui exẽplo alios perdat: prælatus autem, vt non solum superintendat suæ, sed & Iudex prouisorũ cogatur vitæ fieri alienæ: Non ei sufficiebant ea quæ sibi olim sectanda proposuerat, sed in altiora tendens, magnoperè studebat antiquorum patrum sectari vestigia.

*S. Hubertus rediens ab vrbe cum baculo põtificali S. Lamberti à clero & populo honorificè suscipitur. Alia lex prelatorum, alia subditorum.*

Erat namq; largus erga indigentiam inopum, refocillator pauperum, & secundum scripturam, pater orphanorum, & pro viro matribus eorum. Oppressis adminiculabatur, inopum miserebatur, suaq; pro Domino relinquentibus, pio affectu patrocinabatur: Tri-B bulationem patientibus, strẽnuus consolator aderat, & carcere præclusis, nec non & diuersarum pœnarum subactis, eius visitatio atq; subministratio non deerat. Sed & quocumq; ferre pedem libuisset, in manu illius eleemosina desudabat, quousq; pauper occurreret, cui eam, tanquam Christo, commendaret.

*Virtutes S. Huberti. Psalm. 67.*

*Quocumq; pedem ferret, eleemosina in manu eius desudabat.*

Nec satis erat viro beato talibus actantis virtutum insignibus clarere, sed reminiscens perfectionis decessoris sui, ardebat cupiditate martyrij, minus se deputans habere perfectionis, qui nondum pro Domino morti tradidisset etiam officia corporis.

*Ardet cupiditate martyrij.*

ANNOTATIONES.

1. *Scripsit vitam S. Huberti quidam eius familiaris discipulus, vt enim passim in-*C *dicat, interfuit ipse ijs penè omnibus quæ scribit. Habes illam ex antiquis M. S. codicibus impressam apud Surium tom. 6. Ex qua auctores nostri, Anselmus & Aegidius, sua penè de verbo ad verbum descripserunt.*

2. *Ionas scripsit historiam translationis S. Huberti in Andainum (qui locus hodie ad S. Hubertum in Arduenna vocatur) quæ facta fuit per Vulcandum episcopum Leodiensem, anno Domini 825. 11. calendas Octobris: de qua suo loco dicemus.*

*Martyrologium ecclesiæ S. Huberti in Arduenna, paucu multa de hoc sancto cõplectitur:* Andaino monasterio, *inquit*, natale beatissimi Huberti Tungrensis ecclesiæ pontificis & confessoris. Qui B. Lamberto martyri in episcopatu succedens, anno duodecimo suæ ordinationis, diuino D oraculo admonitus, sacra ossa eiusdem martyris, sedemq; episcopatus à Traiecto Leodium, vbi passus fuerat, transtulit. Deinde, multis accrescens virtutibus, multos de idololatria ad Christi fidem conuertit, plures dæmoniacos viuens, plurimos post decessum suum liberauit, & post gloriosa miraculorum insignia, tandem sicut in somnis viderat, in mansione cœlesti à Dño susceptus est. Transijt autem idem pretiosus Dñi Põtifex & egregius athleta, tertio nonas Nouẽb. sepultus in ecclesia B. Petri Apostolorũ principis, iuxta altare S. Albini. Nonagesimo verò anno trãslatus est ad Andainũ à Vulcando B. memoriæ Leodiẽsi episcopo, annuente Lodouico Imperatore pijssimo. Vbi, quid viuẽs eius spiritus gesserit, virtutibus innumeris & gloriosis prodigijs, necnõn miraculis assiduis, vsque hodie ad laudem & gloriã Dñi, mirabiliter attestatur. *Hactenus ecclesiæ S. Huberti martyrologiũ.*

*3. Depositio S. Huberti, festo die, celebratur à Clero & populo per diœcesim Leodiensem die 3. Nouembris.* A

4. Venatores (*inquit Molanus in natalibus SS. Belgij*) S. Hubertum, vt patronum inuocant, satis notis de caussis, multa enim beneficia circa venationes & morsus canum præstare solet.

5. *Sunt qui scribunt beatum Hubertum filium fuisse Bertrandi Ducis Aquitaniæ, & ei adhuc pagano venationi operam danti, inter cerui cornua Christum apparuisse, & vt ad Lambertum episcopum iret, admonuisse, ab eo verò humaniter acceptum, in fide instructum, atq; vndis salutaribus expiatum esse, tantumq; sub eo profecisse, vt eius diuinitùs successor sit constitutus. Est notatio Surij ad calcem vitæ D. Huberti Tom. 6.*

6. Quem qualiter beatæ memoriæ Sergius Papa.] *B. Lamberti mortem per visionem Angelicam reuelatam fuisse Sergio Papæ, astruit Nicolaus ca. 17. vitæ S. Lamberti* B

7. Ex libro Domini Ionæ episcopi, qui inter cæteros ei familiari cõtubernio adhæsit.] *Errat hic noster Aegidius, nam hic Ionas scripsit translationem S. Huberti in Andainum, quæ facta fuit tempore Vulcandi, qui vixit post sanctum Hubertum centum circiter annis.*

---

## *Qualiter corpus sancti Lamberti apud Leodium transtulerit.* C

## CAPVT XXII.

*Ab Aegidio additum.*

*S. Hubertus diuinitus admonetur, vt corpus S. Lãberti è Traiecto Leodium trãsferat*

*Honorantur reliquiæ S. Lãberti.*

*Corpus S. Lamberti longo tẽpore incorruptum.*

*S. Hubertus transfert corpus S. Lãberti è Traiecto Leodiũ anno suæ ordinationis tertiodecimo.*

ANno autem ordinationis eius duodecimo, crebras sibi prodidit perlatas sub noctis quiete visiones, quibus se commonitũ fatebatur, vti à Traiectensi oppido, ossa S. Lamberti leuaret, & in locum quo celebratam passionem eius noscet, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio eius animum inæstimabili recreauit gaudio. Attamen in quodam meditullio positus, cum neq; visioni certam fidem tribueret, neq; omnimodis ei diffideret, quod sibi erat occultum, indicto ieiunio Clericis & laicis, iudicauit à Domino quærendum: tandemq; edoctus à Domino, summotâ sententiâ, tertio decimo anno sui præsulatus, cœtu Clericorum sibi adiuncto, nec non populari agmine sibi coacto, accitis etiam venerabilibus Episcopis & sacerdotibus, tumulum venerandi viri adijt, ibidemq; spirituales obseruantes excubias, diuinitatemque pulsantes precibus, honorantes laudibus, cum maxima veneratione sepulchrum, in quo sanctissimum corpus conditum seruabatur, adeuntes, absq; aliqua difficultate illud aperientes, corpus beati Lamberti incorruptum, ex loculo protulêre, & cum magno gaudio, qua venerant pedem referentes, in loco quo passus est, terræ mandauêre. D

Quantis

Quantis autem qualibusue miraculis suum velle Dominus in tali facto per omne iter reuersionis eorum commendaret, scedula gestorum eiusdem sancti Pontificis annotata continet. Fabrica autem eiusdem basilicæ, qua beati viri Lamberti conditæ sunt reliquiæ, qualiter à beato viro sancto Huberto ordinata sit, quia oculis videntium se offert, de ea aliquid dicere supersedi.

*Fabrica ecclesiæ S. Lamberti per S. Hubertum ordinata.*

ANNOTATIONES.

ᵃ Crebras sibi prodidit perlatas sub noctis quiete. ] *Testatur familiaris qui eius vitam descripsit, & refert Sigebertus in chronographia anno Domini 710.* Sanctus Hubertus, *inquit*, cœlitus admonitus, corpus sancti Lamberti à Traiecto Leodium, cum magna miraculorũ gloria refert, sedemq; episcopalem in eandem vrbem transfert.

*De muliere sanata à dolore manuum, & de inundatione aquæ, quæ eius precibus, cum operi cuidam instaret, excitata fuit.*

## CAPVT XXIII.

*Ab Aegidio additum.*

INterea, famulus Domini Hubertus curam gregis gerens, parochiamq; suam circuiens, in villam cui Wyock vocabulum est, deuenit. Erat autem in eadem villa quædam mulier, quæ posthabitâ dominici diei reuerentiâ, panifico, quanquam iussu deseruiret ministerio: manus illæ quæ sacram solemnitatem ob sui insolentiã temerare tentauerant, subitò obriguêre, arescentibusque à sanguinis humectatione venis, ac neruis siccitate contractis, adeò stupidæ sunt redditæ, vt vngues eius palmis ambabus viderentur infixi. Quæ tanta necessitate astricta, vnum solummodo restare remedium credidit, vt virum Dei adiens, cuiusmodi vrgeretur necessitate, exponeret, atque eas quas sibi temeritas abstulerat, per eius orationem sibi reddi manus flagitaret. Neque spes eam fefellit: Nam exeunti viro Dei ab ecclesia, obuia mulier ad pedes proruit, quæ eam vrgeret necessitas, exposuit, subsidiumque quo ab eo posset erui, postulauit. Cui vir domini: Vade, inquit, & deinceps à tali præsumptione abstineto, & emendationem tuam sanitas consequetur. Cuius promissionem non Dominus in longum distulit, sed statim opere compleuit: Nam manus illius dudum pallido perfusæ colore, in genuinum sunt reuocatæ repentè, siccitasque repentina sospitati cessit, & accepta sanitate pristina, Creatori omnium benedixit, atque Dei famulo pro se oranti gratias reddidit.

*Visitat Dyœcesim suam.*

*Mulier diei Dominicæ solennitatem non seruans à Deo punitur.*

*Sanatur miraculosè per sanctum Hubertũ.*

Huic mirando operi successit aliud veterrimis Helyæ atque Hely- *3. Regum 17.*

 sei

sei conferendum. Nam cùm operi cuidam in vico Gabelio instaret, A
atque siccitate sui fluuius Mosa cursum nauibus denegaret, vtpotè, tempore autumni instante, quo permaximè solent fluuiales aquæ detrimenta sentire, difficultate sibi operis cœpti nuntiata, primò paululum mœroris concepit, sed deinceps in omnipotentia diuina confisus, discipulis ait: nostisne quisnam ille fuerit, qui tribus semis annis clausos cœlos verbo aperuit, aridumque aerem humectauerit, ac terram, diu negata prole, fœcundauerit? Tunc vnus discipulorum se bene nosce respondit, Heliamque id fecisse confessus est. Ait vir Dei: Equidem ipsum Deum & nos colimus, ipsiusque virtus, quæ in veteribus potentialiter emicuit, nequaquam in nostro tempore, vetustate aut impotentia emarcuit: Ideoque ieiunio & orationibus nos eius omnipotētiam pulsemus, & eius misericordiæ, quæ sibi fuerint visa de his agenda, relinquamus. Igitur mox vt poplitibus curuatis orationem fudit, cœli serenitas tetra caligine obducitur, coactoque in nubes aëre, sensim cœpit demitti. Post verò, paulatim, & per incrementa gliscendo, in tantam nimborum excreuit magnitudinem, quoad vsque fluuius, qui dudum, etiā bidentibus transmeabilis erat, ripas aluei sui ad summum vsque compleret, voluntatique serui Dei adeò famulatum præberet, vt opus quod cœperat, absque vllius rei difficultate, lætus perficeret.

*4. Reg. 7. Ecclesiast. 48.*

*3. Reg. 15.*

*Eadem semper Dei potentia.*

B

### ANNOTATIONES. C

1. *Vtrumq́; miraculum hausit Aegidius ex vita D. Huberti per familiarem eius descripta.*

2. Wyock vocabulum est. ] *In vita S. Huberti legitur* Viuoch.

---

## *De muliere à Dæmonio sanata.*

## CAPVT XXIIII.

*Ab Aegidio additum.* D

ALio itidem tempore, cùm rogationes celebrarentur, gloriosus Domini Pontifex Hubertus, iuxta consuetudinem suæ ecclesiæ, per oppida & castella cœpit euangelium Domini in cordibus audientium seminare, veniensq; Traiectū, iuxta consuetudinem cum Clericis populiq; agmine, & Sanctorum pijs reliquijs, ab oppido egreditur, peragraturus cum precibus agros, vt dominū tantò precaretur ambitiosius, quantò id faceret humilius. Cùm igitur solito verbum Domini annunciaret, Diabolus prædicationi eius inuidens, in mulierem quandam ingressus est, quæ magnis vocibus cœpit perstrepere, & silentium quo verbum Dei audiebatur, sui importunitate clamoris perturbare. Hac itaq; vociferatione vir Dei audita

*S. Hubertus per oppida & castella prædicat verbum Dei.*

*Rogationes cū delatione sacrarum reliquiarum per agros.*

*Diabolus prædicationi verbi Dei inuidet.*

A audita & cognita, ad se quidem decurrenti, primò signum crucis obiecit, deinde alapam ei impressit atq; silentium imposuit; statimque mulier in terram corruit, ita vt crederetur exanimis. Sed cùm diutius iaceret, ab ore eius quædam sanies profluxit, atq; post hoc, Dæmone caruit. *Vi signi crucis*

Abinde autem famulo Domini discedente, & in villam cui Harmalia nomen est, adueniente, cùm iam solis iubar terras desereret, atq; sui decessu vmbris tellurem obduceret, artus diuturno labore defessos voluit releuare lectulo superpositos, cùm ecce quidam eius puerorum à foribus veniens, nuntiauit cœli faciem à solito mutatã, ignearum acierum rubore perfusam. Quod ille audiens, intima do- B muslinquit, aciesq; illas diu considerauit, & alta suspiria trahens, dixit: En signis euidentibus ruinam mundi iam iamq; imminere, elementa testantur, dieiq; extremi examinis, ea etiam quæ voce carent, proloquuntur. O beatũ illum, quem tantum examen non reperit imparatum, & qui conscientia se defendente, securus operietur illum vltimum maximumq; conuentum. *S. Hubertus respicit acies igneas in aere & in contemplationẽ futuri iudicij prorũpit.*

ANNOTATIONES.

1. *Desumpsit hoc miraculum Aegidius ex vita S. Huberti, de qua supra.*
2. Cui Harmalia nomen est.] *In vita D. Huberti legitur* Hannala.

C

---

## *Qualiter se igni opppofuit.*

## CAPVT XXV.

*Ab Aegidio additum.*

His dictis, alij adsunt nuntij, qui dicerent domum illius incendio conflagrare. Quo audito, vir Domini concitè illuc pergit, obicem se igni intrepidus, dicendo opposuit: Si diuinæ volũtatis est, vt hoc cremandus occumbam incendio, in potestate eius, D cui nemo mortalium resistere potest, fore non ambigo: eleuatisq; manibus signum crucis iniecit, Deumq; adiutorem sibi futurum inuocauit, canendo: *Deus in adiutorium meum intende*, & reliqua: Mirumq; in modum ignis ille permaximus, qui aduenienti Sacerdoti aditum ostij, flammas vomendo, negauerat, repentè eius suffragantibus meritis, vires perdidit, subitoque in soporem conuersus, nil detrimenti aut læsionis eidem ædi reliquit. Tunc vir Domini addidit: Cernitis (inquit) quòd inuidus ille totius bonitatis, qui hodie auditorio nostro perturbationem excitauit, nunc nos nec paulisper quieti indulgere sinit? His dictis, officium completorij cecinerunt, cubitumq; secesserunt. *Obijcit incẽdio signum crucis, & extinguit illud.*

ANNOTATIONES. A

1. *Sumpsit quoq; hoc miraculum auctor noster ex vita B. Huberti.*

2. Subitoque in soporem conuersus. ] *Ita legunt codices Aurea vallis & Groesbekanus, necnon codex M.S. quem sequitur Surius in vita D. Huberti: fortè legendum* vaporem.

---

## *Qualiter dum labori insisteret, manus eius graui ictu læsa est, & de liberatione discipuli à naufragio.*

B

## CAPVT XXVI.

*Ab Aegidio additum.*

POst hæc, cum opus Apostolis familiare, id est, capturam pisciū, in prædio quodam Niuella cognominato construeret, & ipse eidem operi instaret, sudesq; cum magna vi, vtpotè silicum densitate, & duritia infigerentur, vir Domini ad momentum, super vnam earum manu superposita, sustentari voluit: Vnus autem famulorum toto nisu ictum eidem stipiti iam librauerat, cuius impetum retinere non valens, manu illius illisit, digitosq; confregit, taliq; læsura suscepta, domum sub celeritate rediit.

*S. Hubertus læditur à famulo.*

In crastinum verò, eidem operi curam discipulis impendere, atq; instare præcepit. Cuius dicto parentes, conscensa naui adnauigauerunt, easdem fixuri sudes. Sed paululum à terra secretis, mox venti violentia nymborumq; procella sese obuiam tulit, valideq; nauem sui impetus violentiâ contorsit, intimoq; gurgiti demersit, omnesq; qui in eadem aduecti fuerant naui, ilicò profunditas pelagi miserabiliter absorbuit. Sed pius Sacerdos eorum periculum naufragij audiens, ægrè tulit, suspirijs ingemuit, lachrymis oculos atque ora rigauit, dominumque his vocibus exorauit: Tu Domine Iesu Christe cui calcanti mare sicca dorsa præbuit, æstumq; suum tuo verbo coercuit, nimbus etiam fremens tumorem deposuit, atq; spiritus violētia tui oris imperio cessit, quæso, succurre famulis tuis naufragia patientibus, soluanturque tuâ potentiâ, quos iam iamque absorbuēre procellosa discrimina. C D

*Discipuli sancti Huberti patiuntur naufragium.*

*Liberātur eius oratione. Math. 8. Mar. 4. Luc. 8. Ioann. 6.*

Discipulo quoq; suo, qui hæc scripsit, in eodem naufragio tale aliquid accidit, cum eiusdem periculi particeps sub aquarum mole pressus, huc illucque aquæ violentiâ volueretur, pars tunicæ suæ palo cuidam inhæsit, libertatemq; exeundi bis terq; conanti denegauit, subitoq; ad semetipsum conuersus, dixit: Succurrat mihi, quæso, per intercessionem patris nostri Huberti virtus tua, cuius manus formauit mare & aridam. Hisq; dictis ab impactione illa est solutus, & cum omnibus condiscipulis suis, à profunditate pelagi liberatus, atq; luci redditus.

*Discipulus S. Huberi qui hæc scripsit, etiam liberatus*

*Gen. 1.*

Sacerdos

A Sacerdos interea Domini, grauiter accepti vulneris doloribus cruciabatur, ita vt nec somni quiddã dolore instanti percipere permitteretur, tribusq; mensibus, ex digitis eius tabo fluente, acerrimo cruciatu vexabatur, nec tamen dolor acerrimus quicquam eius impediebat intentionem, sed magis magisque in laudibus Dei, atq; psalmorum sese occupabat decantatione, illum pœnitentiæ psalmũ crebris iterationibus, lachrymosisq; rugitibus humiliter canendo; *Miserere* (inquiens) *mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

*S. Hubertus vehementer cruciatus nihil de oratione remittit.*

*Psalm. 50.*

### ANNOTATIONES.

1. *Et hoc totum caput descriptum est ex vita S. Huberti.*

B 2. Discipuloque suo qui hæc scripsit. ] *Sunt verba discipuli S. Huberti: Sic enim ille in vita à se descripta loquitur.* Mihi quoque qui hæc scripsi, in eodem naufragio tale quid accidit, cùm eiusdem periculi particeps, sub aquarum mole pressus, huc illucque violentiã voluerer, *& quæ sequuntur.*

---

## *Qualiter ibi sedem episcopij posuerit.*

C

## CAPVT XXVII.

*Ab Aegidio additum.*

SEd, ne eum silentio præterijsse penitus videamur, ipse est, qui ab oppido Traiectensi transuexit Leodium sedem episcopij. Illic primum religionis iecit fundamentum, vnam in honore S. Petri Apostoli ordinans Ecclesiam, & eam pro temporis oportunitate, ædificijs, cæterisq; necessarijs rebus ordinans. Iura legalia ciuibus tradidit, mores eorum & vitam disciplinæ fræno coercuit, mensuras & pondera victualium instituit. Multis tandem refertus virtutibus, senectute sancta confectus, migrationem suam ad Dominum intellexit hoc modo.

*S. Hubertus ab oppido Traiectensi transfert sedem episcopalem Leodium. Iecit Leodij fundamenta religionis. Aedificat ecclesiam S. Petri. Tradit ciuibus iura legalia. Instituit mensuras & pondera victualiũ*

D

### ANNOTATIONES.

1. Ab oppido Traiectensi transuexit Leodium sedem episcopij. ] *An sedes Traiecti aliquando fuerit, merito dubitari potest. De hoc vide quæ habet Nicolaus in vita S. Lamberti c. 4.*

2. Iura legalia ciuibus tradidit. ] *De his eleganter scribit Liuinus Brechtus.*

Martyrio illustris Doctor, niueoque pudore
Lambertus, populo Leodinæ præsidet vrbi.
Cuius non multo post tempore, prima locauit
Mœnia, translatis chari cum sede magistri
Ossibus Hubertus: vicoque ex paupere claram
Reddidit, instituens mensuras, pondera, leges:

Francorum

Francorum poſtquam vindex, equitumque magiſter A
Carolus, Alpaidis proles generoſa, paternis
Dignus auis, quem Martellum cognomine dicunt,
Illectus pietate viri, ingenioque ſagaci,
Huberto imperium terræ, & ius contulit omne.

*Suſpicatur Molanus, Martellum donationem hanc feciſſe eccleſia B. Lamberti in expiationem fœdiſsimi delicti parentum ipſius. Vide illum in natalibus SS. ad diem 17. Septembris.*

3. *Chronica pleraq; omnia noſtratia, dicunt Hubertum dediſſe vrbi Leodinæ ſigillum publicum, martyris Lamberti imagine conſpicuum, cum inſcriptione:* Sancta Legia Romanæ Eccleſiæ filia. B

---

## *Viſio quæ ei demonſtrata eſt.*

## CAPVT XVIII.

### *Ab Aegidio additum.*

VNa autem noctium, dum tribulationis magnitudine preſſus, in ſoporem membra ſoluiſſet, quidam ei cœlitus nuntius aſtitiſſe, & talia protuliſſe viſus eſt: *In tribulatione inuocaſti me & liberaui te, & exaudiui te*: ſimul hæc dicendo, oſtendit illi aulam pergrandem, nouitate atq; pulchritudine præſtantem, & ait: Multis equidem māſionibus pollet domus patris mei, è quibus domus iſta, eſt electa tuæ habitationi, vt cedat tibi perpetua hæreditate. C

*Pſalm. 17.* *Ioan. 14.*

Exceſſum verò eius in hæc verba prædixit: Poſt anni vertentis circulum, ſoluam tribulationis tuæ vinculum, *Eripiam te & glorificabis me.* Hoc vir Domini oraculo percepto, alta mentis indagatione, conſiderabat viſionis magnitudinem, vimq; dictorum. Sed tempus & horam ſollicitè corde notabat, quo ſibi hæc delata ſuſceperat. Viſionem autem eandem quibuſdam diſcipulorum ſuorum, tunc temporis enarrare curauit. Sui verò non immemor, quò propinquiorem ſui cognouit reſolutionem, eò ſe ſeruituti diuinæ reddidit promptiorem, inſtabatq; in orationibus attentius, in ieiunijs enixius, in eleemoſinis profuſius, per ſpatium totius anni ſibi prænunciati. D

*Prænunciatur moriturus ante decurſum anni.* *Pſalm. 90.* *Quo propinquiorem ſui agnoſcit reſolutionem eo ſe ſeruituti diuinæ reddit promptiorem.*

### ANNOTATIONES.

*Viſionem hanc refert familiaris ille qui vitam S. Huberti deſcripſit.*

*De morte*

A

## *De morte ipsius.*

## CAPVT XXIX.

*Ab Aegidio additum.*

IGitur, cum sciret imminere tempus quo anima eius ergastulo carnis resoluenda foret, discurrens per memorias Sanctorum, & loca orationum, per intercessionem eorum, Domino commendabat suam resolutionem. Nam veniens ante sepulchrum beati Lamberti B in basilicam quam ipse condiderat, & ossa terræ inibi mandauerat, orationi diutissimè incubuit, solitoq; fonte lachrymarum genas rigauit, aramq; deosculans, fratribus contristantibus, semet humiliter commendauit, progrediensq; inde, basilicam quam ipse sub honore B. Petri principis Apostolorum Domino dedicauerat, oraturus adijt. Inde etiam ante altare, quod in honore B. Albini in eadem basilica Dño consecrauerat, diutius curuatis genibus, orationem profudit: moxque ab oratione surgens, dixit: *In memoria æterna erit iustus*, & reliqua: conuersusq; ad parietem, & protensis per eum brachijs, locum sepulchri sui permensus, ait: Hic defossa humo, locus sepulturæ meæ paretur: nam istud corpus miserrimum istic collocari disposui, precorq;, vt meæ migrationi, vestris precibus adminiculemini, C instat enim tempus, quo hæc torpẽtia membra spiritus relinquat, iudiciq; suo præsentandus occurrat.

*Quæ curriculo anni vitæ vltimi egerit.*

*Visitat ecclesiã S. Lamberti & orationi diutissime incũbit*

*Visitat basilicã S. Petri, & in ea altare S. Albini à se consecratum.*

*Psalm. 111.*

*Designat locũ suæ sepulturæ iuxta altare S. Albinĩ.*

Non multum igitur temporis interfluxit, quo id iuxta quod vir Dei super sepulturæ suæ celebratione, more præsago, actitandum fore disposuerat, fidelissimi ac deuotissimi eius famuli exequuti sũt, quoniam tricesimo dierũ spatio euoluto, spiritu eius in astra ab Angelis fœliciter euecto, sacrum corpus illius, ad eundem tumulãdum aduexerunt locum.

*Die tricesimo, à designato loco sepulturæ, moritur.*

Per idem verò tempus, licet vocationi suæ haud procul vicinus, D rogatu tamen quorundam illustrium virorum, Brabãtum perrexit, basilicam nouo opere constructam dedicaturus.

*Proficiscitur in Brabantum cõsecraturus nouam basilicam*

Cumq; quò precabatur, vtpote, nomen laudemq; Dñi propagaturus, lætabundus aduenisset, & domum illam sicut petebatur, sanctificaturus esset, discipulorũ quidam officio præpositus, eius voluntatem atq; possibilitatem requirere studuit, dicendo: Visne, pater, lõgè protrahi officij moras, anne succingi? At ille, cuius cor perfectionem desiderabat: nihil (inquit) remaneat perfectionis, quin prout vales, & morosè, & cum integritate, cuncta compleantur.

Cœpto ergò officio insistens, adiunctis sibi præsbyteris, diaconisq;, necnon omni ecclesiæ gradu, cum magno illud honore & reuerẽtia, sicuti & reuera idem officiũ postulat, ad finem vsq; perduxit, domũq; illam, tàm in hostiarũ oblatione, quàm & sacerdotali benedictione,

*Cum magna solennitate cõsecrat ecclesiam.*

*Ceremoniæ adhibitæ in consecratione ecclesiæ.*

T necnon

nec non incensi super aram thurificatione, acceptabilem Domino prorsus reddidit, explicitoq; officio, ad prandendum, se cum socijs suis & discipulis vertit. A

*Assidet mensæ, epulas benedicit, nec prãdet.*

Ingressus conuiuij domum, oratione super mensam fusa, epulas benedixit, eulogiasq; omnibus dedit. Ipse autem ad prandendum, quasi pransurus discubuit, sed cibo quidem carnali paululum indulsit. Cùm verò pranderetur, oculis creberrimè ad astra subrectis, Superorum, Inferorumq; Creatorem, tàm animi intentione, quàm verborum prosecutione assiduè benedicere studuit.

*Oculis in cælũ eleuatis, benedicit Creatorẽ.*

Interea, die in vesperam vergente, vir Dominià mensa surrexit, cùm ecce, vnus Anachoritarum, duodecim in eodem habitu iam habens annos, suggerendum ei arbitratus est, vt paululum adhuc mero indulgeret. Sed ipse his illius precibus renitens, respondit: In regno Dei te videre merear: Scito verò certissimè, nequaquam hodie me amplius hîc potui indulturum. His dictis, nauem ascendit, ab eodẽq; loco, secundo miliario secedit. B

*Corpus eius frigore corripitur, & sitis ardore valide aduritur.*

Exeunte autẽ eo de naui, protinus omne corpus eius frigore corripitur, & sitis ardore valide aduritur, & quiesciturо lectulus, loco delecto aptatur.

Sed dum altus sopor fessos illius irrigat artus, inter eius pueros repentè inexorabilis se discordia ingerit, ita vt ensibus districtis, alterutrum quisq; mortem peteret, & qui citius posset comparis sui animam ereptam Superis, dimittere gauderet inferis. Sed hisce perturbationibus, viro Domini sopore soluto, protinus facessit omne litigium, ibidemq; equo conscenso, & vsus clientum sustentatione, tandem domui propriæ inducitur, noctis transacta non minima parte. C

*A prima feria vsque ad sextã febre aduritur, nec somnũ capit.*

*Solatur se decãtatiõe psalterij*

Quo perueniens, consuetis orationum ferculis, lachrymarumq; poculis reficitur, sanctiq; altaris cornua deosculatur, & nimia pressus ægritudine, lectulo superimponitur, sicq; à prima feria vsq; ad sextam, eius febre augmenta capiente, inexpers somni, solummodò semet solabatur decantatione psalterij. Sed cum infusus corpori dolor nullo fine coërceretur, Sacerdos Domini secundum Apostolum, quò amplius infirmabatur, eò fortior reddebatur, & quò citiùs se videbat lucem mortalium relicturum, eò indefessiùs à Domino poscebat auxilium, vt scilicet citiùs ærumnis præsentis vitæ exemptus, interesse mereretur angelicis ciuibus. D

*2. Cor. 12.*

*Diabolus minaus intentas, belluinis increpant illum vocibus.*

Quadam autem nocte, cum eum flagellorum ardor adureret, subitò inimica generi humano fraus Diaboli adfuit, minasque & figuras sibi competentes prætendit, & pueris illius dormientibus, vocibus beluinis frequenter increpuit. Sed athleta Domini huic non paruam terentem obiecit, nec contum vibrauit, spiculumue contorsit, sed psalmi vnius decantatione, versutiam eius perculit.. Cantabat enim: *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, & reliqua.

*Psalm. 90.*

Tunc puerorum quendam aduocans, noctis horam requisiuit, & quia

A quia media nox esset, audiuit, atq; adiecit: O vtinam tanta mora noctis iam subduceretur, & lux diurna nostris oblata conspectibus reueheretur. His etiam adiecit: Nec dubites in hac domo Sathanæ adesse præsentiam, qui humani exitus auidus, diuini operis semper se insidiatorem ac persecutorē assiduis probat incursibus. Cui puer: O (inquit) pastorum optime, quorsum ista prosequeris, cum certū sit eum tuæ virtuti obuiare non posse, nosq; eius ab omni incursione tui præsentiâ ereptos & saluatos, insuper & multos eorum tartareis vocibus eiulantes, coram te adductos, tuamq; præsentiam ferre non valentes, pro tuis sanctis meritis ex diu obsessis corporibus abstractos, & caligini æternæ damnatos? Et licet sua subtilissima ac B sagacissima calliditate vsus, aliquid tuæ Deo amabili innocentiæ, impugnationis ingerere conatus fuerit, in te tamen, fidente in illum qui dixit: *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, nihil prorsus sui iuris inuenit. Cui venerandus Pontifex: Hæc (inquit) optime locutus es, quoniam quæ corde optabas, sermonis officio prosecutus es. *Ioan. 14.*

Cæterum, iam nunc vade, aquaq; sacerdotali consecratione, sale admixto benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam orationum virtute imprægnata, liuorq; oliui itidem apostolica auctoritate benedictus, huc deferantur, quorum spargine atq; litura, mox ita effugabuntur hinc inimici phantasmata, vt amplius non audeant inferre machinamenta. *Aqua benedicta, & liquor olivi benedictus fugat omnia inimici phantasmata.*

C Quo peracto, ipse consueto orationum operi constanter insistebat, sacrumq; officium septeno numero dicatum, antequam lux diurna fieret, Domino persoluebat. Iamque se aurora diei, sextâ feriâ, paululum decrescentibus furuæ noctis tenebris, roseo repræsentabat splendore, cùm eius pueri thorum ipsius circumambientes, vnaq; cum ipsis egregius filius eius Florebertus, præstolabantur gloriosam ipsius migrationem. *Sacrum orationum officium septenario numero dicatum persoluit.*

Conuersus autem sacer Pontifex, circumstantibus ita proloqui cœpit: Mei perdilecti atq; amantissimi filij, Christum iam nunc pro meis interuenite fragilitatibus, iam enim terminus irreuocabilis vitæ meæ adest, quo iubeor luteum hoc habitaculum linquere, & rationem ante Iudicem actuum meorum positurus, apparere: Et me D imparem tanto examini, obsistente meorum mole peccaminum, persentio, vt pote, cui exeunti vitiorum acies, tristesq; phalanges offensionum occurrent; peto, precum vestrarum clypeos opponite, & vt piam Christi Maiestatem propitiam habere merear, deposcite. *Petit iuuari precibus fidelium.*

Hæc beato viro, iuxta quod scriptum est, *iustus in principio sermonis accusator est sui*, proloquente, persentiens pallidæ mortis proximam iam esse præsentiam, manibus ad cœlum eleuatis, & veste rugata, oculis à lachrymarum fonte rigatis, dixit: Oppandite ori velamen, quia depositum animæ quod nunc vsque vase fragili retentum est, *Prouerb. 18.*

 oportet

*Recitat Symbolum apostolorũ & orationem Dominicam.* *Recitãs Pater noster, moritur*

oportet tandem resolui, atq; ab eo liberum egredi. Canebatq; symboli verba, quo continentur fidei sacramenta, dicendo: *Credo in Deũ Patrem omnipotentem, &c.* Iterum orationis dominicæ verba ferendo: *Pater noster, qui es in cœlis.* Inter quæ verba, spiritum efflauit, angelicisq; admixtus cœtibus, & euectus manibus, cęlum penetrauit, Sanctorum iungendus agminibus. A

*Luctus fideliũ de morte sui episcopi.*

Eius autem migratio, intulit superno conuentui gaudiũ, eis autem qui eius consortio eatenus fruiti fuerant, grauem, & pene interminabilem luctum, eratq; videre pauperum fletibus ora rigata, & pastoris se conquerentium destitutos opimâ præsentiâ, monachorum greges ieiunijs pallida ora gerentes, incultoq; habitu despectum mũdi protestantes, ad viri Dei inferiarum exequias deducendas concurrere, quamq; piè & sanctè Pontificis sui vita decurrerit, sedulum eorũ officium, altaq; deuotio testabatur. B

*Furâ Leodiũ transfertur.*

Sanè, eo spiritum reddente, Euangelium Christi perlegitur, & eo perlecto, quæ mortuis debentur, pie officia sepulturæ præstantur: Etenim corpus eius ablutum linteis, atque circumdatum tristibus peplis, loculo supponunt, atq; elatum à loco eius obitus qui vocatur Fura, Leodium transferunt, quæ loca à se differunt milibus triginta.

Sanè, per omne iter reuersionis, piæ oues funebria, exequiasq; sui audientes differri pastoris, ex omnibus villis & locis confluentes, vltimum vale dictum adueniunt. Omnis ætas, vterq; sexus, curuus arator, pannosusq; bubulcus, dolorem lachrymis confessi, accedentes, atq; eminùs salutantes, pugnis etiam pectora verberantes, dicebant: Heu! quid nobis iam nunc restat salutis? En destituimur periclitantes, benignissimo periculorum nostrorum propulsatore, qui doloribus nostris consolator aderat, inopiæq; miserator, orphanorum altor, viduarum defensor, doctrinæq; cœlestis eximius doctor. Hisce vocibus planctibusq; similes iungebantur querimonię, quousque suprascripto emenso spatio, in locum destinatum sancti ossa aduexêre præsulis. C

Cùm autem prope Leodium aduentarent, plebis multitudo, gradusq; omnis ecclesiasticus, cum reuerendo habitu obuiam sanctis processêre exequijs, ferentes cruces, Sanctorumq; patrocinia, nec non candelabra lumine radiantia, sed & aromata Thymiamaterijs redolentia, psallentesque, vt moris est talibus officijs decantare carmina. D

Vt autem feretro viri Dei se iunxerunt, dolor intolerabilis, canticum cunctis interdixit, ita vt à fletu nemo posset temperare, sed conquerebantur de sui pastoris, dolore magistro dictante, intempestiua subtractione. O bone (inquiunt) pastor, necdum in viri perfectionem, animique robur euasimus, & iam tui fraudamur præsentiâ?

His & similibus dolori satisfacientes, sanctissima membra in beati

Petri

A Petri posuêre basilica, quam ipse beatus vir suâ construxit munificentiâ, ibique cereis accensis, peruigilem noctem ducentes, Dauidicis canticis operam dantes, vsque dum sol iubare suo poli, terræq; faciem perfunderet, perseuerauêre psallentes. *Corpus in Basilica S. Petri ponitur.*

Post hæc autem, induunt eum, prout erat solitus indui diuino altari assistens, subuculâ scilicet lineâ, atque planetâ. Tanta autem vultui eius inerat pulchritudinis gratia, vt potior atque venustior videretur mortuus, quàm olim fuerat viuus. Quæ cùm fierent, discipulique eius, vultũ sibi dudũ optabilem atque amantissimũ, oculis perlustrarent, internum amorem animi non ferentes, lachrymis testabantur, amicumque dolori luctum assumentes, hæc permixta singultibus verba reddebant: ô columna & tutamen, decusque ecclesiæ, sed & nostrarum animarum custos egregie, tuam exoptatam atque subtractam sitimus præsentiam. *Vestitur sacris vestibus.* *Pulchritudo defuncti.*

B

Vt autem diuinitas cunctis palam ostenderet, semper apud se viuere, quem ab oculis hominum occuluerat, terra sub arido cespite, locum sepulchri eius, tali dignata est miraculo venustare. *Miraculum.*

Virga namque super sepulchrum eius incisa est, quia res ita exigebat, contractior tamen quàm vtilitas poposcerat, sed postea inuẽta est duorum palmorum longitudine supercreuisse: quam nos ob ampliandam Christi gloriam, & sancti viri perpetuam memoriam, ab eodem loco leuatam, parieti inseruimus reseruandam.

C Post hæc autem, cœperunt sancti viri reliquiæ virtutibus florere, locusque eius crebris miraculis enitere: nam creberrimè quidam inter diurnum nocturnumque officium inibi peragentes, sæpè confessi sunt, se angelicas voces exaudisse de tumulo; quas, vti humanæ moris est imbecillitati, audientes, timore nimio perterriti, fugæ sese dedêre, timorisq; magnitudinem immutatione loci declinauêre. Quod nos audientes, innumeras Deo persoluimus grates, qui tali modo voluit commendare mortem sui præsulis, fidentes quod eum alta beatitudine donauerit, quem tantâ prærogatiuâ signorum commendabat. *Voces Angelicæ apud tumulum eius audiuntur.*

Anno autem sexto decimo fœlicissimi eius excessus, sub Karlo-
D manno Rege, tertio iam anno regni Francorum sceptra regente, æditui basilicæ, qua sancta viri membra tegebantur, detexêre sibimet mandatum fuisse cœlitus, vt corpus beati viri leuaretur. Igitur ad amica Dei sibi subsidia se vertentes, orationi atq; ieiunio sese triduo mancipauêre, vtq; volũtatem super hoc negotio Dñi noscę possent, ab eo totis nisibus poposcêre. *Decimo sexto ab obitu & sepultura anno corpus è terra leuatur.*

Tertio tãdem die ieiunij instante, Sacerdotes iunctis sibi aliorum ecclesiasticorum cœtibus, basilicam beati Petri adeunt, quæ sanctissima viri membra siliceâ continebat vrnâ, ferentes in manibus eius vexilla crucis, & candelabra, sed & diuersa ornamẽtorum genera.

Quo peruenientes, operculum à sarcofago sustulêre: attamen

grauitate pauorem cum reuerentia indicente, non audebant locum sepulturæ eius plenius visitare: Putabant namque more mortalium, illud sacratissimum corpus, à soliditatis compage seiunctum, & pulueri redditum. Ne tamen, quia tantum opus cœperant, si relinquerent, imperfectionis argui possent, grauitate magistra, leuiter quiq; accesserunt, & introspicientes gloriosum corpus eius nulla detrimenta passum, illæsum à dissolutione atque putredine (quæ mos est mortalium corpora defuncta contrahere) aromatum more senserunt odorifico odore feruêre. Caput autem illius oculis perlustrantes, vident vultum eius (quod dictu quoque mirabile est) sudore perfusum, & velut noctis opacæ rosidulis perfusum guttulis: coronam verò capillorum, alienam prorsus ab omni læsione, cæsariemque auctã & prolixitate & pulchritudine. Neque enim senili candore albebat, sed colore & visione sui, iuuenis caput repromittebat, ita vt quanquam de resurrectionis redintegratione veracissimè à Saluatore dictum, & fideliter à fidelibus constet susceptum, *capillus de capite vestro non peribit*, tamen & in hoc tempore, huius sancti viri corpore videretur impletum. Quod videntes omnes qui vnde vnde cõuenerant, gaudio inæstimabili corde concepto, cœperunt glorificare Deum, qui *mirabilis est in Sanctis suis*.

*Corpus à putredine & dissolutione illæsum reperitur.*

*Luc. 21.*

A B

Quanta autem ibi signa & prodigia, in eleuatione corporis eiusdem Dominus ostenderit, liber miraculorum eius declarat, quem hic omittentes, ad historiam manum retrahamus. C

ANNOTATIONES.

1. Spiritus efflauit.] Obijt *(inquit Sigebertus)* Sanctus Hubertus episcopus anno Domini 735.

2. Thymiamaterijs.] *Sic legis apud Surium in vita S. Huberti: Reliqui codices omnes quos videre licuit M. S. legunt* Timiaterijs.

3. In B.Petri posuêre Basilicã.] *Notat Aegidius hoc ibi scriptum Epitaphium.*

Hic iacet Hubertus præsul Domini tumulatus.

---

*De Sancto Floreberto.* D

CAPVT XXX.

POst hunc, trigesimus primus episcopatum suscepit Florebertus.

Dictus quidem, vt vulgatũ est, sancti antecessoris filius; quem si carnalis idem, ante sanctæ religionis generauit habitum, nihil de dignitate derogari potest alterutri. Sin verò spiritualis alter alteri patri erat filius, nihil obest, imò multum prodest spirituales filios, si bonis

*Florebertus vulgo filius S. Huberti: quo sensu.*

A bonis patribus contigerit succedere.

Huius corpus, cum Petro & Andoleto, qui occisi sunt cum beato Lamberto, vno compositum est sepulchro.

*Floriberti corpus cum SS. Petro & Andoleto in eodem sepulchro sepultum.*

---

### *De Sancto Floreberto.*

## CAPVT XXX.

*Ab Aegidio additum.*

B IGitur, post sanctum Hubertum, tricesimus primus Leodiensem episcopatum suscepit sanctus Florebertus, dictus, vt vulgatum est iam praescripti antecessoris filius Huberti. Cui si carnalis, ante sumptum religionis habitum, pater extitit, nihil de dignitate derogari potest; si verò spiritualis pater fuit, nil obest spiritualem filium patri spirituali posse substitui.

*An S. Florebertus filius carnalis S. Huberti fuerit, dubitat auctor.*

Hic Pontifex factus, patris vestigia sequens, erat semper Christo subiectus, deuotione armatus, pontificio dignus, & doctrinâ munitus, honorem saeculi recusans, humilitate praecipuus, subditus in suscipiendum, in corrigendum vehemens.

*Virtutes S. Floreberti.*

C Qui postquam Leodiensem ecclesiam decem & octo circiter annis fideliter gubernasset, eamq; ampliasset multis bonis, in magna sanctitate requieuit in Christo, septimo kalend. Maij. quo tempore obijt beatus Erminus Abbas secundus Lobiensis; sepultusq; est in Ecclesia S. Lamberti, vbi multis signis & miraculis choruscans, post aliquod tempus, leuatum est corpus eius, & in feretro decenter locatum.

*Gubernauit ecclesiam Leodiensem 18. circiter annis.*
*Obijt 7. calẽd. Maij.*
*Choruscat miraculis.*
*Eleuatur corpus eius & in feretro decenter locatur.*

Floruit autem idem S. Florebertus sub apostolicis, Gregorio tertio, & Zacharia: sub Imperatoribus, Leone, & Constantino, temporibus Caroli Martelli, filiorumq; eius Karlomanni, Pipini & Griphonis.

Post multos verò annos, leuata sunt etiam corpora sanctorum D Petri & Andoleti, qui cum beato Lãberto martyrizati sunt, & cum corpore beati Floreberti in vno collocati sunt feretro: quod feretrum in ciborio iuxta corpus beati Lamberti, vsque in hodiernum diem, collocatum est cum alijs Sanctorum pignoribus.

*Leuantur corpora SS. Petri & Andoleti, & in feretro S. Floreberti collocantur.*

In altera parte corporis beati Lamberti, corpus S. Theodardi episcopi & martyris requiescit, cum Madelberta sancta virgine, quae in vno feretro collocantur: fuit enim haec virgo Madelberta, filia sancti Vincentij Soniacensis, & S. Waldetrudis, cuius fuit soror sancta Aldegundis, fundatrix monasterij Malbodiensis: in quo coenobio praedicta virgo Madelberta, post sororem suam beatam Aldetrudem, tertia à B. Aldegunde matertera earundem, Abbatissa, opere & exẽplo plurimum praefuit, quae defuncta inibi sepulta est.

*Plura SS. corpora in ecclesia S. Lamberti.*
*Corpus S. Madelbertae virginis, & qui eius parentes.*

Postmo-

Postmodum verò, miraculis clarens, corpus eius à beato Huberto episcopo, vt dicitur, apud Leodium, cum magna gloria translatũ est, &, vt supra diximus, in præfato ciborio collocatũ: inquo & alia multa Sanctorum corpora requiescunt, quorum meritis & patrocinijs, ciuitas protegitur, eiusq; diœcesis. A

*SS. meritis & patrocinijs ciuitas Leodień protegitur.*

## ANNOTATIONES.

1. *Sancti Floreberti natalis celebratur 26. Aprilis. De eo sic Molanus in martyrologio Vsuardi*: Eodem, *videlicet, iam dicto Aprilis*, apud Legiam sancti Floreberti episcopi eiusdem loci & confessoris natalis.

2. Cui si carnalis ante susceptum religionis habitum pater extitit.] *Florebertum fuisse carnalem eumq; legitimum S. Huberti filium, probabilius est. Nicolaus, qui vitam S. Lamberti scripsit, Hubertum legitimo matrimonio iunctum fuisse asserit, his verbis*: Ex sanctissimi Lamberti contubernio, frequentique colloquio, cor clarissimi Comitis Huberti adeò immutatum, penitusq; succensum est cœlestis patriæ desiderio, vt abiecto militiæ cingulo, calcatâ mundanæ potentiæ gloriâ, castris Dominicis in clericali habitu ascribi voluerit, tamque pium sanctæ deuotionis affectũ mancipasset effectui, si non eum copula legitimi, quo alligatus erat, tenuisset coniugij. *Florebertum verò carnalem eius filium fuisse, innuit familiaris ille qui vitam S. Huberti scripsit, quando dicit cap. 16*: Nos thorum ipsius Huberti circumambientes, vnáque nobiscũ egregius eius filius Florebertus, præstolabamur gloriosam eius migrationem, &c. B C

3. Qui postquam Leodiensem ecclesiam decem & octo annis.] *Molanus in Natalibus SS. Belgij, dicit gubernasse nouemdecim, nimirum, vsq; ad annum 754.*

4. Quo tempore obijt B. Erminus Abbas secundus Lobiensis.] *De hoc ita Molanus ad martyrologium Vsuardi*: Laubijs transitus S. Ermini episcopi & confessoris. *Eius gestorum liber est Lobijs M.S per eius loci monachum, qui familiaris fuit Flaberto, vni ex discipulis Ermini. Ex quo libro constat, prater alia maxima Dei dona, Erminum spiritum prophetiæ à Deo accepisse. Hic secundus abbas Lobiensis fuit, cui anno septingentesimo trigesimo successit sanctus Theodulphus.*

5. Cum Madelberta sancta virgine.] *Natalis eius in ecclesijs, Leodiensi & Malbodiensi, celebratur septimâ Septembris, sub officio nouem lectionum.* D

6. Tertia à beata Aldegunde.] *Adstipulatur Molanus in natalibus SS. Belgij*: Malbodio monasterio, *inquit*, natalis S. Madelbertæ virginis, quæ in prædicto monasterio tertia, sanctè præfuit annis nouem: *prima enĩ fuit matertera eius sancta Aldegundis loci fundatrix: secunda, soror eius B. Aldetrudis, cui ipsa successit.*

*De alijs*

A

## *De aliys sex episcopis.*

### CAPVT XXXI.

TRigesimus secundus sedit Fulcarius.
Trigesimus tertius, Agilfridus, ad quem Carolus Magnus, Desiderium Italiæ Regem, Leodium misit in exilium.
Cui successit trigesimus quartus Gerbaldus.
Postque illum, trigesimus quintus suscepit episcopatum Walcandus, cuius anno quarto, qui est à Dominica Incarnatione octingentesimus quartus decimus, Carolus diem clausit extremum.
Walcando successit Pirardus in sede trigesimus sextus.
Trigesimus septimus, Hircarius.

B

*Desiderius exul mittitur Leodium ad Agilfridum episcopum.*
*Carolus magnus quando obierit.*

## *De Fulcario episcopo.*

### CAPVT XXXI.

*Ab Aegidio additum.*

C IGitur, post S. Florebertum, tricesimus secundus episcopatum suscepit vir venerabilis Dñs Fulcarius, qui floruit tempore Pipini secundi, patris Caroli Magni.
Huius temporibus, Leodiensis ecclesia adhuc noua fundatione multa acquisiuit; qui & obijt in senectute bona.
Præfuit enim Leodiensi ecclesiæ, annis quindecim, temporibus Stephani Papæ secundi, & Pauli primi fratris eiusdem, sub imperio Constantini & Leonis Imperatorum.

*Fulcarius episcopus floruit tempore Pipini secundi patris Caroli magni.*
*Multa acquirit ecclesia Leodiensi.*
*Præfuit ecclesia 15. annis.*

### ANNOTATIONES.

1. Huius temporibus ecclesia Leodiensis adhuc noua fundatione.]
D *Quid Lodouicus Imperator Fulcario episcopo & ecclesia Leodiensi donârit hoc tempore, videbis ex subiectis ipsius Imperatoris literis, quas ex primo libro chartarum ecclesia Leodiensis transcribi curauimus, quæ sic se habent:*

I*N nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.*
Hlodouicus, diuina ordinante prouidentia, Imperator Augustus.
Si ea quæ fideles Imperij nostri pro eorum necessitatibus, nostrã consulere studuerunt magnificentiam, clementi assentire conabar miseratione, Imperialem exercere videbimur cõsuetudinem, & hoc in posterum iure firmissimo mansurũ esse volumus. Idcircò, nouerit

omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia: quia fidelis noster venerabilis Fulcarius Tungrensis episcopus, nostram expetiuit mãsuetudinem, qualiter necessitudini eius consulentes, res prædictæ ecclesiæ ipsius, regali auctoritate nostra aliquantisper augmentare deberemus, quod ita & fecimus: petitioni namque ipsius, clementi miseratione fauentes, nostrorum consensu fidelium, prædicto Fulcario episcopo, ad vtilitatem prædictæ ecclesiæ suæ, in pago Vitalelgonus, in villa Brochem, curtam Dominicatam cum mansis lætalibus & seruilibus, & ecclesiam cum decimis suis, mancipijs vtriusq; sexus prædictis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, omnibusque iure & legitimè ad ipsam curtem pertinentibus, cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, totum, & ad integrum Imperiali auctoritate contulimus, ea videlicet ratione, vt ab hac die, & deinceps, ipsas res cum integritate per hanc nostram auctoritatem atque cõfirmationis donum, ipse, suique successores teneant atque possideant, & quicquid exinde ad profectum ipsius loci facere decreuerint, in eleemosina nostra, libero in omnibus perfruatur arbitrio, qualiter pro mercedis nostræ cõpensatione, ipso perpetualiter proficiant augmento. Et vt hæc præceptio nostra firmior habeatur, & per tempora melius conseruetur, manu propria subtus decreuimus roborare, & annulo nostro iussimus sigillari. A B

Hirmimarus notarius ad vicem Friderici recognoui. C

Datum sexto calend. Maijas, anno Christo propitio decimo tertio Imperij Domini Hlodouici pijssimi augusti, indictione octaua, actum Aquisgrani palatij.

2. *Reperio huic Fulcario & alijs episcopis vicinis à Pontifice demandatum fuisse anno Domini 754. vt inquirerent in actus, virtutes, & gesta S. Suuiberti ad illum canonisandum. Sic enim legimus in epistola S. Ludgeri ad Rixfridum Traiectensem episcopum, quæ habetur apud Surium tom. 2. ad calcem vitæ S. Suuiberti:* Idem Rex Pipinus, inter cætera, exposuit sanctissimo Pontifici fœlicissimam vitam & miracula S. Suuiberti, petens benignè ab eo, vt cathalogo sanctorum confessorum, per ipsum adscriberetur: S. verò Stephanus Papa, aliquantisper apud S. Dionysium ægrotans, tum propter fatigationem longi itineris, tum propter senium, tum propter oppressionem Romanæ ecclesiæ, volens satisfacere fœliciter iustæ petitioni christianissimi Regis, commisit vices suas ad experiendum actus, virtutes, & gesta, ac miracula ipsius S. Suuiberti, ad canonisãdum ipsum sanctum, vice ipsius, venerabilibus patribus & Pontificibus, sancto scilicet Hildolpho Treuirorum, Bonifacio Moguntinorum, Archiepiscopis: Fulcario Leodiensi episcopo, & præcipuè Hildegero Coloniensi archiepiscopo; in cuius parochia S. Suuibertus migrauit ad Christum. Qui venerabiles patres, propter incursionẽ Saxonum, & expeditionem inclyti Regis Pipini, contra Aistulphũ persequutorem ecclesiæ Romanæ, in Vuerda non conuenientes, distulerunt canonisationem S. Suuiberti episcopi, vsque ad reditũ ipsorum D

A fortem de Italia, quia necessitate belli imminentis vrgente, hoc facere commodè nequibant, sicque canonisatio eius aliquanto tempore protracta fuit. *Hactenus Ludgerus.*

## *De Agilfrido episcopo.*

## CAPVT XXXII.

*Ab Aegidio additum.*

B POst hunc, tricesimus tertius Pontifex ordinatur Dominus Agilfridus, vir præclarus & nobilis, & in palatio Caroli Magni nominatissimus. *Agilfridus viuit in aula Caroli Magni.*

Hic, primus vitam sancti Lamberti per quendam clericum suum, Godeschalcum nomine, scribi fecit. *Primus curat scribi vitam S. Liberti per Godeschalcum clericum suum*

Eius diebus, Romanâ ecclesiâ in magna angustia & tribulatione positâ, pro ablatis ciuitatibus, & alijs malis innumerabilibus à Desiderio Longobardorum Rege illatis, Adrianus Papa literas ad Carolũ misit, mandans ei, vt Sanctæ Romanę Ecclesiæ subueniret. Qui cõgregans exercitum, Desiderium Regem in Papia obsedit, debellansque per sex menses ciuitatem fortiter, eam cœpit, & Desiderium Regem nutu Dei compræhendit, & suæ potestati cunctum regC num Longobardorum subiugauit: præfatum verò Regem & eius coniugem, secum in Franciam deportauit, & in exilium eos, ad supradictum Dominum Agilfridum episcopum apud Leodium, misit. *Carolus magnus Desiderii Longobardorũ regem, propter iniurias Romanæ ecclesiæ illatas capit, & Leodium in exilium mittit.*

Sub isto Agilfrido ecclesia Leodiensis multa acquisiuit, sicut testantur priuilegia à Rege Carolo sibi collata. Obijt autem circa annum Domini septingentesimum octuagesimum quartum. *Agilfrido multa Ecclesia Leodiensis acquirit. Moritur anno 784.*

### ANNOTATIONES.

1. Hic primus vitam S. Lamberti, per quendam suum clericũ Godeschalcum nomine, scribi fecit. ] *Reperimus illam in vetustissimo codice pargameneo ecclesiæ Leodiensis, quam sub finem huius primi tomi typis excudi, & euulgari curabimus.* D

2. Adrianus Papa. ] *Codex Aureæ vallis primo legit* Anastasius, *postmodum ab auctore, vt omninò puto, correctus fuit, & loco Anastasij, suprascriptus* Hadrianus, *& benè.*

3. Ad Carolum. ] *Defuncto Pipino Austrasio, Carolus filius successit, is qui ob rerum gestarum magnitudinem, Magni cognomen meruit, cum fratre regnum diuisit: frater Carolomannus nominatus fuit.*

4. Mandans ei, vt sanctæ Romanæ ecclesię subueniret. ] *Adstipulatur huic historiæ Meyerus:* Anno, *inquit,* 774. Carolus Rex, in gratiam Hadriani primi, maximum portauit exercitum in Italiam, victisque Lon-

V 2 gobardis

gobardis, finem regno illorum imposuit, Desiderium Regem, cum vxore & liberis captiuum, secum deportauit, atque Agilfrido Leodiensium episcopo, custodiendum tradidit, qui tandem mortuus ibi est, ac sepultus Aquisgrani. *Adstipulatur & Sigebertus:* Adrianus Papa, *inquit*, ad tuendas res ecclesiæ, Carolum Romam accersit. Quò pergens, Papiam obsidet, ibique relicto exercitu, Romam peruenit, sanctam resurrectionem ibi peregit, postea, rediens Papiam cœpit, anno Domini septingentesimo septuagesimo tertio. Et anno sequente, *dicit idem auctor*, Desiderius Rex, cum vxore & filia, & cunctis Principibus capitur, & perpetuo exilio, ad Gallias, Agilfrido Leodicensium episcopo dirigitur. Quicquid per multa tempora Longobardi Romanis abstulerant, Carolus eis restituit. Regno verò Longobardorum destructo, totam Italiam sub iure regni Francorum redegit. Taliter Longobardi victi, regnare destiterunt, post annos ducentos quatuor, ex quo in Italia regnare cœperunt.

A B

### *De Gerbaldo episcopo.*

## CAPVT XXXIII.

C

*Ab Aegidio additum.*

*Gerbaldus præfuit ecclesiæ Leodiensi annis 25.*

TRicesimus quartus Leodiensium Episcopus ordinatur Dominus Gerbaldus, vir nobilis & honestus, qui præfuit annis circiter viginti quinque.

*Carolus Magnus Sclauiam ingreditur, & illam subiugat.*

Huius diebus, Carolus Magnus, Coloniæ super Rhenum pontes duos construxit, & muniuit, & in Sclauiam ingressus, eam sibi subiugauit.

Obijt autem idem Gerbaldus decimo quinto calend. Nouembris: præfuit igitur viginti sex annis.

*Gerbaldus multa acquirit ecclesiæ Leodiensi.*

Catholico more, Gerbaldus functus honore,
Ecclesiæ multa bona contulit, intus & extra. D

Floruit sub Apostolicis Adriano primo, & Leone quarto.

ANNOTATIONES.

1. Huius diebus Carolus magnus.] *Adstipulatur Sigebertus his verbis:* Anno Domini septingentesimo octuagesimo nono, Carolus Coloniæ super Rhenum pontes duos construxit & munijt, & Sclauiam ingressus, eam sibi subigit. *Et Barlandus in historia Ducum Brabantiæ, capite decimo tertio.* Hoc, *inquit*, defunctus bello, *videlicet Saxonico*, cùm Bauarûm Duce, pacem sanxit. *Et paulò post:* Post receptos in deditionem

A ditionem Bauaros, Sclaui, Istri, bello petiti: gentem hanc æstate vna perdomuit.

2. *Hic Gerbaldus interfuit solenni canonizationi Sancti Suuiberti, de quo ante in Fulcario episcopo mentionem fecimus; sic enim legimus in epistola Sancti Ludgeri ad Rixfridum ante citata cap. 9.* Anno Domini septingentesimo nonagesimo nono, indictione septima, pridie Nonas Septembris, omnes, tàm Papa sanctus Leo, quàm Carolus Imperator, & alij conuenientes in ecclesia, & conuentu sancti Suuiberti, ibi, oratione finita omnium conuenientium in ecclesia, statim celebrante solenniter summam missam fœlice Hildebaldo Coloniensi Archiepiscopo, & sanctissimâ vitâ ipsius, cum innumeris miraculis conscriptâ, per venerabilem præsbyterum Marcellinū socium & conterraneum ipsius sancti, ibidem lectâ, Papa sanctus Leo, de assensu, pariter & consensu suorum Cardinalium, cæterorumque prælatorum illic coram astantium, solenniter catalogo sanctorum confessorum ipsum ascripsit. *Et paulò post:* Facta sunt hæc pridie Nonas Septembris, præsentibus ibidem victoriosissimo Carolo semper augusto Romanorum Imperatore, & Francorum Rege, venerabilibusque patribus Cardinalibus & Archiepiscopis, Bernardo Ostiensi; & Fortunato Treuirorum, Theodoro Sabinensium, Nicolao tituli sanctæ crucis in Hierusalem, Eustachio sanctæ Praxedis, Bonifacio tituli sanctorum Marcellini & Petri, præsbyteris Cardinalibus, Gerbaldo Leodiensi, Volquino Normensium, episcopis.

B

C

3. *Idem Gerbaldus à dicto Leone Papa sanctissimo, procurauit consecrari Tungris & Viseti ecclesias Beatæ Mariæ virginis, sic enim eodem nono capite habemus:* Deinde, humili petitione & instantia venerabilis patris Gerbaldi episcopi Leodiensis, consecrauit Beatus Leo ecclesias gloriosæ virginis Mariæ, tàm in Tungris, quàm in Viseto.

---

D

## *De VValcando episcopo.*

*Qualiter Andagiense monasterium reparauit.*

### CAPVT XXXIIII.

*Ab Aegidio additum.*

Post hunc, vicesimus quintus in episcopum electus est vir venerandus, Dominus Walcandus, filius Adelredi; qui cum Imperatore Carolo patre Ludouici in expeditione profectus in Italiā, in quodam certamine ante castrum, quod Tycinum dicitur, interfectus est.

*Moritur anno. 814. Carolus magnus moritur anno 4. consecrationis VValcandi Episcopi, & sepelitur Aquisgrani.*

Anno igitur quarto consecrationis Domini Walcandi, qui ab in- A
carnatione Dominica octingentesimus & quartus decimus extitit,
vitâ decessit Carolus magnus, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Aquisgra-
ni sepelitur: post quem, Lodouicus Pius, filius eius, imperialia scep-
tra sibi debita, post eum fœliciter suscepit.

*Exemplo Lodouici filij Caroli magni, multi Episcopi & principes aut construunt, aut amplificant Ecclesias.*

Hic Princeps, cùm in regno suo congregationes Sanctorum con-
strueret, vel constructas ampliaret, multos Principes & Pontifices
Ciuitatum, exemplo suo, informabat.

*VValcandus episcopus ex clericis Andainensis ecclesiæ, monachos facit anno Dñi. 817. 4. idus Augu. Donat eis possessiones necessarias.*

Eo tempore, clerici Andainensis monasterij, cum iam penè defi-
cerent, vt potè, in tam vasta & sterili heremo constituti, accepta
occasione sibi consulendi, ad Walcandum Leodiensem episcopum
se contulerunt, & quomodo prædictum locum eorum, diuina pro- B
uidentia elegisset, quasque in eo paterentur necessitates, illi retule-
runt. Lætatus episcopus se inuenisse oportunitatem prouidendi suæ
saluti, si in eodem loco collaboraret voluntati diuinæ, omnimoda
intentione id exequendi curam concepit, & iuuante Deo, in præsen-
tem statum suscitauit.

Commutato ordine clericali, anno Domini octingentesimo deci-
mo septimo, Idus Augusti, in die S. Laurentij martyris, cum consilio
Papæ Leonis, & Lodouici Imperatoris, monachorũ ibi religionem
constituit, dispositis eis possessionibus quæ sufficerent ibi Deo ser-
uientium.

*Multi nobiles clerici ecclesiæ S. Lamberti, fiunt monachi in Andainensi monasterio.*

Cœperunt igitur vndequaque in eundem locum religiositatis cul
tores cõfluere, & maximè quidam nobiliores clerici de ecclesia bea- C
ti Lamberti eò conuenerunt, mutatoque habitu, ad contemptum
mundi, seipsos viriliter accinxerunt.

*Monachi Andainenses supplicant VValcando sibi dari corpus S. Huberti.*

*Celebratur Synodus prouincialis Aquisgrani: cui interest VValcandus & Lodouicus Imperator.*

Hi, secum deliberato consilio eundem locum adhuc honestius
sublimandi, adierunt præfatum venerabilem & deuotum antistitem
Walcandum, vti beatissimi præsulis Huberti ossa eis à loco sepultu-
ræ eius permitteret transferre. Quæ res, licet pro sui magnitudine
nimium difficilis videretur, Pontifici consulendum se asserens, per
triennium ferè petitionem eorum distulit: nam eo tempore, hoc est,
anno Domini octingentesimo decimo sexto, collecta Episcoporum
synodo prouinciali apud Aquisgranum, Lodouicus Pius Imperator
interesse voluit ecclesiasticis vtilitatibus ibidem disponẽdis; per cu-
ius dispositionem, episcoporumque & abbatum, aliqua capitula ad D
vsus regularium monachorum addita sunt, & multa sanctarũ scrip-
turarum compilatione facta, clericorum & clericalium sanctimo-
nialium regulæ constitutæ sunt.

*Authoritate Synodi, VValcãdus transfert corpus S. Huberti Andainum.*

Vbi, cum Walcandus referret consilium de transferendo corpore
beati Huberti ad locum Andainum, diuina dispositione prædicti
Principis & totius Synodi, inde voluntarium præbuit assensum, in-
dicta ei conditione, vt tanto Pontifici conuenientem ampliaret ho-
norem, & collectis ibidem fratribus, tàm præsentibus quàm futu-
ris, curaret omnem excludere necessitatem. Annuit episcopus sen-
tentiæ eorum. Con-

A Constituta verò die ad rem exequendam, ipse Princeps Leodium venit, cum palatina tantum & populari frequentia: corpus sanctum à Pontifice & Sacerdotibus eleuatur ita incorruptum, quasi eo die sepultum fuisset, & cum sarcophago suo marmoreo, in naui per Mosam fluuium, cum hymnis & laudibus prosequuti sunt, vsq; in Ardēnam, in monasterio Andaino: vbi Rex Lodouicus idem textū auro, & gemmis prætiosum, cum multis alijs rebus contulit.

Quanta postea & quali sagacitate, idem Walcandus episcopus locum ampliare studuerit, quibus possessionum reditibus de suo vel fratris sui Erohengoldi patrimonio, eidem ecclesiæ contulerit, testātur, priuilegia à Papa Leone, & à Metropolitano Hildebodo Coloniē-
B si, & Lodouico filio Caroli Imperatoris confirmata, quæ vsq; in hodiernum diem, eadem ecclesia reseruat.

Præfuit idem Episcopus Walcandus Leodiēsi ecclesiæ annis octodecim. Obijt sexto Idus Aprilis, sepultusq; est prope Andanense monasterium, in villa quæ Seranius campus dicitur. Extant autem epistolæ ipsius Walcandi ad Papam Leonem, quæ propter longitudinem earundem, hic inserere noluimus.

*Corpus S. Huberti incorruptum.*
*In sarcophago marmoreo defertur Andainum.*
*Lodouicus pius Imperator multa donat monasterio Andainensi.*
*VValcandus de suo & fratris Erohengoldi patrimonio, ditat monasterium Andainēse quod vulgò S. Huberti dicitur.*
*Præfuit Ecclesiæ Leodiensi annis 15.*
*Obiit 6. Idus aprilis.*
*Sepelitur i Seranio campo.*
*Epistolæ VValcandi ad Leonem Papam.*

### ANNOTATIONES.

1. Venerandus Dominus Walcandus.] Anno Domini 809. *secun-*
C *dum Sigebertum,* Walcandus episcopatum Leodiensem suscipit; qui in Ardenna Andagium cœnobium construxit.

2. Anno igitur quarto consecrationis Domini walcandi, qui ab incarnatione Dominica 814. extitit, vitâ decessit Carolus Magnus.] *Cōsentit Sigebertus in chronico.* Anno, *inquit,* 814. Carolus Imperator gloriosus, regno & imperio suo parato & dilatato, statu quoque ecclesiæ sanctè & religiosè ordinato, moritur, & sepelitur Aquis, anno ætatis suæ 72.

3. Lodouicus Pius filius eius imperialia sceptra.] *Idem Sigebertus.* Post quem, *inquit, videlicet Carolum,* Lodouicus filius eius, imperauit annis 26.

4. Hic Princeps, cùm in regno suo congregationes Sanctorum
D construeret.] Etiam illo ipso anno quo obijt, *secundum Meyerum,* hoc est, anno Domini 840. Lodouicus Pius altaria Corturiacū, Putthem, Turhold, Aldernardam, Heynam, Haltram, Niueliacum, Donsam, Conunium, Spiram, Maldegham, Rodenburgum, Slipias, Vandelmarō fertur concessisse episcopo, ad augendum Tornaci canonicorum collegium; qua ex re magnę postea ortæ rixæ inter episcopos & comites.

5. Commutato ordine clericali, monachorum ibi religionem instituit.] *Congruit historia & tempus cum chronicis monasterij S. Huberti, quæ istic studiosè legi.*

6. Per triennium ferè eorum petitionem distulit.] *Sigebertus trāslationem D. Huberti in Andainum monasterium, refert ad annum Domini 824. Molanus*

*nus ad annum 825. chronica monasterij ad annum 826.* A

*7.* Corpus sanctum à Pontifice & sacerdotibus eleuatur.] Anno Domini 824. *inquit Sigebertus,* Walcandus Leodiensis episcopus, corpus S.Huberti transfert à Leodio ad Andagium monasterium.

*8. In codice Aureæ vallis reperio hanc marginalem annotationem:* Temporibus (*inquit*) Gerbaldi & Walcandi Leodiensium pontificum, Carolus famosissimus Imperator Romanus, plurimas à fundamentis cõstruxit ecclesias, quasdam etiam collapsas releuans & dotans: inter quas in ecclesia Hoyensi 15. canonicos . . . . . instituens, qui permanserunt vsq; ad tempora Theoduini Leodiensis episcopi. Insuper & comitatũ ibidem instituit, qui permansit vsque ad tempora Notgeri Leodiensis episcopi: quorum vltimus fuit Aufredus Comes, qui moriens sine liberis, eundem comitatum in eleemosinam dedit beato Lamberto. B

*9.* Collecta episcoporum Synodo.] *De hac sic Sigebertus:* Anno, *inquit,* Dñi 820. Aquisgrani generali conuentu habito, per dispositionem Imperatoris Lodouici, episcoporũq; & abbatũ, aliqua capitula ad vsus regulariũ monachorũ ædita sunt, & multa S.scripturarũ cõpilatiõe facta, clericorũ & clericaliũ sanctimonialiũ regulæ cõstitutæ sunt.

*10. In libro 1. chartarũ ecclesiæ Leodiensis reperio confirmationem permutationis quorundã bonorũ in vtilitatẽ eccl. S.Lãberti. factæ per hũc VValcãdũ quæ sic se habet.*

*IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.*

Hludouicus, diuina ordinante prouidentia, Imperator Augustus. C

Si enim ea quæ fideles Imperij nostri pro eorum oportunitatibus inter se commutauerunt, nostris confirmamus edictis, Imperialem exercemus consuetudinem, & hoc in postmodum iure firmissimo mansurum esse volumus.

Porrò, nouerit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum industria: quia Richardus fidelis noster, innotuit nobis, qualiter Walcandus Tungrensis Episcopus, & rector monasterij S.Landeberti martyris Christi, quasdam res, cum quodam homine, nomine Norduine, per nostram sibi datam licentiam, pro ambarum partium oportunitate, commutasset. Dedit igitur memoratus Walcandus Episcopus, per nostram sibi datam licentiam, de rebus episcopatus sui in pago Asbannisæ, in loco nuncupato, villario, præfato Norduino ad proprium perpetualiter ad habendum, de terra arabili duas partes, de bonnario: Et in compensatione memoratarũ rerum, dedit præscriptus Norduinus ex proprio suo, præfato Walcando episcopo, ad partem præscriptæ Ecclesiæ suæ in eodem pago, & in memorata villa, bonnarium vnum & virgas tres: vnde & duas commutationes denuò per nostræ mansuetudinis præceptum plenius confirmare deberemus. Quorum petitionibus denegare noluimus, sed sicut vnicuique fideliũ nostrorum iustè & rationabiliter petentiũ, ita nos illis cõcessisse, atq; in oĩbus cõfirmare cognoscimur D

Præci-

A Præcipientes ergò iubemus, vt quicquid pars iuste & legaliter alteri contulit parti, deinceps, per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo teneat & possideat, & quicquid exinde facere voluerit, libero in omnibus potiatur arbitrio faciendi.

Et, vt hæc auctoritas firmior habeatur, de annulo nostro subter ea iussimus sigillari. Hirmimarus notarius ad vicem Fridugisi recognouit.

Datum 13. Calend. Maijas, anno Christo propitio 18. Imperij D. Hludouici pijssimi augusti, indictione nona. Actum Aristalis palatio Regio, in Dei nomine fœliciter, *Amen.*

---

B

## *De Pirardo episcopo.*

### CAPVT XXXV.

*Ab Aegidio additum.*

TRicesimus sextus ordinatur episcopus Dominus Pirardus, qui per aliquantos annos functus pontificali dignitate, viam vniuersæ carnis ingressus est, anno Domini octingentesimo quadragesimo.

*Pirardus paucis annis præfuit.*

C Præfuit Leodiensi ecclesiæ, temporibus Romanorum pontificũ, Eugenij primi, & Valentini, & Gregorij quarti.

*Moritur anno Domini 840.*

---

## *De Hircario episcopo.*

### CAPVT XXXVI.

*Ab Aegidio additum.*

POst Dominum Pirardum, Leodiensem Ecclesiam gubernauit Dominus Hircarius episcopus, annis quindecim, sub Apostolicis, Sergio secundo, Leone quarto, Benedicto tertio.

D

*Hircarius præfuit ecclesiæ Leodiensi annis 15.*

Huius anno nono, Lodouicus Imperator filius Caroli obijt, & in ecclesia S. Arnulphi in vrbe Metensi sepultus est.

*Lodouicus Imperator moritur anno nono Hircarij episc. Sepelitur in vrbe Metensi.*

Sed quia gesta eiusdem Hircarij episcopi nostri nondum legi, ad obitum eius transeamus: obijt enim tertio Kalend. Augusti, sub Lothario Imperatore, qui partito regno suo tribus filijs suis, Lodouico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo Prouinciam tradidit. Ipse verò, ordinatis omnibus, sæculum reliquit, & in Prumiensi monasterio, sexto decimo Imperij sui post mortem patris, anno, tonsurâ & monachico habitu suscepto, monachus efficitur qui non multo post, eodem anno obdormiuit in Domino, tertio calend. Octob. anno Dñi octingentesimo quinquagesimo quinto.

*Hircarius moritur sub Lothario Imperatore 3. calend. Aug. Lotharius partito regno tribus filijs, fit monachus.*

X De

*Altercatio inter Angelos & Dæmones de anima Lotharij Imperatoris.*

De huius tamen anima, inter Angelos & Dęmones altercatio facta fuit: Angeli siquidem animã monachi, Dæmones, Imperatoris quærebãt. Sed orationibus monachorum fugati sunt Dæmones, qui corpus distrahebant per ecclesiam. A

ANNOTATIONES.

1. Huius anno nono.] *Secundum Sigebertum, moritur Lodouicus Pius, anno Domini 840*

2. Qui partito regno suo.] *Adstipulatur Sigebertus:* Lotharius, *inquit*, Imperator, partito inter filios regno, abrenunciat sæculo, & in Prumia monasterio habitu monachi suscepto, non multò post, dormiuit in Domino, circa annum Domini 855. *Et apertius Marianus ad annum Domini 855.* Lotharius, *inquit*, Imperator, conuocatis primoribus regni, Imperium inter filios suos diuisit: Lodouico quidem Italiam tradidit, eumque Imperatorem, nomine suo, appellare fecit: Lothario verò, regnum quod ex suo nomine vocatum est, concessit: Carolo verò iuniori ipsorum, prouinciam mandauit. Qui ita disponens, sęculum reliquit, & in Prumiã monasterium venit: postquam habitũ sanctæ conuersationis accepit monachorum, eodem anno, tertio calend. Octob. obijt. B

3. De huius tamen anima, inter Angelos & Dæmones altercatio facta fuit.] *De hac altercatione non meminerunt auctores à me superius citati: Illius facit mentionem, totidem ferè verbis quibus auctor noster, Ioannes Becanus, quem Ioannem de Beeck Tritthemius nuncupat, in historia episcoporum Vltraiectensium & Comitum Hollandiæ, in vita Friterici, octaui Traiectensis episcopi, quam M. S. mihi cum alijs libris Magister N. Ioannes Clarius, Theologus clarissimus, testamento reliquit, hoc anno 1611. quo ipse obijt.* C

*De Francone episcopo.*

## CAPVT XXXVII.

*Cuius aliqua partes ab Aegidio addita sunt.* D

*Franco anno Dñi 856. fit episcopus Leodiensis. Gubernat subditos sapientissime 48. annis. Huius tempore Normanni patriam Leodiensem & vicinas vastant.*

ANno Domini octingentesimo quinquagesimo sexto, post Hircarium tricesimus octauus, Dñs Franco à cœnobio Lobiensi accitus, substituitur Leodiensis Episcopus; qui per annos quadraginta octo, subditos sibi sapientissime gubernauit.

Huius tempore legimus diram Normannorum gentem cum suis Ducibus Godefrido, & Rollone, & Sigefrido, à trãsmarinis partibus, nostro fines irrupisse, & ex oceano quidem partim in Rheni, partim in Mosæ alueos, tantum subitò euolasse exercitũ, vt relicto in fluuijs nau gio, apud Halos, iuxta Mosam, conscendentes, Traiectum superius, Traiectum inferius, Coloniam, Bonnam, Tulpiacum, Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam, Treuiris, Aquisgrani, Sen-

A Sentrunium, Tungris, & Leodium vastauerunt. Insuper, & Wallonem Metensem episcopum, occciderunt.

*Occidūt VVallonem episcopū Metensem.*

*Additio Aegidij.*

Et quòd abbatia Sancti Petri in Leodio à beato Huberto fundata, tunc vastata sit, innuitur ex eo, quòd monachorum capita qui ab eis martyrizati sunt, clauis ferreis & capitalibus confixa, inuenta sunt in pilarijs, & in cripta eiusdem ecclesiæ tumulata. Nostris verò diebus, per quendam Decanum eiusdem Ecclesiæ, corpora eorum leuata sunt, & cum decenti honore, iuxta altaria, sicut videntur vsq; in hodiernum diem, in eadem cripta sunt reposita.

*Vastant ecclesiam S. Petri, & monachos morte afficiūt. Graue monachorum martyrium. Corpora horū martyrū leuātur à terra.*

Cùm etiam ijdem Normanni cunctam ciuitatem vastarent, feretrum beati Lamberti auro & argento & gemmis ornatum infringere volentes, diuinitus timore perculsi, illud contingere non potuerunt, & sic tristes recedentes, quòd tàm pulchram fabricaturam auri & argenti ibi reliquissent, & cum incredibili pedum velocitate vtrobique terras percurrerent, cæde & incendio cuncta vastantes, cum maxima pecuniarum & spoliorum copia, sine sui læsione, ad sua nauigia redierunt. *Hactenus Aegidius.*

B

*Volentes feretrum S. Lamberti effringere, diuinitus repelluntur.*

Eo tempore, Turonici, auxilio beati Martini de Statingo, triumphauerunt, sed timore Rollonis, corpus eiusdem sancti apud Antisiodorum detulerunt.

*Turonici triūphant de Normannis, auxilio B. Martini.*

Huius vltionis diuinæ, potissimum in Lotharingiensi Imperio, causa extitit, quòd Lotharius secundus Rex, legitimæ coniugis Theobergę spreto consortio, cum Waldrada turpi volutabatur adulterio. Qua de re permotus, vlciscendi Zelo, Nicolaus Romanæ Sedis antistes, dum rei certitudinem sagaciter inuestigat, Archiepiscopos Gontharium Coloniensem, & Thiecandum Treuirensem, tanti flagitij deprehendit esse fautores: quos ipse Rex occultè conueniens, in pernitiosissimum sui erroris præcipitauerat consensum, ita vt Metis adulterinam conuocantes Synodum, falsis darent locum accusatoribus, & Innocentem Reginam, purgatione legitima satisfacere cupientem, nihilominus improbè damnarent, & quasi adulteram reputantes, regali thalamo iudicarent indignam; nec multò post, vt petulantis Regis satisfacerent desiderio, quos in vna carnis compage diuina iunxerat auctoritas, temerario non timent segregare diuortio.

C

D

*Quæ causa fuerit tantæ vltionis diuinæ. Nicolaus Pontifex inquirit in Lotharium secundum Regem adulterū. Archiepiscopi Gontharius Coloniēsis & Thiecandus Treuirensis, fauent Lotharij adulterio. Math. 19.*

Sed quid multis immorer? Citantur ad Apostolicam præsentiam, Rex mœchus: cum suis Archiepiscopis, conuenitur Rex de iniusto legitimi matrimonij diuortio: conuictus tandem, laicam se dicit esse illiteratamq; personam, & ideò, quòd canonum nesciret auctoritatem, totius causæ summam, Archiepiscopis illis tractandam commisisse, eorum ordinationi & iudicio paruisse, & ideò, innocentius multò pro suo arbitrio errasse.

*Archiepiscopi citantur cum Rege mœcho. Rex culpam reijcit in Archiepiscopos.*

Igitur, ad hanc Regis professionem, Theoberga coniunx esse legitima iudicatur, Waldrada adulterij rea censetur; Archiepiscopi,

*Theoberga legitima Regis coniunx declaratur, & VValdrada adultera*

*Archiepiscopi dignitate priuantur.*

qui huiusmodi flagitio assensum dederant, sacerdotali dignitate priuantur: cogente Romano pontifice, legitimis nuptijs deinceps inniti, à Rege iureiurando firmatur. A

*Rex iurat adhærere legitimæ coniugi.*

*Rex & Gontharius redeũt ad vomitum.*

*Excõmunicantur & excõmunicatos diuina vltio consequitur.*

Sed mox, ab Apostolica digressi præsentia, vterque statutum præuaricatur, dum Rex obstinatus ad scelus adulteram repetit, Gontharius Coloniensis, contra vetitum, diuina celebrare præsumit. Quãobrem, anathematis vinculo constrictos, vltio diuina instanter consequitur, ita vt in sui reditus itinere constituti, priusquam Italicam egrederentur prouinciam, morte præsenti interirent.

*Additio Aegidij.* B

*Normãni iterũ patriã Leodieñ & vicinas inuadunt anno episcopatus Frãconis 41.*

Sed ad nostrum redeamus Franconem. Anno igitur episcopatus sui quadragesimo, Normanni iterum Lotharingiam repetentes, circa Leodium, cum Christianis pugnant, & vincunt.

*Sũderoldus Archiepiscopus mogũtinus martyr efficitur.*

His diebus, Sunderoldus Moguntiæ Archiepiscopus, à Normannis Wormatiæ martyrizatur. *Hactenus Aegidius.*

*Franco arma sumit contra Normannorũ vastationes, sæpius congreditur, & tandem patriã Leodieñ excedere cogit*

*Quia interfuit effusioni sanguinis humani humiliter & sponte abstinet ab officio altaris.*

Sed, vt ad nostrum redeamus Franconem, non ferens diutius suos indigenas ab exteris vastari prædonibus, tãdem pro defendendis ecclesiarum rebus, pro viduarum & orphanorum causis in libertatem vindicandis, audacter arma arripuit, & hostiũ cateruas militari manu fortiter aggressus, post multorum bellorum assultus, nouissime, cum Dei auxilio, viriliter propulit, & à barbarica feritate Leodiensium fines eripuit: & quoniam hac cogente necessitate, humani sanguinis effusioni interfuit, ab altaris officio sese spõtaneus humiliter subtraxit. C

*Additio Aegidij.*

*Leuat à terra corpora SS. virginũ Remullæ & Harlindis.*

Hic etiam Franco episcopus, rogatu venerabilis Auæ Abbatissæ bonæ memoriæ Hekensis, in feretro argento & auro decenter ornato, corpora sanctarum virginum Remullæ & Harlindis transtulit è tellure, decimo calend. Aprilis. *Hactenus Aegidius.*

*Multa acquirit ecclesiæ Leodiensi.*

Hic amœnum ecclesiæ Leodiensi contulit Iustinum, abbatiam Lobiensem, & præposituram Fossensem, cum suis appenditijs acquisiuit. D

*A Deo pio patre flagellatur.*

Et, vt ab omnipotente pioque patre Deo diligi probaretur, eius flagello postea corripitur: quippe, ante sui obitus diem, diutino fatigatus corporis languore, animę, vt credimus, donatur sospitate. Quã multis tribulationibus attritam, cœlestibus apothecis credimus reconditam, corpore eius in terris detento, & in nostra maiori ecclesia, quinto Idus Ianuarij, tumulato. Floruit sub Apostolicis, Nicolao, Adriano secundo, Ioanne octauo.

*Ecclesia Colonieñ à Normãnis vastata septem annis caret pastore.*

*Tandem Deo propitio Willebertus fit pastor.*

Circa idem tempus, Coloniensis ecclesia, per annos septem pastore viduata, post Normannicam ibi factam vastationem, & Ecclesiarum concremationem, Deo tandem facto propitio, Willebertum suscepit rectorem, cuius tempore, beati Petri basilica tàm ab ipso, quam

A ab alijs compluribus Episcopis est dedicata. Ibi pridie quàm dedicaretur, auditi sunt eiulatus Dæmonum, à noto se habitaculo propelli conquerentium. *Ecclesia B. Petri dedicatur.*

*Additio Aegidij.*

Et quia de Normannis hîc mentionem fecimus, de eorum origine aliqua in nostra serie scribere curauimus.

ANNOTATIONES.

1. Huius tempore legimus diram Normannorum gentem.] *Adstipulatur Sigebertus*: Anno Domini, *inquit*, 882. Godefridus & Sigefridus, Reges Normannorum, cum inæstimabili multitudine, iuxta
B Mosam, in loco Hasson consedentes, Leodium, Traiectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam cum adiacentibus castellis, comburunt. Aquis in palatio, equos stabulantes, oppidum, & palatiũ incendunt. Præterea, monasterium Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam. Sacri ordinis in vtroque sexu ministri, vbi poterant oportunius, latebant, & Sanctorum corpora & pignora, locis tutioribus abscondebant. *Vide de his acta S. Gudilæ apud Surium tom. 1. octauâ Ianuarij: Et Notgerum de miraculis Sancti Remacli, apud Sur. die tertia Septembris.*

2. Insuper & Wallonem vel Gualonem Metensem episcopum
C occiderunt.] *Idem habet & Sigebertus*: Anno Domini 883. Normanni, *inquit*, vrbem Treuirim incendunt, & Metas vsque perueniunt, ibiq; conserto prælio, christianos vincunt. In hoc prælio, Gualo Metensium episcopus cæsus est.

3. Lotharius secundus Rex legitimæ coniugis Theobergæ.] *Si quis particularius scriptam historiam adulterij istius Lotharij & prauorum episcoporum vult legere, videat Marianũ ad annum Domini 868. Meminit quoq; illius Sigebertus anno Domini 862. Adde VValdradam, quam Dux Lotharingiæ superinduxit, legitima vxore repudiata, fuisse sororem Guntheri, vt non mireris, quare hic tantus vir adulterium hoc defendere & probare voluerit. Vide Kratepolium in cathalogo Archiepiscoporum Coloniensium, & Illustrissimum Cardinalem Baronium tom. 10. ad annum Domini 862.*

D 4. Normanni iterum Lotharingiam repetentes.] *Idem habet Sigebertus*: Anno Domini 895. Normanni, *inquit*, Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum christianis pugnant, & vincunt. Sunderoldus Moguntiæ Archiepiscopus, à Normãnis Wormatiæ martyrizatur. *Et statim post.* Arnulphus Rex, audita cæde suorum, à Baioaria, contra Normannos pugnaturus, properat cum valido exercitu, quos supra fluuium qui Tilia dicitur, pedestri prælio adorsus, tantam ex eis stragem fecit, vt ex innumerabili multitudine, vix superesset, qui ad classem aduersum nuncium ferret. Normannorum residui, transuadato Mosa, Ribuariam & Arduennam vastando peruagantes, trans mare recedunt.

5. Remulæ & Harlindis.] Alij *legunt* Harlindis & Relindis. *Vitam*

*harum sanctarum virginum, recollegit meo hortatu, quidam pater Societatis* IESV, A
*qua vernaculo, seu, teutonico sermone, est in multorum manibus. Hæ germanæ sorores fuerunt, quæ parentũ Adalardi & Grimaræ sollicitudine, abbatissæ monasterij quod Valencina vulgò dicebatur, fuerunt, ad erudiendum commendatæ: quarum curã etiã habuerunt sancti episcopi, VVillibrordus & Bonifacius. Cùmq; sic profecissent, vt oportunum esset eas alijs præfici, parentes in propria hæreditate, ad Mosam Eyke monasterium construxerunt. Memorantur autem, B. VVillebrordo cum alijs aduentante, exiguum vini in vase quod Tonna vocatur, habuisse, sed nutu diuino plenitudinem vasis obtinuisse.*

6. Hic etiam Franco, rogatu Auæ abbatissę.] *Cùm prima ecclesia Eykensis quæ lignea fuerat, putresceret, & ruinã minaretur, Aua abbatissa lapideam fecit, cuius occasione Franco episcopus, vtriusq; virginis ossa honorificè leuauit die 22. Martij, anno 906. Et eodem die, anno 1571. facta est, per Illustriß. Gerardũ à Groesbeeck Cardinalem etiã episcopũ Leodiensem, altera solennis translatio, tunc enim collegium cãonicorũ qui monialibus successerãt, migrauit in oppidũ Maseycka. Vterq; locus est in comitatu Hornẽsi Diœcesis Leod. Natalis B. Harlindis est 12. Oct. & Relindis 6. Feb.* B

7. Hic amœnum ecclesiæ Leodiensi contulit lustinum, abbbatiam Lobiensem.] *Molanus 18. Aprilis in natalibus sanctorum Belgij, ex Ratherio & monumentis Lobij, dicit abbatiam Lobiensem, tempore Franconis possedisse villas centum quinquaginta tres, Franconemq;, Regis Arnulphi cognati sui fauore, factum episcopum Leodiensem, eiusdemq; fauore, illum ecclesiæ Leodiensi contulisse. Quomodo, & quo tempore ab ea separata fuerit, dicemus suo loco & tempore, sub Notgero Leodiensi episcopo.* C

*Auxit hic Franco, super omnes superiores suos episcopos, res ecclesiæ Leodiensis, vt cõmuniter omnia nostratia chronica scribunt: cuius rei non paruam fidem faciunt antiquißima Imperatorum & Regum documenta, quæ, propter eorum venerandam antiquitatem, & fidem historiæ adstruendam, hic ex libro primo chartarum ecclesiæ Leodiensis excerpta, typis imprimi curauimus.*

*In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Carolus, misericordiâ Dei, Rex.

Si iustitiam Dei verè diligimus, & aures nostræ pietatis iustis accõmodare petitionibus certamus, morem, vt decet, regium frequentamus, & ex hoc, in futuro remunerari omninò credimus. D

Quapropter, notum esse volumus omnibus S. Dei ecclesiæ fidelibus, tàm præsentibus, quàm & futuris; quoniam nostræ genua serenitatis adiens Dñs Frãco venerabilis episcopus, reclamauit se de quibusdam rebus de fisco, scilicet, Arceias in pago Portunensi sito, quas etiã ab Eua Chunradi quondã muliere, per precariã acceperat, quod vi atq; violentia, sibi, ac ecclesiæ suæ fuissent ablatæ.

Quod ergò vt verum comperimus, ob Dei amorem, & S. Lãberti, remediumq; animæ nostræ, per quæ, deprecationem carissimæ & venerabilis genitricis nostræ Adeleydis, ac Dñi Fulconis Remorum Archiepiscopi, præceptum nostræ auctoritatis, & hoc fieri, & ei dari iussimus, per quod iubemus atq; præcipimus, vt nemini mortalium liceat

A liceat, quoquo modo, ab eo, vel ab ecclesia sua, successoribusq; suis, prædictas res cum omni integritate, veluti continetur in præfata precaria: quæ ab hodierna die & deinceps habeant, teneant, possideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus, sicut de alijs suæ ecclesiæ rebus, habeant potestatem faciendi.

Et, vt hæc nostræ auctoritatis largitio, per successura annorum curricula, rata & inconuulsa permaneat, manu propria eam subterfirmauimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus.

B

*Sigillum Caroli gloriosissimi Regis.*



Raubertus notarius ad vicem Auskerici cancellarij recognouit.

C Datum anno Incarnationis Dominicæ, octingētesimo nonagesimo quarto: anno quoque regnante Carolo secundo, indictione duodecima, 6. calend. Octob. Actum Attini cæco.

*IN nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Carolus, diuina fauente clementia, Imperator Augustus.

Nouerit ergò omniū fideliū nostrorū, præsentiū videlicet & futurorū industria; qualiter nos per petitionem Rinchardæ dilectæ coniugis nostræ, imò & Luicwardi S. Vercellensis ecclesiæ episcopi, & dilecti archicancellarij nostri, quasdam res proprietatis nostræ, ad partem S. Mariæ, sanctiq; Lāberti ecclesiæ Tungrensis vel Leodiensis, cui præest venerabilis Franco episcopus, iure perpetuo in proprietatem concessimus, id est, in pago Scarponnensi, villam quæ dicitur Magdera, cum omni antiqua integritate ad eam pertinente, ædificijs videlicet, ecclesijs, terris, agris, vineis, campis, pratis, pascuis, syluis, aquis, aquarum decursibus, exitibus & redditibus, vijs & inuijs, cultis & incultis, communijs & mancipijs vtriusq; sexus, vel quicquid ibi iusto ac legali ordine pertinere videtur. Et iussimus hoc nostræ auctoritatis præceptum inde conscribi, per quod decernimus atque iubemus, vt præfatus Frāco episcopus, pro fidelitatis suæ merito, easdem res, in vita sua, quieto ordine possideat. Post eius verò obitum, fratrum ecclesijs, eidem ecclesię seruientium, absque vlla cōtradictione mancipentur, nullusq; eiusdem ecclesiæ episcopus, deinceps benefaciendi eas habeat licentiam.


(D stands in the left margin beside the line "prietatem concessimus, id est, in pago Scarponnensi, villam quæ di-".)

Et, vt hæc authoritas largitionis nostræ, nostris, futurisque tempo-

temporibus, Domino protegente, inuiolabilis habeatur, & ab omnibus verius credatur & obseruetur, hoc idem præceptum propria manu nostra subtersignauimus, & annulo nostro sigillari iussimus. Mancipia insuper illa vtriusq; sexus, quæ in Tungris ac Leodio residere & manere noscuntur, de quocumq; nostro fisco sint, aut ex dominicato, aut ex beneficiato, vniuersa eidem ecclesiæ perpetualiter habenda atque tenenda, sicuti & alia suprascripta, concedentes adijcimus & confirmamus. A

B

*Sigillum Domini Caroli Augusti.*



VValdo Episcopus ad vicem Linquardi archicancellarij recognoui. Datum 6. Calend. Iulij anno incarnationis Domini octingentesimo octuagesimo quarto, indictione secunda, anno verò Imperij pijssimi Imperatoris Caroli. 4. Actum Meantis Ciuitate, in Dei nomine, *Amen* C

I*N nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Euenteboldus, diuina fauente clementia, Rex.


Pro his quæ ob amorem Dei, ecclesijs sanctis, locisque Sanctorũ, mansuetudinem nostræ Serenitatis tribuimus, æternæ fœlicitatis beatitudine, ipsis interuenientibus sanctis, omnimodis perfrui confidimus.

Idcircò, omnium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumq; fidelium, tàm præsentium nouerit, quàm futurorum sagacitas, quia nos, pro salute nostræ animę, pijq; genitoris nostri Serenissimi Arnulphi Imperatoris, ac nostrorum prædecessorum diuæ memoriæ Imperatorum & Regum, largimur ecclesiæ sanctæ, in honore beatæ Mariæ genitricis Dei & Domini nostri, & præclari martyris Christi Lamberti in Leodio constitutæ, cui præsidet Franco venerabilis episcopus, villam nostri dominicatus sitam in pago Leuga super fluuium Poledam, vocabulo Teux, cum omnibus iustè & legaliter ad eam pertinentibus, videlicet, mancipijs vtriusq; sexus, campis, syluis, pratis, aquis, aquarumq; decursibus, molendinis, cambis, paruis exitibus, & redditibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, eo tempore & pacto, vt ex hoc, & in antea, præscriptæ ecclesiæ, nec nõ prædicto episcopo, successoribusq; eius, sine contradictione aliqua, immobiliter perpetuè subsistant. D

Et ne

A Et, ne hæc nostræ beneuolentiæ largitio, permansuris successionibus infucatè seruetur, nostri annuli impressione subter insigniri præcepimus.

*Sigillum Domini Euenteboldi Regis.*



B Walgerius notarius ad vicem Raerbodi Archicancellarij recognouit. Actum octaua Idus Octobris, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo octauo. Regni verò Euenteboldi serenissimi ac pijssimi Regis quarto, Actum villa Aquæductus in Dei nomine fœliciter, *Amen.*

8. Cuius tempore B. Petri Basilica.] *Narrat idem Sigebertus anno Domini 871.* Coloniæ, *inquit*, celebrata Synodo ad dedicationem ecclesiæ à tribus Lotharingiæ Metropolitis, Lintperto Maguntino, Bertulpho Treuirensi, Willeberto Coloniensi, cùm ab eis maior ecclesia, quæ est sancti Petri, deberet dedicari, præcedente nocte, auditæ sunt voces malignorum spirituum inter se dolentium & conquerentium,
C se à possessis diu sedibus debere expelli.

9. Quinto Idus Ianuarij tumulato.] *Consonat liber commemorationum fratrum & omnium fidelium defunctorum, qui ad primam, sub* Prætiosa, *legitur in ecclesia Leodiensi, vbi sic legis:* Quinto Idus Ianuarij, commemoratio fratrum nostrorum præsbyterorum, Domini Franconis episcopi, qui dedit nobis duos mansos in Merhein.

10. *Reperio apud Baronium tom. 10. annalium ecclesiasticorum ad annum 859. Franconem nostrum interfuisse Concilio vniuersali Tullensi, ad quod, instante glorioso Rege Carolo, citatus fuit Vuenilo Archiepiscopus Senonum, cuius Concilij literæ citatoriales sic se habent:*

D Dilecto ac venerabili Vueniloni Senonum metropolitano.
Remigius Lugdunensis metropolitanus episcopus:
Rodolphus Biturigum metropolitanus episcopus:
Franco Tungrensis episcopus:
Et multi alij qui ad vniuersale Concilium in suburbano Tullēsi conuenerant, in Domino salutem.

De instauratione pacis, totiusq; status ecclesiastici redintegratione conferentibus nobis, &c. *Similiter interfuisse Concilio Siluanectensi, cui interfuit Carolus Rex & alij plures Galliæ episcopi, in quo iniquè depositus fuit Rothaldus Suessionensis episcopus, pro qua re ipse Franco cum alijs episcopis, veniam à summo Pontifice petijt, & impetrauit. Sic enim Baronius tom. 10. ad annum Domini 865.* At, post hæc, nihil amplius scriptum esse reperitur contra Rothal-

dum, quin potius acquieuisse, veniamque pro delicto episcopos exorasse à Nicolao Papa, inter quos, Franco episcopus, magni nominis eius temporis vir, vnus ex his qui interfuerant Concilio Siluanecten si, reatum suum per literas confessus, quòd non contradixerit episcopis iniustè causam Rothaldi iudicantibus, ad quem extat reddita epistola Nicolai, qua se ei confitenti, remittere peccatum, significat. A

*De origine Normannorum.*

## CAPVT XXXVIII. B

*Ab Aegidio additum.*

*Normanni origine Dani.*

IGitur, Normanni, origine Dani, octingẽtesimo octuagesimo sexto ab incarnatione Domini anno, duce quodã Rhollone, nomine, à Sythia inferiori egressi, atq; per Oceanum vecti, cum sæpenumero tàm Germaniam, quàm Galliam, more piratico, per eadem Oceani littora concurrentes, infestassent, tandem egressi, Galliam, quę in parte Galliã respicit, inuaserunt, ciuitatemq; in ea Rothomagum occupantes, vsq; in hanc diem, Normanniam, de suo nomine, vocauerunt. C

*Vnde sic dicti.*

*Rex Franciæ init fœdus cum Rollone Normannorum duce, & ei filiam suam vxorem cum Normannia loco dotis tradit.*

*Rollo baptisatur a Francone Rothomagensi episcopo anno Domini. 912.*

Francis tunc Carolus qui simplex dictus est, imperabat. Normãni verò, linguâ barbarâ, quasi homines Septemtrionales, dicti sunt, eò quòd primum ab illa mundi parte venerunt. Carolus autem Rex Francorum, inito cum eis fœdere, filiam suam Rolloni vxorem dedit, eamq; terram, quæ nunc Normannia vocatur, concessit. Qui scilicet Rollo, anno ab incarnatione Domini nongentesimo duodecimo, à Francone Rothomagensi Episcopo, baptizatus, Robertus nomen accepit, atq; exinde gens Normannorum Christo credens, fidei subiecta est.

Rollo qui Robertus; Willermus longa spata, filius eius; Richardus, filius eius, Robertus, frater eius; Willermus Notus, filius eius. Hic Angliam conquisiuit; Willermus, filius eius; Henricus, Frater eius. Sed his omissis, ad historiæ textum redeamus. D

### ANNOTATIONES.

1. De suo nomine] *Ita codex Groesbeeckanus & Capucinorum. Quidam:* Deæ suæ nomine.

2. Carolus autem Rex Francorum.] *Adstipulatur Sigebertus in chronographia, anno Domini 888.* Carolus, *inquit*, Imperator, cùm Normannos nequiret expellere, tandem facto fœdere, concessit eis regiones, quæ erant vltra Sequanam, quarum incolæ contra se rebellabant, quæ pars Franciæ, a Normannis, Normannia apppellata est.

*De Ste-*

A

### *De Stephano & Richario episcopis.*

## CAPVT XXXIX.

TRicesimum nonum habuimus Stephanum, qui prius in Metensi ecclesia B. Petri Prothomartyris canonicus, de ipsius inuentione, quæ nunc cantantur responsoria, edidisse dicitur. *Stephanus episcopus multa scripsit.*

Vitam quoque S. Lamberti antiquitùs dictatam simpliciter, vrbani sermonis facetijs expoliuit, simulq; respõsoria cum antiphonis, quæ in eius solennitate cantamus, composuit.

B Idem ipse, responsoriorũ de Trinitate auctor fuit, sicut sequẽs declarat epistola ab eius successore Richario episcopo dictata, cuius iste textus est.

---

### *De Stephano venerabili episcopo.*

## CAPVT XXXIX.

*Ab Aegidio additum.*

C IGitur, tricesimum nonum post Franconem, habuimus Stephanũ, virum religione & scientiâ clarum, qui prius in Metensi Ecclesia beati Prothomartyris Stephani canonicus, de ipsius inuentione, quæ nunc cantantur responsoria, edidit. *Stephanus primo canonicus Metensis.* *Scribit vitam S. Lamberti.*

Vitam quoq; Sancti Lamberti simpliciter antiquitus editam, vrbani sermonis facetijs expoliuit, simulq; responsoria cum antiphonis, quæ in eius solemnitate cantamus, composuit. *Edidit responsoria quæ cantantur die inuentionis S. Stephani.* *Et responsoria cum antiphonis quæ cantantur in solemnitate S. Lamberti.*

Sripsit etiam ad Robertum Metensem Episcopum capitularium librum, in quo capitula, responsoria, versus, collectas, per singulas noctis & diei horas, per integrum annum, distinctè congessit. *Et librum Capitularium ad Robertum Metensem episcopum.*

ANNOTATIONES.

D Igitur, tricesimum nonum post Franconem. ] *Sigebertus in chronographia ad annum Domini 903.* Francone, *inquit*, Leodiensium episcopo mortuo, Stephanus episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientia clarus, qui vitam & passionem S. Lamberti martyris, ad Hermãnum Archiepiscopum vrbaniùs edidit, cantum quoque nocturnum de eodem martyre, cantũ quoq; de sancta Trinitate, & de inuentione Stephani prothomartyris, dulci & regulari modulatione composuit.

*Et idem libro de viris Illustribus cap. 126.* Stephanus ex clerico Metensi episcopus Leodiensis, vitam & passionem sancti Lamberti scriptam incultiùs à Godeschalco clerico, scripsit vrbaniùs, &c.

2. Scripsit etiã ad Robertũ.] *Hausit hac Aegidius ex Sigeberto, loco iã citato.* A

## *Qualiter temporibus eius in episcopatu Leodiensi translatus sit S. Eugenius martyr & episcopus.*

## CAPVT XXXX.

*Ab Aegidio additum.*

TEmporibus pontificatus ipsius, floruit Sanctus Gerardus, fundator, & primus Abbas cœnobij S.Petri Broniensis, filius Namucensis comitis, de Plectrude sorore ipsius Stephani. Nam reliquiæ S. Leodigarij episcopi & martyris, & lapis super quem B. B Dionysius sacrum mysterium celebrauit in carcere, quùm Dominus Iesus Christus apparuit eidem, dans illi sacramenta; in dicto cœnobio, dicuntur esse translata.

*Corpus S. Eugenij Tolosani vrbis episcopi & martyris in Leodiensem episcopatum transfertur. S. Eugenius apostolorum discipulus passus est martyrium sub Fecennino præside. Stephanus episcopus legit passionem S. Eugenij & iubet eius festum celebrari.*

Per prædictum etiam Gerardum, corpus sancti Eugenij Tolosanę Vrbis episcopi & Martyris, in episcopatum Leodiensem translatum est. Qui beatus Eugenius, discipulus Apostolorum fuit, & à beato Dionysio, ordinatus Tholosanæ vrbis episcopus, passus est martyrium sub Fecennino præside, decimo septimo calend. Decembris, sub quo & beatus Dionysius passus est.

Igitur, cùm, vt supra dictum est, idem Gerardus vir nobilis, peruenisset cum corpore beati Eugenij Episcopi & martyris apud Bronium cœnobium, in parochia Leodiensi situm, in initio, ignorabatur sanctus martyr Eugenius à circummanentibus fidelibus, quis C esset, & ab ipsius parochiæ præsule, domino scilicet Stephano Episcoporum nobilissimo. Sed is, lecta passione beati Eugenij, gauisus est gaudio magno Stephanus episcopus, precepitq; continuò ipsius celebrari festiuitatem decimo septimo calend, Nouembris, in omni sua diœcesi, Louiniacensi pago.

*Diabolus per quosdam clericos studet impedire festiuitatem S. Eugenij.*

Cùmq; longe lateq; fama miraculorum eius, quæ per eum Dominus operabatur, diuulgaretur, cœperunt cateruatim circummanentes, ad memoriam beati Eugenij, apud Maloniam, cum oblationibus & luminarijs confluere, & sancti suffragium quæritare. Quod cernẽs D auctor inuidiæ Diabolus, virus suæ nequitiæ, per multorum corda Clericorum, in circuitu nequiter diffudit, adeò, vt venientes ad Dominum Stephanum episcopum, dicerent non esse ratum, vt incognitum in sua diœcesi permitteret venerari sanctum, qui si esset sanctus, nemini illorũ erat notum. Qui, vt beneuolus erat in Dei seruitio, iuxta viri sapientis prouerbium, *corrumpunt mores bonos, colloquia mala*, priorem cõmutauit sentẽtiam, & gaudio, quod ante habuerat de aduentu magnifici Antistitis Eugenij iræ permixto, assensit inuidorum consilio, hostis mundi dolo parato.

*Ecclesiast. 9. 1. Cor. 15. Decipitur Stephanus episcopus & sententiam de festiuitate S. Eugenij leniter reuocat*

Cum hac itaq; volũtate egrediẽs à Fossensi cęnobio, peruenit Maloniã, itinere prospero. Illuc cùm iam peruenisset serò, inuasit illum dolor colli permaximus, adeò, vt in vnius horæ spatio, speraret rebus humanis

A humanis excedere. Qua de re, festiuè accito ad se quodã presbitero, noïe Eurechingo; videtur, inquit, mihi, quod hũc ideò patior immanissimũ cruciatũ, quia cogitaui S. Dei, nouiter in nostrã diœcesim delatũ, tuis tuorũq; sodaliũ cõsilijs deprauatus, debito honore frustrari. Ob id ergò, absq; mora, duas candelas præpara, iuxta longitudinem corporis mei ac latitudinẽ, & defer ante sanctissimi viri glebã, cuius ope & clementia, ab hac qua miserabiliter crucior, pœna, spero me recepturum sanitatis remedia. Qui ilicò iubentis imperio paruit.

*Permaximo dolore colli castigatur. Encheringus cum sodalibus arguitur. Stephanus honorat corpus S. Eugenij.*

De nocte itaq; consurgens, strauit equum suum, duas secum ferẽs candelas, quas igne per quatuor partes accendit, & in solo pauimẽti, ante almiflui artus Eugenij, perfusus lachrymarum imbre, in modũ

B crucis strauit. Cumq; fomento, ignis videlicet, cera ex integro esset consumpta, sospitas Episcopo è vestigio est restituta.

*Restituitur sanitati.*

Comperto itaq; Stephanus episcopus, sancti Eugenij martyris meritis, sanitatis remedium sibi esse collatum, in crastino vnum è suis Capellanis, ad memoratum destinauit locum, mandans æedituo, qui vocabatur Anselmus, vt Leodium ad Synodum proximò venturam pergeret, sanctiq; secum sæpefati passionem ferret, atq; obtutibus ipsius præsentaret. At ille, gratanter monitis obtemperauit põtificis, residentiq; episcopo cum multitudine Clericorum, recitata est in Synodo, in auribus eorum, eadem passio. Lecta itaq; per ordinem

*Iubet in Synodo legi eius passionem.*

C eiusdem passionis serie, hac episcopus circumsedentes affatus est oratione: Sciat hæc Sancta Synodus, hunc sanctissimum testem Christi, atq; Pontificem, in nostro episcopio, Christo opitulante, nouiter delatum, magni esse meriti ac honoris: Ideò, noueritis cuncti, quia cupimus eum tota mentis intentione venerari, vt apud regem Supernorum ciuium, intercessor existat pro nostrarũ excessibus culparũ. Accersito deinde Flodino decano, prǽcepit ei, per oẽm decaniã curę suæ cõmissam, eius ex noïe, S. Eugenij martyris, atq; põtificis Christi, iuberet solẽnitatem celebrari, & neq; ipse, nec vllus aliquis decanorũ qui post eum venturus esset, soniacã episcopis Leodiensibus debitã ab eodẽ loco vbi ipsius Sancti corpus quiescit, accipere præsumeret.

*Stephanus ostẽdit S. Eugenium magni esse meriti & honoris. Mandat celebrari festum S. Eugenij per Decaniam Flodini Decani. Obsonium episcopo debitũ in loco vbi S. Eugenius quiescit, remittit.*

Eo tempore, idem ipse Stephanus episcopus responsoriorum de

D Trinitate auctor fuit, sicut sequẽs declarat epistola, ab eius successore Richario, episcopo dictata, cuius iste textus est.

*Stephanus auctor responsoriorum quæ canuntur in ecclesia leodiensi ipso festo Sanctissimæ Trinitatis*

ANNOTATIONES.

1. Soniacam episcopis Leodiensibus debitã. ] *Ita legunt codex Aureæ vallis, Groesbeeckanus & alij vetustiss. codices: fortè intelligit obsoniũ episcopis debitũ.*

2. *Hic Stephanus sanctitate & scientia clarus, diligens etiam fuit in conseruandis & augendis ecclesiæ Leodiensis rebus, recens præsertim Franconi episcopo donatis, vt ex subiectis Lodouici regis diplomatibus videre poteris, quæ sic se habent.*

I*N nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Hlodouicus, diuina ordinante gratia, Rex.

Si ecclesijs Dei, suisque rectoribus aliquid emeliorationis ad maiora subleuando roboramus, dubium non est, à Deo nos accepturos

 retribu-

retributionem, propter cuius hæc agimus honorem. A

Quocirca, omniũ Sanctę Dei ecclesiæ fidelium, & nostrorum, præsens futuraq; comperiat generalitas, quoniã Herimãnus Agrippinẽsis ecclesiæ archipræsul inclitus, simulq; Repehardus & Reginharius egregij comites, ad nostræ sublimitatis accedentes excellentiã, vice Stephani venerabilis episcopi, humiliter sunt deprecati, vt ob Dei, sanctæque Mariæ, atque Lamberti Martyris amorem, cuncta quæ retrò, omnibus temporibus, Tungrensi ecclesiæ fuerunt tradita à nostris prædecessoribus, pari voto, eidem habenda concederemus, ac nostræ auctoritatis præcepto inuiolando tutaremus. Quorum itaque petitionibus tantò libentius cessimus, quantò amplius id nobis à patribus nostris profuturum prospeximus. B

Idcircò, hoc nostræ confirmationis præceptum fieri iussimus, per quod, Laubacensem abbatiam à Domino patre nostro Arnulpho Rege gloriosissimo datam, in pago, ac in comitatu Hainuensi sitam, cuius ad præsens Comes videtur adesse Sigohardus, ad fiscum, nomine Tectis, à Rege Suendipolcho fratre nostro concessum, in pago ac in Comitatu Liwensi positum; cuius etiam inpræsentiarum idem Comes dignoscitur existere Sigohardus: atq; abbatiam, nomine Fossas, per prestariam, à Gisla abbatissa nostra consanguinea, nostræ voluntatis consensu, acquisitam, in pago ac in Comitatu Lummensi constitutam; cuius nunc adest Comes Perengarius. Insuper, teloneum, ac monetam de Traiecto nostra donatione, cum consensu Albuini eo tempore illius Comitis concessam. Pariter quoq;, abbatiã, C Heriboteshelm, nomine dictam, quæ à Gerhardo quõdam Comite, proprio iure habita, postea, pro culpa infidelitatis contra nostram Serenitatem exhibita, nostro cessit donatui versa, quam prælibato Stephano, ipsius proprio affini, quandoquidem mansit semper fidelis, dare volentes; tamen suæ iam dictæ ecclesiæ, ipsius precatu, dedimus hæc nominata, & omnia cætera, cum omni suorum integritate, quæ ibi nunc sunt, vel iustè acquiri poterunt iam sæpius dictæ Ecclesiæ, pastoriq; præsenti Stephano, & qui Dei nutu venturi sunt, æternaliter possidenda concedimus.

Eo videlicet ordinis modo, vt quicquid secundum Dei ac suam dispositionem facere maluerint, libero, quemadmodum ex alijs ecclesiasticis rebus, in faciendo potiantur arbitrio, quatenus, ob hanc D nostræ mercedis seu parentum nostrorum emeliorationem, pro nobis, & pro illis, præsens, futuriq; præsules, eum omni sibi congregatione commissa, Deum libenter exorare festinent.

Vt autem huius nostræ auctoritatis confirmatio, pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propria eam subter firmauimus, annuliq; nostri impressione, insigniri iussimus.

*Sigillum*

A

*Sigillum Domini Hlodouici Serenissimi Regis.*



Ernuldus Cancellarius ad vicem Ratpoti archicancellarij recognouit. Datum decimo quinto calend. nonarum Februarij, anno in-
B carnationis nongentesimo octauo, Indictione vndecima, anno autem regni Domini Hludouici, octauo. Actum Aquisgrani palatij fœliciter, *Amen.*

IN *nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Carolus, diuina propitiante clementia, Rex Francorum.

Si Deum præ omnibus habendo, in augmentandis suis ecclesijs honoramus, nostrosq; fideles in suis rectis petitionibus libenter excipimus, diuina, humanaq; nobis simul conciliamus, atque Regiam liberalitatem, moribus paternis, exequentes sumus.

C Quocirca, omnium nostrorum fidelium, præsentium videlicet ac futurorum, comperiat solertia, quòd Dudo Virdunēsium episcopus, Aiginerus Marchio strennuus, pariter etiam Robertus nostræ Serenitatis exequutor fidelissimus, nostram adierunt excellentiam, poscentes prorsus, vti interuentu Stephani venerabilis Tungrorum episcopi, nostræ consanguinitati affinis dilectissimi, partibus sanctæ Dei genitricis Mariæ, almique martyris Lamberti, in proprium traderemus forestem, quæ olim pertinuerat ad Tectis villam, quam dato fisco Zuendipolchus retinuerat ad manum regiam, quamque constat in pago Luuiensi atque in comitatu Sichardi sitam, atq; istis finibus circumquaque conclusam, terminatur à Wlfingi fago, vsque in fluuium Ambleuam, inde ad monasterium Stabulaus, sicque vadit
D ad . . . . . . . & inde ad Salceias vsque ad Nordrees fontem, & ad Hauernij vsque ad Vesere, & idem ad riuum de Solmania vsq; ad Solergeas & Hukelebac, vsque ad Veseren & Geislampiam, vsque ad hospitale, & sic reuertitur ad Wlfingi fagum. Horum itaque petitioni gratanter assensum præbentes, egimus iuxta quod fuerant obnixè poscentes. Delegauimus namque ipsam forestem prælibatis partibus iure perpetuo in proprium tenendam, & totum vndecūq; ad integrum, velùt dudum semper in Regum manibus consliterat, firmauimus omni tempore possidendam, in tantum, vt neque à quoquam venatio vllatenus fiat per vllum, nisi prælati illius ecclesiæ licentiam omninò habuerit indeptam. Si quis ita temerario ausu in ea venari præsumpserit, sic bannum regium inde componat, quomodo antea

do antea componebatur, dum Regum in manibus steterat. A

Et, vt hæc nostræ auctoritatis præceptum perpetualiter manens, semper sit inconuulsum, has testatorias literas exinde fieri iussimus, annulique nostri impressione subtus insigniri præcepimus.

*Sigillum Caroli Regis gloriosissimi.*



B

Gonsuinus notarius ad vicem Heriuei Archiepiscopi, summique cancellarij recognouit. Datum octauo calend. Septembris, indictione tertia, anno vigesimo tertio regnante Carolo Rege gloriosissimo, redintegrante decimo octauo, . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Actum monasterio S. Arnulphi in Dei nomine fœliciter, *Amen.*

23. *Reperio in codice Aureæ vallis hanc annotationem marginalem*: His temporibus, *scilicet*, 860. anno primo Lodouici secundi, sexto Idus Februarij, passus est in Hoyo gloriosissimus Comes Maingolidus, qui fuit ex C sorore nepos Arnulphi Imperatoris. Comitatus itaque Hoyensis prouenit ei ex parte Geilæ vxoris suæ, quæ fuit vxor Guilhelmi comitis Hoyensis. Horum filius fuit Liethardus, & alij hæredes, qui tenuerunt comitatum successiuè, vnus post alium, vsque ad tempora Aufredi Comitis, qui fuit temporibus Nothgeri Leodiẽsis episcopi.

---

## *Exemplar testamenti Richarij.* D

## CAPVT XXXXI.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

OMnibus sanctam Trinitatem confitentibus, Patrem, & Filium, & spiritum sanctum, Richarius Leodiensis episcopus, salutem.

Nouerit industria fidelium, tàm præsentium quàm futurorũ, quia venerabilis vir prædecessor videlicet noster Stephanus, in honore S. Trinitatis, quædam responsoria, cum antiphonis nocturnalibus, siue matutinalibus, necnon vespertinalibus, totumque ad plenum officium

A officium dulcissimæ modulationis stabilire curauit, credens sibi suęque ecclesiæ liquidò profuturum, si debitas ei laudes speciatim deferret, cui nihil addi vel minui potest, quia semper est quod est, cui proprium est, cui sempiternum est, cui idem est esse, viuere, & intelligere.

Cuius exempli vestigijs nos quoque innitentes, in ecclesia sancti martyris Lamberti, super sepulturæ eius locum, altare in eiusdem S. Trinitatis honore & nomine, dedicare curauimus; quamuis à cunctis fidelibus Domini, & Dominum trinum in personis, vnũ in substantia, colendum vbique & adorandum non ignoremus.

Actum est hoc anno incarnationis dominicæ nongentesimo tricesimo B secundo, sub die sexto decimo kalendarum Decembriũ. Nunc ad propositum redeamus.

*Additio Aegidij.*

Præfuit idem Stephanus episcopus ecclesiæ Leodiensi annis octodecim, eo tempore, quo Romanam ecclesiam rexerunt, sibi inuicem succedendo, Ioannes nonus, Benedictus quartus, Leo quintus, Christophorus primus. Obijt decimo quarto calend. Iunij, sepultusque est sub altari Sanctæ Trinitatis, in cripta scilicet Sancti Lamberti, regnante Conrardo Romanorum Imperatore huius nominis primo. Quo defuncto, anno Dominicæ incarnationis nongentesimo vigesimo, Henricus primus, genere Saxo, filius Ottonis Ducis, octuagesimo loco ab Augusto, imperauit annis octodecim C ferè.

*Præfuit Stephanus ecclesiæ Leodiensi 18. annis.*

*Vbi sepultus.*

Hoc tempore, clarebat inter nobiles Lotharingiæ Sanctus Wibertus, qui Gemblacense cœnobium fundauit, cuius primus Abbas Herlinus extitit, in sui patrimonij hæreditate, ad honorem Beati Petri Apostolorum principis, in parochia Tungrensi; qui diuitijs, nobilitate & potentia clarus, cingulum mundanæ militiæ deponens, cingulo Sanctæ religionis, in monachico habitu se accinxit, in ecclesia Gorgiensi Metensis Diœcesis.

ANNOTATIONES.

Hoc tempore clarebat. ] *Hausit hoc Aegidius ex Sigeberto in chronogra-* D *phia ad annum Domini nongentesimum vigesimum.*

---

### *Item de Richario episcopo.*

## CAPVT XXXXII.

IGitur, post hunc venerabilem virum, Stephanum videlicet, præfatus ille Richarius, ex Abbate Prumiensi, in episcopatum Leodiensem successit.

Hic ecclesiam Beati Petri Apostoli ædificijs ampliatam, dedicauit, A
& illic triginta canonicos constituit, ad quorum vsum, prædiorum & redituum sufficienti eam dote ditauit.

---

## *Item de Richario episcopo.*

## CAPVT XXXXII.

*Ab Aegidio additum.*

B

*Ordinatur Richarius, repudiatur Hilduinus, & quare.*

IGitur, post hunc venerabilem virum, Stephanum videlicet, præfatus ille Richarius vir catholicus & Abbas Prumiensis & Stabulensis, à Rege Francorum Carolo Simplice electus, per auctoritatem Papæ Ioannis, huius nominis decimi, Romæ ordinatur Leodiensis episcopus quadragesimus, repudiato Hilduino, qui pecuniâ datâ Duci Gisleberto Bullonienfi, ambiebat episcopatum Leodiensem, sed repudiatus, recessit à partibus nostris.

*Erigit altare ad honorem Sanctæ Trinitatis.*

Hic igitur Richarius, erexit altare ante corpus sancti Lamberti, in honore sanctæ Trinitatis, sicut testatur epistola, quam superius scripsit, de cantu sanctæ Trinitatis.

*Ecclesiam S. Petri Leodiensis à Normannis destructam reparat & consecrat.*

*Triginta canonicos instituit & dotat.*

Idem ipse episcopus, monasterium sancti Petri Apostoli in Leodio, ad pedem publici montis situm, à Normannis destructum tempore Frâconis episcopi, vt supra diximus, reparauit in ecclesiâ, quâ ædificijs & officinis ampliatam, in Maijo, die beati Maximini episcopi, consecrauit, sed Obertus Leodiensis episcopus, postea eam, in calendis octobris dedicauit, & ipse Dominus Richarius, triginta canonicos illic constituit: ad quorum vsum, prædiorum & reddituum sufficienti eam dote ditauit. C

*Rexit ecclesiâ Leodiensem 24. annis & vltra.*

Rexit autem idem Richarius Leodiensem ecclesiam annis viginti quatuor & vltra, sub Apostolicis, Leone sexto, Stephano septimo, Ioanne vndecimo, Leone septimo, Stephano octauo: sub Francorum Regibus, Carolo Simplice, & Lodouico filio eius. D

*Obijt 10. calend. Augusti. Sepelitur in criptaS. Petri. Postmodum transfertur ad altare Sancti Petri anno. 945.*

Obijt decimo calendas Augusti, sepultusque est in ecclesia sancti Petri, quam reædificauerat, in cripta ecclesiæ, ante sepulchra monachorum, sed processu temporis, per reuelationem cuiusdam venerabilis sacerdotis, se transferri iussit, ante altare beati Petri Apostoli, in sinistra parte cancelli, anno Domini nongentesimo quadragesimo quinto.

### ANNOTATIONES.

1. Ordinatur Leodiensis episcopus quadragesimus, repudiato Hilduino. ] *Hausit Aegidius ex Sigeberto in chronographia ad annum Domini 921. cuius hæc sunt verba:* Stephano Leodicensi episcopo defuncto, Richarius, vir catholicus, à Carolo, per auctoritatem Papæ, Romæ ordinatur

A natur episcopus, repudiato Hilduino, qui pecuniâ datâ Duci Gisleberto, ambiebat sibi ab eo dari episcopatum.

2. *De contentione quæ fuit inter Richarium & Hilduinum pro episcopatu Tungrensi, sic ex Frodoardo Gallo, huius temporis historico, scribit Baronius* : Hoc anno, *nempè vigesimo supra nongentesimum*, & sequenti quoque, agitatur inter Hilduinum Episcopum & Richarium Abbatem, de episcopatu Tungrensi, contentio. Siquidem rex illud episcopium Richario, quia Hilduinus à se desciuit, cui prius ipsum concesserat, dedit; Hermannus verò Archiepiscopus, Hilduinum ibi episcopum, eligente clero & populo, fauente quoque Gisleberto, quem plurimi Lotharienses principem, relicto Carolo Rege, delegerant, ordinauit. Carolus verò, reuersis ad se Lotharienſibus & ipso Gisleberto, Richario
B abbati, & non Hilduino, ipsum episcopatum concessit. *Hæc ibi. & anno nongentesimo vigesimo secundo:* Richarius, qui Romam profectus fuerat, propter episcopium Tungrense, reuersus est ordinatus à Ioanne Papa, episcopus. *Hæc Frodoardus.*

*Postmodum tamen, hic Hilduinus, in Italia Mediolanensis creatus est episcopus, vt postea ex epistola Ratherij episcopi ad Summum Pontificem Ioannem cognoscere poteris.*

---

C

## *De alijs quatuor episcopis.*

## CAPVT XXXXIII.

HIc in ordine cathalogi quadragesimus, quadragesimum primum Hugonem habuit successorem.

Hugoni, quadragesimus secundus subrogatus est Farabertus, ex Abbate Prumiensi.

Post hunc, extitit Ratherius, ex nostris partibus oriundus, à Veronensi episcopatu primitim deiectus, numero quadragesimus tertius. Hic, dum in mores hominum, tàm scriptis, quàm verbis,
D mordaciter nimis inueheretur, & nec potenti nec humili penitus deferret, indultis ei quantuliscumque episcopij reditibus, à sede propellitur, & quadragesimo quarto locum dedit Baldrico, cuius nonnulla apud nos habentur opuscula multo sale condita, quibus auditorum conscientias mordacissimo solet aculeo stimulare.

 A

## De Hugone episcopo.

### CAPVT XXXXIII.

*Ab Aegidio additum.*

*Natales & Virtutes Hugonis.*

HVic successit amor plebis, tremor Hugo potentum.
Clarus auis, clarus studijs, recreator egentum.
Hic in ordine cathalogi quadragesimus primus episcopus extitit, & præfuit Lodiensi Ecclesiæ annis duobus, & circa menses sex, eo tempore Romanam ecclesiam Martino Papa regente. B

*Præfuit ecclesiæ Leodiensi duobus annis & circiter dimidio.*

Obijt tertio Idus Aprilis, anno Dominicæ incarnationis nongẽtesimo quadragesimo septimo, Ottone Filio Henrici imperante in Alemannia.

*Obijt anno Dñi 947. 3. idus Aprilis.*

ANNOTATIONES.

1. Huic successit amor.] *Hic Hugo fuerat prius Abbas monasterij D. Maximini apud Treuiros, & officium illud gesserat annis 12. cum summa laude, vt notauit Kratepolius in annalibus episcoporum Leodiensium.*

2. Obijt tertio Idus Aprilis.] *Liber ecclesiæ Leodiensis ex quo leguntur commemorationes fratrum & omnium fidelium defunctorum, ponit commemorationem Hugonis, nono calendas Februarij.* C

---

## De Faraberto episcopo.

### CAPVT XXXXIIII.

*Ab Aegidio additum.*

*Farabertus primo Abbas prumiensis.*

QVadragesimus secundus, post Hugonem, Leodiensium episcopus subrogatus est Farabertus, vir religiosus, cùm esset abbas de monasterio Prumiensi. D

*Tempore Faraberti bellum inter Conrardum ducem & Raginerium comitem Haynonensem.*

Temporibus ipsius, bellum fuit super Mosam, inter Conrardum ducem & Raginerium comitem Haynonensium.

*Bruno Archiepiscopus Coloniensis gloriosus.*

Eo anno, mortuo Wigfrido Coloniensium Archiepiscopo, episcopatum suscepit vir gloriosus Bruno, frater Ottonis Imperatoris. Qui, quantus, qualisue fuerit apud Deum & homines, lector discat in vita ipsius, quam Rogerus luculenter descripsit.

*Moritur Farabertus anno Dñi 953. quinto calend. septemb.*

His diebus, obijt prædictus Farabertus Leodiensis episcopus, quinto calend. Septembris, anno Domini nongentesimo quinquagesimo tertio, cùm præfuisset annis sex.

*Præfuit annis sex.*

Floruit sub Papa Agapito, qui & Benedictus dictus est; sub Regibus Alemannorum; & Lodouico Francorum Caroli Simplicis filio.

ANNOTA-

A ANNOTATIONES.

1. Comitem Haynonensium. *Sigebertus legit* Baginoensium; *sic enim ille in chronographia ex qua Aegidius ista desumpsit*: Anno Domini 953. Bellum fuit super Mosam inter Conradum & Raginerium Baginoensiū Comitem.

2. *Reperio apud Baronium, hunc Farabertum anno Domini 948. interfuisse Synodo, quæ celebrata fuit ex præcepto Agapiti Papæ in Englehem palatio regali, in ecclesia beati Remigij honori dicata, septimo Idus Iunij, causâ videlicet maximarum dissentionum quæ agitabantur inter Regem Lodouicum & Hugonem principem, inter Artaldū quoq; Rhemensem episcopū, & Hugonem illicitè substitutū eiusdem vrbis præ-*
B *sidem, quæ dissentiones, omne perturbauerant regnum Francorum: ad quam Synodū celebrandam, aduenιente maximo sedis Apostolicæ vicario, conuenerunt etiam Germaniæ præsules cum quibusdam Galliarum episcopis.*

*Rotbertus videlicet, Treuirensis Archiepiscopus.*

| | |
|---|---|
| *Artaldus Rhemensis.* | *Roppo VVirzeburgensis.* |
| *Fridericus Moguntinensis.* | *Conradus Constantiacensis.* |
| *Vuigfridus Coloniensis.* | *Odelricus Augustensis.* |
| *Adalgadus Hamaburgensis.* | *Zelbardus Hildesheimensis.* |
| *Hildebaldus Mitnegardonurdensis.* | *Bernardus Halberstadensis.* |
| *Goslenus Tullensis.* | *Dudo Paderbornensis.* |
| C *Adelbero Metensis.* | *Michael Ratisponensis.* |
| *Berengarius Virdunensis.* | *Farabertus Tungrensis, & plures alij.* |
| *Fulbertus Cameracensis.* | *Quid de præscriptis capitibus definierint si quis scire desideret, legat Baroniū tom. 10. ad annum nougentesimum quadragesimum octauum.* |
| *Rodulphus Lutudinensis.* | |
| *Ricoo VVormacensis.* | |
| *Raimbaldus Spirensis.* | |

3. *Reperio quoq; primo libro chartarum ecclesiæ Leodiensis Farabertum nonnulla bona ecclesiæ suæ ab Ottone Rege impetrasse, vt ex subiecto eius diplomate constat, quod sic se habet.*

IN *nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*


Otto, diuina prouidentia, Rex.

D Si locis diuino cultu mancipatis aliquid impendimus augmenti, æternæ remunerationis cumulum speramus inde nos adepturos. Quocirca, nouerit omnium fidelium nostrorum cautela, tàm præsentium quàm succedentium, qualiter ob amorem omnipotentis Dei, interpellante nostram liberalitatem Duce Conrado, tradidimus ad Leodicensem Sedem, in honore semper virginis Mariæ dedicatā, quoddam monasterium, Eiche vocatum, super fluuium Votra constructum, situm in pago Husce in Comitatu Rhedulphi, quatenus præfatæ ecclesiæ, cui modò est Farabertus episcopus, suiq; successores eandem inde teneāt potestatem, quā in reliquis habent rebus ad suam sedem pertinentibus, cum omnibus ad prænotatum cœnobiū iustè spectantibus terris, mancipijs, cunctisq;, quæ dici vel nominari possunt.

Z 3 Et vt

Et, vt hæc auctoritas nostra, præceptumq; traditionis inuiolatũ deinceps permaneat, iussimus hoc conscribi, sigilliq; nostri impressione munitum, firmari. A

*Sigillum Domini Ottonis Serenissimi Regis.*



Eimo notarius ad vicem Brunonis archicancellarij recognoui.

Actum Chuitileneburg, anno Incarnationis Dñi nongentesimo quadragesimo quarto, quarto Nonas Iulij, Regni autem Domini Ottonis decimo sexto, indictione septima. B

---

## *De Ratherio episcopo.*

## CAPVT XXXXV.

*Ab Aegidio additum.*

*Ratherius primo Lobiensis monachus vir simplex sed doctus.*

*Fauore Hugonis regis constituitur episcopus Veronensis Fauet Arnoldo duci Baioariorum.*

*Ratherius ab Hugone episcopatu pellitur.*

*Scribit librum deplorans ærũnas suas.*

*Resistit Andropomorphitis.*

*Ratherius clarus verbis & scriptis à Brunone Archiepiscopo Coloniensi ordinatur episcopus Leodiensis*

POst hunc, extitit Ratherius, ex nostris partibus oriundus, primò Lobiensis cœnobij monachus, nimiæ simplicitatis, sed experientiâ liberalium artium nominatus, cum Hilduino, qui Leodiensem episcopatum olim ambierat, in Italiã ad Regem Hugonem profectus, Veronæ episcopus ab Hugone constituitur. C

Quinto verò anno ordinationis ipsius, Arnoldus Dux Baioariorum in Italiam contra Hugonem veniens, à Veronensibus, hortatu Ratherij episcopi & Milonis Comitis, suscipitur. Qui Arnoldus cũ Hugone confligens, vincitur, sicq; Ratherius episcopus, à Rege Hugone episcopatu pulsus, quia Baioarijs fauerat, Papiæ exiliatur. Vbi etiam scripsit librum, in quo faceta satis vrbanitate deplorat ærũnas suas, multa suæ causæ interserens, quæ possunt legentibus placere & prodesse. D

Eo tempore, Italiam vexabat hæresis Andropomorphitarum, id est, corpoream formam Deum habere dicentium, contra quam idem Ratherius episcopus Veronensium, verbis & scriptis reclamabat.

Reuersus verò in partibus nostris idem Ratherius, in verbis & scriptis clarus habebatur.

Interea, Faraberto Leodiensium episcopo mortuo, Ratherius bis ab episcopatu Veronensium depulsus, per Brunonem Coloniensem Archiepiscopum, anno Dñi nongentesimo quinquagesimo tertio ordinatur Leodiensium episcopus quadragesimus tertius.

Hic

Hic, dum in mores hominum, tàm ſcriptis quàm verbis, mordaciter nimis inueheretur, & nec potenti nec humili penitus deferret, indultis ei quantuliſcunq; epiſcopij redditibus, à Sede propellitur, anno Domini nongenteſimo quinquageſimo quinto, qui apud Lobienſe cœnobium, vbi monachus fuerat, receſſit, vbi ſeruiens Domino, decimo nono ab expulſione ſua anno, vitam finiuit, ſcilicet, anno Domini nongenteſimo ſeptuageſimo quarto, qui erat annus tertius epiſcopatus Dñi Notgeri Leodienſis epiſcopi.

*Propter nimiam mordacitatem pellitur ab epiſcopatu.*

*Moritur anno Dñi 974.*

Eius nonnulla apud nos habentur opuſcula multo ſale condita, quibus auditorũ conſcientias mordaciſſimo ſolet aculeo ſtimulare. Hic, poſteaquam pulſus eſt à Sede Leodienſi, ſcripſit librum, quem attitulauit, frenesim.

*Opera Ratherij.*

Scripſit & librum quem prætitulauit, Inefficax, vt ſibi viſum eſt, garritus. Hic etiam ſcripſit vitam S. Wrſmari epiſcopi Lobienſis. Scripſit librum de corpore & ſanguine Domini, & de prædeſtinatione Dei. Scripſit & librum egregium ſermonum.

Rexit autem Leodienſem eccleſiam ferè tribus annis, ſub Papa Benedicto qui & Agapitus dictus eſt, ſub Ottone Imperatore: ſub Frãcorum regibus, Ludouico, & Lothario filio eius.

*Rexit eccleſiam Leodienſem 3. annis.*

ANNOTATIONES.

1. Poſt hunc extitit Ratherius.] *Adſtipulatur Sigebertus in chronographia ad annũ Domini 928. his verbis.* Ratherius Lobienſis monachus, vir nimiæ ſimplicitatis, ſed experiẽtiâ liberaliũ artiũ nominatus, cũ Hilduino, qui in Lotharingia epiſcopatũ olim ambierat, in Italiã ad Hugonem Regem profectus, Veronæ epiſcopus ab Hugone conſtituitur, Hilduino Mediolani epiſcopo ordinato.

2. Arnoldus Dux Baioariorum.] *Meminit & huius Sigebertus ad annum Domini 932.* Arnoldus, *inquit*, Dux Baioariorum, in Italiam contra Hugonem regem veniens, à Veronenſibus ſuſcipitur, & cum Hugone confligens, vincitur.

3. Sicque Ratherius epiſcopus à Rege Hugone epiſcopatu pulſus.] *Ita quoq; Sigebertus.*

4. Hic, dum in mores hominum.] *Hæc Aegidius poſt Anſelmum: Cauſam propulſionis Ratherij ab epiſcopatu, paulò aliter videtur referre Rogerus, qui illi contẽporaneus fuit, in vita ſancti Brunonis cap. 37. & 38. qua habetur apud Surium tom. 5.* Libet, *inquit*, meminiſſe quoddam huius pij patris, *S. Brunonis videlicet*, pium & laudabile factum, quod in ipſis ſacerdotij ſui primordijs, vt pro luctu ſpirituque mœroris, in oppreſſorum cordibus excitaret ſpem ſalutis, effeciſſe cognoſcitur: quamuis hoc ipſum ob inopiam rectè iudicantium, linguæ calumnianti fuit obnoxium. Quid enim non peruertit inuidentia, qua nulla maior videtur eſſe amentia? Siquidem Ratherius, Veronæ, quæ ciuitas eſt Italiæ, ordinatus præſul, cùm ex quadã leui ſuſpicione, vt mos eſt gẽtis illius, ab honore propriæ ſedis eſſet expulſus, Leodiẽſi cathedræ vacãti, magnâ eius induſtriâ, ſecundum ſtatuta canonum, incardinatus eſt.

Quod

Quod quidem propter abundantem doctrinam & eloquentiam copiosam, qua inter sapientissimos florere visus est, non eidem solum Ecclesiæ, cui præfuit, sed & multis alijs circumquaq; valde proficuum fore putatum est. Simul, quia in illis partibus per Zelum & contentionem, vndè fieri solet inconstantia & omne opus prauum, quidam etiam sacerdotes Domini plerumque, quod dictu nefas est, terrenæ plus iusto confisi potentiæ; populum imperitum scandalizabant: sæpè dictus, sæpeq; dicendus Dominus Bruno, cui iam totius regni dispensandi cura imminebat, ratus id quod verum fuit, hūc eiectum antehac & neglectum, hoc tanto beneficio ad illud fidei, & veritatis fœdus adduci, vt à nemine posset seduci, ità demum os loquentium inimica obstruere posse credidit, si nulla occasio scandali posset in eorum episcopo reperiri. Sed ad sui perniciem pars sinistra præualuit, quicquid pro salute eorum gestum est, hoc sibi pestiferum æstimabant. Quid multa? Erratum est, sæuitum est, nec cessatum est, donec expulsione eius, crudelitati suæ & nequitiæ satisfacerent. Ablata est omnis spes restitutionis eius: conspiratio enim grauissima facta est, quæ, nisi & hic penitus amoueretur, & eundem locum Baldricus, qui erat de magnatum terræ illius prosapia oriundus, subrogaretur, sedari non posse visa est. Ad hanc sententiam tempestates vndiq; innumeræ confluxerunt. Nauis ecclesiæ, laborante remige, fluctuauit: gubernator ipse, procellosæ tempestatis impetum ferre non potuit.

Cessit igitur, cessit, ne vinceretur à malo, sed vinceret in bono malum. Cessit aduersantium voluntati, vt suo eos gladio iugularet, sibi obstricti sunt sacramentorum fide spontanei, vt si accipere mererētur episcopum quem petebant, inuicta exindè firmitate authoritatem Ecclesiæ et ius Imperatorium tuerentur. At, ne quid in eiusmodi negotio imperfectum restaret, quod curiosis alienarum rerum inuestigationibus scrupulum commoueret, cum Imperatore germano suo id effecit, vt Ratherio episcopo, bis iam destituto, antiqua sedes Veronensis ecclesiæ, redderetur. *Hactenus Rogerus.*

*At, non hic finis angustiarum eius: Siquidem iterum Verona pulsus est ab Hugone in Italia regnante. Cuius expulsionis eam asserunt causam, quòd in eius prauos mores inuectus est: potius verò eiectionis ea fuit causa, quòd in suspicionem adductus esset, quòd in Italiam, contra eundem Hugonē, Arnoldū vocasset, ob idq; de triplici sua eiectione ipse lusit hoc versu:*

Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul.

5. Eius apud nos nonnulla habentur opuscula.] *Sigebertus libro de viris illustribus cap. 128. hæc eius opuscula hisce verbis recenset:* Ratherius ex monacho Lobiensi episcopus Veronensis, vir miræ simplicitatis, scripsit vitam S. Vsmari Lobiensis, & bis pulsus ab episcopatu Veronensi, scripsit librum, in quo faceta satis vrbanitate, deplorat ærumnas suas, multa suæ causæ interserens, quæ possunt legentibus placere

A cere & prodesse. Postea, ordinatus episcopus Leodiensis ecclesiæ, & ab ea pulsus, scripsit librum quem attitulauit, Frenesin: scripsit librũ quem prætitulauit, Inefficax, vt sibi visum est, garritus. Scripsit librum de corpore & sanguine Domini, & de prædestinatione Dei. Scripsit contra hæresim Antropomorphitarum, id est, dicentium quòd Deus habeat corpoream & humanam formam, quæ hæresis tunc grauiter vexabat Italiam. Scripsit Agonisticon, id est, præloquiorum libros sex, Confessionum librum vnum, & alia. *Hactenus Sigebertus. Reuerendus D. Guilhelmus Gilbart Abbas Lobiensis modernus, cùm ante aliquot menses Lobij essem, codicem peruetustum, manu (vt existimabat) ipsius Harigeri descriptum, mihi ostendit, in quo ferè omnia opuscula à Sigeberto superius no-*
B *minata continentur, & insuper epistolæ plures: quarum prima ad Summum Pontificem scripta, sicut & aliæ duæ, vna ad omnes Italiæ, Germaniæ, & Galliæ episcopos, altera ad Brunonem archiepiscopum Coloniensem, multam historiam hanc illustrant, quas idcircò hic subijci curauimus, quæ sic se habent.*

## *Epistola prima Ratherij episcopi ad Ioannem Summum Pontificem.*

SVmmo primæ, hoc est, Romanæ Sedis Pontifici, Domino Patriarchæ Reuerendissimo Ioanni, Ratherius peccator & exul.

Paruitatis meæ qualitatulam, omnigeno calamitatum genere per annos iam viginti fatigatam, & à pueritiæ oris in oras senectu-
C tis, per innumeros ærumnarum scopulos, infœlicissimè deuolutam, vestræ Paternitatis prouoluens vestigijs, Domine Reuerendissime, Archipræsulum Archiepiscope, &, si de vllo mortalium iure dici possit, vniuersalis Papa nominande; precor in omnipotentis amore, vt quærelam miseriarum mearum patienter ac benignè suscipiatis, eiusque vice mihi, vel serò succurratis, cuius ideò Sedem obtinetis, vt portas inferi præualere aduersus ecclesiam non sinatis, in quantum scilicet, reniti, cum Dei, ipsiusque adiutorio, valeatis.

Quòd si de persona conquerentis, vociferantis, & præ angustia
D clamantis requiritis; ego, ego sum, Domine, miserrimus ille, qui Veronensibus datus episcopus, ipso, vt ita, neque absurdè loquar, die destinatus sum, quam hîc deploro, perditioni. In cuius persequutione ita omnis pene quasi coniurauit mundus, vt miserrimo, omniumque etiam consanguineorum auxilio destitutissimo mihi visum sæpissimè sit, quòd nullus fuerit tàm iustus, qui in me non extiterit iniquissimus; tàm munificus, qui non tenacissimus; tàm pius, qui non crudelis; tàm cæteris per humilitatem submissus, qui mihi non alter visus sit Tarquinius; tàm verax, qui in promisso vel vllũ veritatis verbum mihi dicere sit dignatus, à summo, scilicet nobilitatis, vsque ad infimum seruitutis.

Quòd si aliquis excipi valet, excipiantur Germani, ac solum-

modò & difficillimè, abundante, videlicet, iniquitate, & refrigescente charitate, episcopi; qui, vt reor, si quid commodi mihi contulerunt, metu illius in decretalibus Alexandri Papæ egerũt; qui ait: *Quicunq; ex vestro collegio fuerit, & ab auxilio eorum episcoporum vtiq; & destitutorum se subtraxerit, non sacerdos, sed scismaticus iudicabitur.* A

Ego sum, Domine, ego, quem Græcia orienti, Hispania valet nũtiare occidenti, se vidisse aut pallere tristitiâ, aut rubere præ verecũdia; quem iam vbique videri, atque ab omnibus gyrouagum pudet vocari.

Miretur quis, quomodò quod cunctis erat canticum, vestro Apostolatui quiuerat esse cœlatum.

Hoc ad meę quoque, peccatis merentibus, damnationis cumulum, quòd nec apud vestram sacratissimam sedem, neque apud aliquem principum vel potentum, intercessorem inuenire nunquam valui vllum. B

Vt autem quondam Paulus Cæsarem; ita ego appellabam Romanam sedem.

Verùm, vt strictim tacta dilucidem, & quo valeo succinctiùs, Notgero, faustæ recordationis episcopo, meliora, vt remur, petente, datum episcopium est meo Domino Hilduino, iure stipendiario, promisso Regis, qui me tunc oppido, vt credebatur, diligebat manente: quòd vbi illum altius promouendi locus emergeret, ego petentibus darer episcopus. C

Intronizato Mediolani eo, vt se instabilitas mundanæ sæpè continet volubilitatis, longe aliter atque promiserat, Regi placuit, cupiẽti potius, vt fama erat, vnum è tribus, aut quendam Aquitanum, aut quendam Garafridum, aut Manassen Arelatensem Archiepiscopũ, citra ius licet canonum.

Inter agendum, reuertor à Romana sede, peracta legatione, ferẽs priuilegium pro iam dicto Domino meo actũ, cum Archiepiscopali pallio.

Allatæ cum his sunt & literæ Domini Papæ, tunc temporis, Ioannis gloriosæ indolis, quibus continebantur preces eiusdem, totiusq; Romanæ ecclesiæ, vti ego Veronensibus darer episcopus. D

Displicuit hoc non parum Regi contraria molienti, sed obtinuit deprecatio Apostolica, instante rogando meo iam dicto, cum primoribus regni, Domino. Ego semiuiuus penè iacebam infirmus. Persuasum est Regi, puto, à me diligentibus, quòd non euaderem. Hac spe pellectus, consensit, satisfacere gestiens tàm Domino Papæ, quàm cæteris, quos inconueniens videbatur offendere rogantes.

Euasi, ordinatus sum ego: iratissimus redditur ille, iurauit per Deũ (nec est mentitus) quòd diebus vitæ suæ, de ipsa ordinatione non essem gauisurus.

Misit ergò in pitaciolo certam quantitatem stipendij, quod tenerem

A rem de rebus ecclesiæ; de cæteris exigens iusiurandum, vt diebus illius, filijque sui, amplius non requirerem.

Ego, intelligens quanta absurditas hoc consequeretur, non consensi. Quid magis? Adhibuit vndiq; persequutores & aduersarios, qui aut deterrerent me, vt effugerem, aut irritarent, vt in illum excederem, & vt expellendi me, inueniret occasionem.

Nactus est, cœpit me, retrusit in custodiam in quadam Papiæ turricula, non dico, sine mei culpa, sed citra legem, ita hæc egit, & sine audientia.

Dicat hic quisq; quod volet: *Temerarijs enim iudicijs*, iuxta Augustinum, *plena sunt omnia*. Confiteor verò ex quo eum primitus vidi, vsq;

B dum hominem exuit, semper me Theodosij fœlicitatem Imperatoris illi optasse, & adhuc, eius recordatione, me grauiter affici dolore.

Duobus annis & dimidio, nisi fallit recordatio, priorem pertuli persequutionem, & totidem carcerale supplicium. Hinc emissus, subij totidem quoq; exilium.

Sed, cùm, per Dei misericordiam, ego, quidem eo inuito, fuissem liberatus, ille verò per Dei iustitiam regnandi honore priuatus, sedit animo illum adire, eiusq; calamitatem, omnibus diebus obsequio solari: Nam nec defuerat qui intimaret, serò licet, vt timeo, quòd Deus ab illo auertat, postulo, quòd pœnitens sæpè optasset, vt daret Deus quo ad eum venirem, & si valeret, restitutionem mihi impetraret: sin aliàs, daret pecuniæ tantum, vt amplius non egerem.

C Veniebam, comprehendit me Berengarius, instinctu Manassæ sanctissimi Archiepiscopi, & qui iure locum obtineat Ambrosij.

Tribus iterū & semis mensibus sub custodia retentus, indeq; emissus, Veronamque perductus, & à Milone dolo receptus, vt scilicet Manassen expelleret, ne pęnitentiâ ductus iuuaret, quem plurimùm, vt ferunt, nocuerat annunculum Regem. Quod martyrium versutijs eiusdem Milonis, per biennium pertulerim, satagam, si referre historiam putetis.

Summam tantummodò, vt breuissimè comprehendam, omnes Clericos, milites, colonos, & famulos, ipso contra me patrocinante, non Synodum agere, non Capitulo Clericorum interesse, non ali-

D quid quod emendandum esset, audebam solummodò commemorare, statuere quidlibet, vel destituere: nusquàm aliquid quod scire vellet, loqui poteram, quod non continuò sciret: Sacramento enim ab omnibus id, credo, extorserat. Et cùm omnes sui coram illo mihi detraherent, ille solus contra omnes, quasi pro me faciebat, vt scilicet prouocati, ampliora derogando referrent, ita vt alterum credere possetis antipatrum Herodis impij filium: nam boni aliquid maliuè agere, potestatis vel licentiæ erat meæ. Idipsum etiam quod ipso imperante aiebam, neque enim contraire eius præceptis audebam, vertebat in culpam Clericorum occultè struens contra me calumniam, mihi verò de eis promittens dolosè satis vindictam.

Hoc adeò processit, vt quadam die, dum ordines ecclesiasticos agerem, archidiaconus cum omni Clero exiens, me solum in ecclesia relinqueret, & alteram sibi contra me vendicaret. Et, ô tempora! ô mores! ô legis canonicæ publica coniuratio! ô (vt ita dicam) *abominatio desolationis*! O verbum factum in Israël, *quod quicumq; audierit, tinniant meritò ambæ aures eius.* A

Arelatẽsis archiepiscopus, tendens insidias Veronensi episcopo, cõsecrauit episcopũ quendã suę Diœcesis, in titulo ecclesię Veronẽsi.

Quis non miretur? Quis non obstupescat? Vbi enim fas? Vbi lex? Vbi sæcularis vnicuique prouinciæ certos distribuens inconuertibiliter limites? Vbi consideratio cuncta cernentis? Vbi? *Non transgredieris terminos, quos constituerunt tibi patres tui.* Non intelligunt ad hoc pertinere qui nesciunt quàm longe Verona ab Arelatensi absit patria. Vbi erat quod lex ait: *Si quis Metropolitanus, nisi quod ad suam quodammodò pertinet parochiam, agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit?* Et vbi: *Archidiaconum suũ præfixũ canonibus non excedens, teneat cũ humilitate locũ?* Sed hæc ad illos qui vnius sedis sunt archiepiscopi. Cui verò quinq; licet episcopijs præesse, nulliq; prodesse, quid poterit non licere? B

Horum verò omnium cùm incentor Milo esset & auctor, mei tamen & videri & dici ambiebat aduocatus & tutor.

Itaque callidissimè me affligebat, vt rarissimus esset in regno, qui non æstimaret amicissimum eum esse mihi omninò.

Ego verò miser eram diebus noctibusq;, ita confectus & anxius, vt tæderet me vitæ meæ, & mallem in Walberti, vt quondam, turricula, quàm sedere in veronẽsi cathedra; esurire sub Hugone, quàm epulari cùm Milone. C

Biennio & hoc tolerato, grauissimo omnium quos antea, & post, pertuli miseriarum, carcere, dùm ad vespertinalem persoluendam pergerem synaxim, affuit missus Domini Regis Lotharij præcipientis, vt vrbe decedens, darem locum Manassæ sedem meam inuadendi, adijciens amicale satis consilium, melius scilicet esse, vt secederem, quàm Milonis dolo aut exmembrarer, aut interficerer, aut, quod leuius his multò, sed grauissimum mihi esset futurum, comprehensus, quò minimè vellem, abducerer. D

Calamitosum hic accusare, cùm possum, deuito aliquem, ne adijciã super vulnerum eius aliquod, quod propheta conquerendo prohibet, dolorem. Quid plura? Feci iussus quod antea libentissimè fecissem iniussus, nisi interdixisset quod ait in euangelio de mercennario Dominus. Sed non potui agere impunè. Lupi illi gregem non quærebant inuadere, sed pastorem, persequutusque in vna ciuitate, fugere venialiter potui in aliam.

Interiecto dehinc tempore, dum gloriosissimus atque pijssimus, cunctoque celebratissimus orbe Rex noster, Italiam introisset, affui cũ eius clarissimo filio, tẽtans si daretur optio, vt meo restituerer loco. Sed impediuit, quòd alterũ illic institutum Rex inuenit, Milonis, scilicet

A scilicet nepotulum: ne difficile sit coniectare cuiusce rei causâ tanta mihi intulerit mala. Cui quidem Manasses sedem vendiderat, sed fautores huiusmodi ordinationis, licentiam se accepisse gloriantur ab apostolatu vestræ Dominationis.

Cædere igitur tàm apostolicæ vestræ auctoritati, quàm illius Regali Maiestati, quàm reprehendere si quid decreuissetis, tutius fore credens, statueram carceribus & exilijs, per Dei misericordiam exemptus, & in latitudinem liberi arbitrij eductus, solitudinem monasterij petere, & ibi expectare *Deum, qui saluum me faceret à pusillanimitate spiritus & tempestate persequentium*, causasq; expulsionis meæ à memet ipso pœnitendo exigere, meq; ipse, vt non iudicarer, iudicare, quod B statuissetis à Deo decretum, credere: summus enim Pontifex à nemine debet reprehendi, *& cor Regis in manu Dei*.

Quæ duo vtrûq; cõmonefaciũt, credo, illũ, ne reprehendẽda agat; istum, ne cor suum à manu Dei, id est, à gubernaculo, si Rex iure malit esse, quàm vocari, in disponendis regni necessarijs auferat.

Vestram credo paternitatem, neque voluisse, neque ausam fuisse contra legem canonicam alicui quidlibet agendi dare licentiam: illum non alia necessitate regnum ambijsse Italicum, nisi vt distortũ per multimoda iniustitiarũ huiusmodi scilicet, & aliarum inrectitudinum volumina, ad rectitudinem Christianæ legis, potestate Imperiali, cogeret regnum.

C Decreueram igitur, vt dicere cœpi, monasterium ita expeditus petere: sed rursum cogitãs in quali ordine illic quoque deberem esse, episcopi scilicet, an præsbiteri, an alterius, an nullius ordinis: dicturus est enim forsitan aliquis eorum, qui sibi arrogantes solent in corde, velut etiam hic publicanus dicere, quia nec cum bonis laicis in ecclesię publica admittendus sum statione: è diuerso forsitan alius, tantò dignior (inquit) quanto flagellò attritior, fluctuans inter hæc animus, cui potius assensum præbeat, ignorat. Veridicoque post, & hoc insperato percipiens relatu, mihi ab æmulis quædam obijci, pro quibus non vi, sed iure, ministerio sacerdotali me afferant priuari: D verens ne hæc mei cessio vel patientia, alicuius alterius, præsentis scilicet, aut futuri fiat depositio à dignitate propria: procliuis enim semper est in deteriora veteris Adæ posteritas, nulloque existente qui opponat se mũrum pro domo Israel, stans in prælium in die Domini, verendum, ne serpens per licentiam vulnus, in futurum multò fiat deterius, more ignis, qui modicas delambens paleas, dum pér incuriam non extinguitur, comburit sæpè ciuitates maximas. Præcauens etiam, ne iuxta illius in decretalibus dictum, qui ait: *Manifestum est confiteri illum de crimine, qui canonicè vocatus, iudicium subterfugit*: æstimer non vocatus quidem, sed prouocatus, iudicium me velle delitescendo effugere, ad pedes apostolatus vestri me prosterno, & quis è nobis duobus, cùm vna ecclesiæ sedes duos non admittat sedentes, episcopus sit, audire cupio.

 Si ego

Si ego : Veronensis ergò. Si ille: repulsio mea non furtiua esse debet, sed publica, ne ob falsum contrariæ suspicionis rumorem,contra nos clamet ecclesiæ terra, & sulci,iuxta Gregorium, eius cum ea. Adimi quoq; episcopo episcopatum,antequàm causæ eius exitus appareat, vtrum vlli christiano videri iure possit, à vestra Paternitate volo discere ; nam miser ego & imperitissimus, multa mei causâ perquirens & relegens, nusquàm hoc potui inuenire. A

Quòd si talis est culpa, conuenientius videtur, vt degradatus prius careat officio, post, episcopio, ne non iustè, sed inimicè videatur actum.

Ne igitur criminosus videar criminatus, aut fugax prouocatus,audientiam rogo, audientiam flagito, inuasoremque ecclesiæ meæ cũ ipso pastorum omnium pastore, audaciter furem vocitans & latronem,quia aliunde ascendit non per ostium introiuit.Etenim viuente viro, non dimittitur mulier legitimè. B

Corã apostolatu vestræ sedis ad certamen canonicum prouoco,eo etiam, si vestræ Dominationi placet, tenore, vt siue pro me,siue pro illo lex obtinuerit, episcepium cui vobis visum fuerit, tribuatis tantùm in Domino : præesse enim illic vlterius non concupisco, si prodesse, vt antea, nulli valeo.

Offenderit sanè, timeo, vestræ Paternitatis syncerissimum auditum, paulò quàm decuit seuerior, & quasi inuectiua in aduersarios oratio. Sed peto veniam dari afflictissimæ pusillanimitati : Nam si compatientis, & non dedignantis, erga meam vtamini miseriam affectu, aduertere prudentissimæ vestræ pietatis poterit dignatio, me istic nullum aliud illorum tetigisse vitium, nisi quod ad meum illis famulatum est detrimentium. C

Testor verò & promptissimè Deum, maluisse me in vno Probi, in altero mores Ambrosij, quàm aliquid inuenire quod carperem sinistri, eorum maximè quæ pertuli.

Verùm, vt in breuiloquio comprehendam quod opto, aut Veronensium esse conuincar, aut nequáquam episcopus; vniuersalem namque me Præsulem esse,non consequitur vllatenus, & tædet me in hoc vel errare, vel errandi alijs causas præbere diutius. Non põtificem quoque pontificalia præsumere, quanti sit periculi, tantò minus valeo ignorare,quantò frequentius missas aliquem laicorum celebrare,nullatenus præsumere perspicio quotidie. D

Vnum verò è nobis duobus episcopum non esse, cùm etiam infantum, si qua eis inest, satis euidenter valeat comprehendere ratio; quis autem nostrum sit, vestræ pastoralitatis decernere debeat prouisio, absq; maximo vestri, si dicere audeam, periculo, quandoquidem controuersia inde orta est, indiscussum relinquere non valetis omnino.

*Epistola*

A *Epistola secunda Ratherij episcopi.*

DOminis patribus, & reuerendissimis comprasulibus per vniuersam Italiam, Galliam, atque Germaniam in Domino constitutis, Ratherius peccator & exul.

Decreueram quidem, patres sanctissimi, sede propria, hoc est, Veronensi pulsus, liuori persequentium cedere, quod nonnullos probatissimorum legimus fecisse, solitudinemque monasterij petere, & ibi *expectare Dominum, qui me saluum faceret à pusillanimitate spiritus & tempestate*, contra ius, fasque impiè garrientium. Sed veridico percipiens

B relatu, quædam mihi ab insidiatoribus obijci, pro quibus non vi, sed iure me afferant episcopio priuari, dicenteque Apostolo: *Omnia licent, sed non omnia expediunt*, verens ne hæc mei licentia, in alicuius alterius, præsentis scilicet aut futuri, redundet damnum, vel calumniam, aut iuxta quod Iulius Papa Athanasij dicit accusatoribus: *Quia si in vera*, inquiẽs, *sideretis innocẽtia, nullo modo vos substraheretis à vocatione canonica*, æstimer tantopere quærere, quòd iudicio audeam nullatenus adesse, licet me canonice euocet, vestrum sacratissimum cœtum constantissimè appello. Consilium atque auxilium pro veritatis, quæ Christus est, amore deprecor. Non aliud nunc tamen, quàm Synodicam

C conuentionem, & promulgatam à Sanctis patribus legem.

Adimi namque episcopo episcopatum antequàm causæ eius appareat exitus, vtrum vlli christiano videri iure possit, vestræ paternitati dimitto iudicare. Conspirationum quoque crimina, plebisq; cõtra episcopum dissentionem, vtrum cum sancto Calixto Papa, antecessorumque eius turba quamplurima episcoporum, vt verbis ipsius vtar, spirituali gladio placeat ferire, an in præiudicium totius ordinis nostri patienter sinatis crescere & multiplicari, vestri erit arbitrij, non mei silentij. Itaq;, ne aut criminosus videar criminatus, aut fugax prouocatus, Concilium appello, inuasoremque ecclesiæ meæ, cum ipso pastorũ pastore, furem vocitans & latronem, quia scilicet aliũde, aliũde ascendit, non per ostiũ introiuit, ad certamẽ canonicũ

D prouoco, & si dissimulauerit, anathemate perpetuo, cum sacratissimis legibus, iustè, vt omnibus sanum sapientibus liquet, nisi pœnitendo resipuerit, Amen, respondeo. Nec incommemoratum vestræ paternitati pro me faciens illud B. Alexandri Papæ capitulum omitto, *Quicunq;*, ait, *ex vestro collegio fuerit, & ab auxilio eorum episcoporum vtiq; & iniustè destitutorum se substraxerit, non sacerdos, sed scismaticus iudicabitur.* Et illud prophetæ pariter non omitto improperantis, *Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini.* Et: *Canes non valentes latrare.* Illud quoque Domini: *Qui me erubuerit & meos sermones, & hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in gloria sua & patris, & sanctorum Angelorum.* Quod sagacissimè, vt opto, flagito, & desidero, vestræ paternitatis generalitate cauente. Deus pacis conterat

terat Satanā sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Iesu Christi, sit semper vobiscum. A

## *Epistola tertia Ratherij episcopi.*

DOmino seruulus decentissimo indignissimus Ratherius, seruitium fidelissimo fidelius, cum continuis orationibus.

Nihil dignius, insignius claritudine, ingenio acutius, sani, dicoi, ntellectus, in nostri ordinis inuenire valens hominibus, opusculum hoc, examini quoque vestri dirigo dominatus, studens & illud correctius recipere, & notitiam nostri, per hoc, vestræ generositati ingerere. B

Præfixum ergò quodammodò meæ qualitatis in eo cernentes tenorem, quid, barbarus vobis licet, in vestro seruitio nequeam valeamue agere, optimè potestis perpendere. Si itaque placet opus, placeat & operis exequutor seruulus. Nec dedignemini suggerere tantillum cognoscere, forsitan enim inter milia præstantiorum, & iste suum obtinebit locum.

Potestis autem, si libet, eundem & ad seruitiū adipisci, abesse enim vobis tenaciam remotissimè vobis audiui, cùm & adsint decētiæ mores illi, quos in sæculi huius diuitibus diuinitas meritò semper ambiuit. Remota igitur difficultate, vtimini potestate, scientes me hoc inhianter ambire. C

Præsaga enim mens quasi diuinare videtur, meam, per vestram claritudinem, releuandam destitutionem; tantum condignam congruamque vestro Dominatui impendere valeam seruitutem.

. . . . . . . . vestri per omnia clientulus, commendatorque per cuncta fidissimus. Cuius & optatu, nostroque precamur contingat rogatu, vt qui . . . . vestræ decentiæ indolem regali concessit prosapia pollere, eousque dignetur & prouehere, vt in hodierni temporis clero, non minus sint vobis omnia penitùs, infra, & in futuro, nil inter eos inueniri valeat supra.

Carmina istic subnexui, vt quidam assolent, nulla; non sum enim, mihi credite, poëta, quanquam nec lateat me poetriæ penitùs regula. Diffusiorem namque sum semper amplexus sermonem, obscuritatis odio, diffugiens contractiorem. D

6. Rexit autem Leodiensem ecclesiam ferè tribus annis.] *Ordinatus est episcopus, secundum Sigebertum, anno Domini 954. moritur, secundum eundem, anno Domini 974. vide calculi diuersitatem.* Ratherius, *inquit ibi Sigebertus,* ad annum iam dictum apud Lobias moritur. *Lego in supra memorato Ratherij codice, voluisse ascribi hunc versum suo monumento:*

Conculcate pedes hominum sal infatuatum.

*De Baldrico*

A

## *De Baldrico episcopo huius nominis primo.*

### CAPVT XLVI.

*Ab Aegidio additum.*

QVadragesimo quarto loco, Baldricus huius nominis primus, annitente auunculo suo Raginero Comite Montensi, Leodiẽsium substituitur episcopus. *Baldricus præfuit tribus annis.*

Hic circiter tribus annis præfuit, qui & obijt decimo quinto calend. Nouemb. Romanam ecclesiam Ioanne duodecimo Papa regẽte. Illis diebus obijt & S. Gerardus, fundator Broniensis cœnobij eo tempore. *Obijt 15. cal. nouembris.*

B

ANNOTATIONES.

1. Baldricus, huius nominis primus. ] *Quidam legunt* Waldricus.

2. Leodiensium substituitur episcopus.] Ratherio, *inquit Sigebertus*, ab episcopatu Leodiensium eiecto, Baldricus, annitente auũculo suo Raginerio Comite Montense, episcopus substituitur.

3. Obijt 15. calend. Nouemb.] *Liber ecclesiæ Leodiensis, ex quo commemorationes fratrum & omnium fidelium defunctorum leguntur, sub*, Prætiosa, *ad primam, ponit commemorationem Baldrici ad 12. calend. Maij. Quæ data secundum supputationem Aegidij, neq; Baldrico huius nominis primo, neq; secundo conuenit.*

C

4. Obijt & sanctus Gerardus. ] *Vide Molanum ad martyrologium Vsuardi, tertia die Octobris, & in natalibus Sanctorum, & Surium tom. 5. ad eundem diem. Annus obitus eius sepulchro ascriptus est 958. quod etiam asserit Sigebertus.*

5. *De hoc Baldrico vide Rogerium qui illi contemporaneus fuit, in vita S. Brunonis apud Surium tom 5. qui cap. 4. sic scribit:* Eo tempore, Bruno, generosa regum proles, annos circiter quatuor habens, liberalibus literarum studijs imbuenda Baldrico venerabili episcopo, qui adhuc superest, Traiectum missa est. *Et infra eodem cap.* Deinde, vbi prima grammaticæ artis rudimenta percepit, sicut ab ipso, in Dei omnipotentis gloriam, hoc sæpius ruminante didicimus, Prudentium poëtam, tradẽte magistro, legere cœpit. Qui sicut est & fide intentioneque catholicus, & eloquentia veritateque præcipuus, & metrorum librorũq; varietate elegantissimus, tanta mox dulcedine palato cordis eius cõplacuit, vt iam non tantum exteriorum verborum, verùm intimi medullam sensus & nectar, vt ita dicam, liquidissimum, maiori quã possit dici, auiditate hauriret. *Hactenus Rogerius. Hæc studiosè ascripsi, vt intelligas quos libros doceri curârit, aut docuerit ipse Baldricus, quantumq; fructum, in vnico discipulo S. Brunone reportârit.*

D

Bb De Eraclio

A

## *De Eraclio episcopo.*

## CAPVT XLVII.

*Cuius aliqua partes ab Aegidio addita sunt.*

*Eraclius primo Bonnensis præpositus.*

BAldrico post paucos annos defuncto, Eraclius Cisaspinæ Vercnæ, quæ alio nomine Bōna vocatur, præpositus, quadragesimus quintus episcopus substituitur.

B

*Additio Aegidij.*

*Vacat Coloniæ studijs literarū*

*Fit summus philosophus.*

Hic claro Saxonum sanguine oriundus, apud Coloniam Agrippinam ad literarum dispositus rudimenta, tantam postmodum in diuinis æquè & humanis assequutus est scientiā, vt summis par esse philosophis censeretur. *Hactenus Aegidius.*

Hic, cum eleganti morum probitate nobilitaretur, literarū etiam floreret scientiā, scholas per claustra stabiliuit.

*Additio Aegidij.*

*Primus per prouinciā scholas aperit.*

Totamque Leodiensem ecclesiam, imò totam prouinciam, nullis hactenus studijs illustratam, ad studium coaptauit, peritos clericos collegit, eosque magistros instituens, sua ope liberaliter pauit. *Hactenus Aegidius.* C

*Ipsemet docet in scholis.*

Quas scholas ipse vicissim, non indignum duxit frequentare, maiusculis lectiones tradere, si quid minus in lectione intelligerent, benignissimè enodare; spondens quæ non facilè paterent intellectui, se eis, vel centies aperiendo, iterare.

*Occupatus aut absens scholarum magistros per literas animat.*

Si quando autem contingeret, vt aut palatinis occupationibus intenderet, aut Imperialibus edictis constrictus, ab vrbe Leodiensi lōgius procederet, quos scholaribus reliquisset magistros, literis hortatorijs solebat animare, dulci metro frequenter eis alludere: adeò quibus præsens congaudere non poterat, sæpè ab Italia, frequenter à Calabria, vt charos filios, dulcibus epistolis, ad studendum prouocabat. Nec prius à tàm præclaro labore destitit, donec multos ex rudibus, tàm spiritualibus, quàm sæcularibus disciplinis exercitatissimos redderet. D

*Additio Aegidij.*

*Otto Imperator & Bruno archiepiscopus Coloniensis nihil magni sine eius consilio faciunt.*

Si quando autem pro re communi longius iret, non deerant cum quibus in itinere de scripturis tentaret. Vnde, Ottoni Imperatori, ac Brunoni Coloniensi archiepiscopo, ita charus fuisse perhibetur, vt nulla rerum maiorum exercerent negotia, nisi in illius præsentia, nisi eius essent consilio adstipulata. *Hactenus Aegidius.*

Et quia paulò ante mentio incidit Calabriæ, quiddam quod illic, eo præsente contigit, non pigeat memorare.

Imperator

A Imperator Otto, cùm exercitu per agros latè diffuso, Calabriæ fines occupauerat, cum subito ecclypsius solis defectus, pauore nimio perterruit vniuersos. Horâ quippe vix meridianâ transactâ, solis iubar cœpit imminui, passimque tenebris emergentibus, cerneres lucem diurnam in noctem nigrescere, & stellis apparentibus, mundũ iam vniuersum, nocturna obuolui cæcitate. Desperant omnes à salute, ipsumque iudicij diem iam putant imminere, & valida armatorũ manus, quę multas vrbes egregijs viribus excidisset, multos rebellantium populos ferro perdomuisset, hanc adulterinam rutilãtibus stellis noctem in tantum expauit, vt incredibili anxietate diuersas quasi tutandæ vitæ exquireret latebras, sicque alij vasis vinarijs, alij B cistis, alij sub carris, deformiter laterent.

*Exercitus Ottonis Imperatoris terretur visa ecclypsi.*

Stupet super his prudens antistes, non de ecclypsi solis, cuius optimè naturalem nouerat rationem; sed de irrationabili tot fortium virorum formidine, quos profectò nosset hostibus esse cõtemptui, si scirent eos teneri pauore tàm degeneri.

*Eraclius episcopus naturalem ecclypsis rationem sciẽs timidatos arguit.*

Sicque suis quemque latitantem foueis circumpetens ignauiæ accusare, innatæ virtutis reminisci monebat, arguens probrosè satis, cur qui tantis orti fuissent natalibus, quorum nemo vllis aliquando succubuerit rerum asperitatibus, sed & ipsi durioribus sæpè superandis assuefacti fuissent, ex hoc naturali solis defectu, animis tàm facilè labefactari potuissent, non debere naturales elementorum vices horrere, innoxias noctis huius tenebras, quas ilicò perituras visuri C essent, restaurato lumine, euanescere, timeri non oportere; virile verò robur, quod inani pauore perdidissent, debere resumere.

His tandem monitis expergefacta vano terrore prius sopita tot Heroum pectora, intuentur post paululum phœbeæ lampadis chorusco lumine, mundum vniuersum in proprium reformari statum, vidẽt diem terris redditum, quem paulò ante spectauerant ablatum; suusque sibi pauor postmodum iocundo fit ludibrio.

Multa idem episcopus à suis sæpè passus aduersa, cùm retribuere mala potuisset, malum potius patiendo superauit, nullam pro iniuria sua volens reddere vindictam.

*Eraclij patientia.*

Et, vt de multis sibi illatis iniurijs aliquam referamus: cùm ciues D Leodicenses aliquando malitiosè domum eius irrupissent, & rubeos vini Wormacensis riuos à monte beati Martini, vsque in Mosam decurrere fecissent, ipse patientiæ virtute repressus, malefactores illos inultos abire permisit.

*Iniuriam à quibusdam ciuibus acceptam inultam relinquit.*

Duas Leodij condidit ecclesias, quarum alteram in B. Pauli, alterã in beati Martini honore consecrauit, & triginta canonicos singulis deputauit. Tertiam quidem in honore S. Laurentij cœpit, sed ingruẽte mortis incommodo, non perfecit.

Corpus eius, post duodecim episcopatus annos, in ecclesia B. Martini reconditum est.

ANNOTATIONES. A

1. Eraclius.] *Sic communiter legitur. Codex Cruciferorum legit* Eueracus. *Codex S.Iacobi Domini Zantfliet*, Euraclus, *eodem modo & codex S.Laurentij. Vitam Eraclij scribit Renerus monachus S.Laurentij prope Leodium, qua incipit.* Egregium Leodiensis ecclesiæ decus.

2. Literarum etiam floreret scientiâ.] *In peruetusto codice Ratherij episcopi, de quo paulò ante mentionem fecimus, reperi epistolam Eueracli siue Eraclij, ad Ratherium tunc adhuc Veronæ episcopum agentem, in qua tum suam literarum sacrarum & prophanarum scientiã, tum simul eruditionem & virtutes, inprimisq; patientiam Ratherij demonstrat & prædicat, quæ sic se habet.*

B

## *Epistola Eueracli, seu Eraclij episcopi, ad Ratherium episcopum.*

DOmino & patri ter beato præsuli Ratherio, spectatæ opinionis viro, & probatissimo, Eueraclus seruorum Christi seruus, suus indignus licet vocari filius, quicquid in Christo Iesu fœlicius.

Hyperbaton cum ambagibus omittens, rem ipsam, quanta meæ pars vestra sit animæ, nudo & aperto sermone me iuuat describere; scholasticè si non valeo, vtinã vel rusticè, non fictè tamen, quia pura traho voce quod latet arcanâ non inenarrabile fibrâ, quãtum vos sinuoso in pectore fixi, notare gestio. Illud comicũ nostis: *Dauus sum non Aedipus*, vt fucatis verbis fallam audientes. Sed hæc hactenus. C

Audita verò & attentius percepta legatione vestra mellita, nondũ viso vel accepto, quod pio amore misistis, balsamo, literis vestris adhuc non lectis, non minimum erga me, quem cognoui, tàm magni & clarissimi viri affectus integer, mihi tantillo, accumulauit gaudiũ; liquor prætiosus, cuius ferè eram inops, vultũ non mediocriter exhilarauit datus. Audito tandem epitheto non meo nomini cõgruo, quod vestra charitas mihi, nulla commendatione actuum meorum, apposuit, vltra quàm credi potest, animum lætificauit.

Inde centies flexis genibus versus Veronam, vestra quasi lambens vestigia, millies mille vobis rependo gratias. D

Cuius verò virtutis, si quod in me apparuerit, qui nulla omninò præluceo, simulachrum, nusquam, si experimento discere cordi est, à vobis aberit elongatum.

Pristinam sæpè soleo ante oculos dulcedinem ponere, idque crebris libenter sermonibus repetere, & si mane non, vel post prandia inter bibendum, quomodò me fouistis, vt cõmanducandum cibum, sicut nutrices infantibus edentulis, in os meum traiecistis.

Quid ante, quid post, pro tanto beneficio cõmemorem, rudis sum & ignarus. Quis enim est vobis aut sapientia, probitate, aut optimarum artiũ studio, aut innocentia, aut vllo laudis genere præstantior? Tulliana vox sonat. *Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, nulla scribendi*

*bendi tanta vis, nulla copia, qua, non dicã exornare, sed tuarum virtutum laudes possit enarrare.* Patientia si memoratur, si fas est dicere, fide salua, ne Deũ offendam, tu es ipsa. Non saliuam glutto sorbuisti mercurialem, inque luto fixum potuisti transcendere nummum. Satyricos omittamus comicos, ad simplices redeamus & sanctos.

A

Non modò non rapuisti, sed nec quidem appetijsti aliena, largitus es propria, aliorum condolens miserijs, non fœlicitatibus inuidens alienis, *omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceres.* Natiua vobis supplex tendit manus patria, & vt redeatis, inuitat. Omnes, quotquot sunt vtriusque ordinis, clericalis seu militaris, mente, voluntate, studio, gestu, voce, vt veniatis, clamant, vos videre desiderant, seruitio vobis impendendo, nec numerum, neq; modum præfigimus vllum. Omnia nostra erunt in manu vestra, secundum quòd animo vestro insederit, ô dilecte Ratheri. Cuncta præuidete, disponite, constituite, & vt libuerit, in omnibus agite. Sub vestro pollice docto & artifice, manum ferulæ non erubescam subducere. Vos valete, vos plaudite, & gratia Domini nostri vos ab incursu malo tueatur continuè.

B

3. Imperator Otto cum exercitu per agros latè diffuso.] *De hac expeditione Ottonis in Calabriam & illius occasione sic habet Sigebertus ad annum Domini 969* Imperator Otto, dum partem exercitus ad Græcos misisset, vt vxorem filio suo Ottoni acciperent, Græci super eos irruunt, castra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, & Constantinopolim mittunt. Ad hoc dedecus vindicandum, Imperator Otto eminentiores suos in Calabriã mittit, qui Græcos aggressi, plures occidunt, plures detruncatis naribus dehonestant, & per Apuliam & Calabriã à Græcis tributum exigunt. Constantinopolitani, audientes à suis malè pugnatum esse in Calabria, contra Imperatorem suum Nicephorum insurgunt.

C

---

*Qualiter eum beatus Martinus à morbo qui vulgò dicitur Lupus, sanauit, & de ecclesijs ab eo constructis.*

D

## CAPVT XLVIII.

*Ab Aegidio additum.*

HIs diebus, occulto Dei iudicio, idem Eraclius episcopus, morbo qui Lupus vulgò dicitur, miserabilter laborabat. Patiebatur autem in natibus. Erat igitur videre miseriam.

*Vir maximus occulto Dei iudicio morbo turpissimo affligitur.*

Tàm grauiter enim vis valetudinis grassabatur, vt mirum in modum carnes viri, lupino more consumeret, corroderet, deuoraret, solumq; solatium, non quidem spes euadendæ ægritudinis, sed saltem dilatio mortis erat, quòd quotidie duo pulli gallinarum eplumes &

euifcerati mane, duoque vefpere, vice carnium viri confumendi, morbo ac fi lupinæ rabiei opponebātur. Nec fic ceffabat confumptio carnium eius; inuifceratus enim morbus, etfi aliquando extrinfecus pafcebatur, intrinfecam tamen materiam familiarius confumebat. Quid plura? Defperantibus medicis, cura omni inutiliter fruftraque confumpta, epifcopus, ac fi moriturus, ab humana falute penitus deftituitur. Sed, vt ait Dominus, *quæ impoßibilia funt apud homines, poßibilia funt apud Deum.* A

*Luc. 1.*

*Eraclius abiecta fpe humani auxilij in Deo fpem collocat per fuffragia & merita B. Martini.*

Audiens autem idem epifcopus, quòd poft beati Martini ab Antifiodoro reuerfionem, fiue poft corporis eius depofitionem, ob ipfius merita longè lateque propalanda, creberrimas Dominus, ad eiufdem venerabile fepulchrum, virtutes operari dignatur: quod fpiritu fibi intimante fentiens epifcopus, & de Martini fuffragio fpem, velut contra fpem concipiens, ad ipfum ex toto corde conuertitur, præfumens per eum poffe fieri, quod ars humana non poterat. B

*Vouet vifitare fepulchrum B. Martini.*

Voto itaque fe obligat, Martini fepulchrum fe vifitaturum, ab eo fideliter fe petiturum, quam, poft Deum, ab ipfo fibi dari fanitatem, folummodò præfumebat. Nec mora, pium votum pia voluntas exequitur.

*Peregrinatur ad Ecclefiam S. martini.*

Adiunctis igitur fibi honeftiffimis comitibus, & præparatis abūdè quæ neceffaria erant, iter aggreditur, fummoperè procurans, vt ad feftum fancti Pontificis, quod imminebat, occurreret. Quod & factum eft, nec latere potuit vel ægrotantis fublimitas, vel tantæ fublimitatis infirmitas: quantò enim quis eminentior, tantò eius infortunia latius diuulgantur. Quippe, fama fortunæ comes, quam illa fubruit, hæc diffamat. C

*Ecclef. 22.*

Intererat igitur moribundus epifcopus, epifcopi Martini viuis laudibus & feftiuis. Sed, vt dicitur, ei pofito *in luctu, mufica erat importuna narratio.* Vincebat deuotione mœftitiam, nec vnquam nocturnis vigilijs abeffe patiebatur. Multa Canonicorum circa eum compaffio, mira beneuolentia erat. Ipfe ante fanctum tumulum infomnis, pronufque pernoctabat, quia non nifi pronus vrgente incommodo, valebat fubfiftere. Continuatis itaque feptem diebus folemnitatis, Clerus & populus more debito lætabantur, ifte verò non diebus, non noctibus, à lachrymis & oratione ceffabat.

*Pernoctat pronus ad S. Martini tumulum.*

*Nec noctibus nec diebus ceffat ab oratione & lachrymis.*

*Dormienti apparēt SS. Martinus & Brictius.*

Septima demum nocte, oratione continua & doloris fatigatur acerbitate, vt erat ante fanctum tumulum proftratus, paululum obdormiuit, cùm, ecce fignipotens Martinus, pontificali decoratus infula, ei vifus eft aftitiffe: quem vt patrem filius, vt difcipulus præceptorem, fanctus Brictius fequebatur, & ipfe tamen epifcopaliter redimitus. Ad quem ita Martinus: Quid, Frater Bricci? Iuftumne tibi videtur, vt æger hic optatam recipiat fanitatem, qui tàm deuotus ex tàm longinquis partibus ad noftrum venit tumulum, tàm fuppliciter, tàm perfeueranter, noftram opem expetijt? Et Briccius: Domine (inquit) Si placet veftræ pietati, bonum eft vt ipfe priftinam recipiat D

A recipiat sanitatem, præsertim homo nostri ordinis,& cuius vita ordinem non deturpat. Tunc igitur Martinus conuersus ad ęgrum,& familiare sibi nomen crucis ore sacro depromēs, ipsamque crucem manu super eam depingens: Frater(inquit) sanat te Dominus Iesus Christus. Surge ergò sanus,& vocatis clericis meis, innotesce illis, quòd precibus meis adeptus sis sospitatem. Dices etiam eis, ex præcepto meo, quatenus te huius ecclesiæ meæ canonicum faciant. In testimonium autem glorię Christi,& tuæ sanitatis, præcipio, vt missam maiorem hodie cantes, quò populus vniuersus, qui tuam insanabilem nouerat ægritudinem, viso te sospite in missæ celebratione, & Deum glorificent, & de nostra intercessione fiducialius præ-
B sumant. His dictis, morbi locum baculi pastoralis cuspide, visus est tetigisse, ad cuius tactum, & visio disparuit, & somnus recessit.

*S. Martinus impresso corpori Eraclij signo crucis, illum à morbo sanat.*

*Ad maiorem Dei & Sanctorum gloriam iubetur statim à morbo, publice sacrum missæ officium cantare.*

Excitus episcopus, experientiæ causâ, loco vulneris manum apponit. At ministri eius, qui prope excubabant, timentes tactu pruriginem irritare, prohibebant eum. Quibus ille: Nolite(inquit) timerę, Dominus enim Martinus me sanitati reddidit. Quibus sciscitantibus, ne fortè per somnum loqueretur, accendite(inquit)lucernas, venite & videte locum vbi fuerat morbus. Illi dicto citius(nam more impatiens desiderium est) accensis luminaribus præeuntem sequuntur, inque capitulo ecclesiæ substituerunt. Tunc verò resol-
C uunt fascias, quibus, vt mos est, alligabatur, pullosq; quos ferò morbo, velut insatiabili beluæ obiecerant, intactos reperiunt, carnem subcreuisse reliquâ in nullo humiliorem, inueniunt, nec ab ea differre, præter quòd lineola quædam rubicunda, vice cicatricis, alterutram diuidebat.

*Laus & gratiarum actio pro beneficio accepto.*

Quid moror? Clamor mirantium simul & gaudentium, ad astra sustollitur, canonici qui matutinos hymnos, pro solemni more, decantabant, exciti vocibus, accurrunt, remque dignam satis miraculo oculis comprobantes, neminem, sanctorum signorum efficaciâ, comparabilem Martino, protestabantur. Pulsantur igitur signa, Te Deum laudamus, alacriter decantatur. Mane dato, conuentus cleri-
D corum in capitulum conuocatur. Iussione Martini accepta, episcopum sanatum canonicum faciunt, qui & eodem die, vt sibi Sanctus iusserat, Dominicam missam, clero populisque astantibus, celebrauit.

*Iussu B. Martini Eraclius fit canonicus Turonensis.*

*Clero populoq; astante Eraclius sanatus canit Missam Dominicam.*

*Gratitudo Eraclij.*

Quibus ritè perfectis, lætus & incolumis remeauit ad propria. Sed non ingratus vel Sancti beneficio, vel canonicorum eius obsequio, ipsi Sancto vestes sericas prætiosas, vasaque aurea & argentea, quibus hodieque Deo & Sancto inibi ministratur, transmisit, singulis canonicis, singula donaria destinauit.

*Eraclius in honorem S. Martini Ecclesiam Leodij in descensu publici montis construit.*

Neque hoc ei satis visum est. Processu siquidem temporis, apud Leodium in descensu publici montis, ecclesiam in honore B. Martini construxit, quam tantis redditibus cumulauit, vt triginta canonici in ea Deo & sanctissimo Martino deseruientes, abundantissimis sump-

*In ea 30. Canō. constituit & redditibus annuis dotat.*

ſumptibus ſuſtentarentur. A

Monſtratur adhuc retro altare ſancti Martini, in eadem eccleſia apud Leodium, iſtud miraculum in muro depictum, qualiter præfatum epiſcopum, beatus Martinus ſanauit.

*Eraclius manu propria deſcribit ſuam miraculoſam ſanationem ſicut & ſecundam viſionem.*

Et, vt hoc miraculnm firmius crederetur, chartam manu propria idem epiſcopus ſcripſit, breuiter tangens beneficia Curatoris ſui, quam hic inſerere curauimus, & de ſecunda viſione quam vidit.

IN nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.

Anno ſecundo poſt reditum beati Martini ab exilio, videlicet, à ciuitate Antiſiodoro, prouidentia Dei, & auxilio Ingelgerij Caſtinenſis Comitis Hugonis inclyti Burgundiæ Ducis conſanguinei, cura peruigili, mira ſollicitudine, & armatorum copioſa multitudine, B in quo prius venerabatur loco, honorificè & decenter relocati; ego Eraclius Dei patientiâ Leodienſis eccleſiæ humilis epiſcopus. Auditis miraculorum virtutibus, quæ per Dei gratiam & B.Martini meritum, inceſſanter ibi fiebant, morbo qui Lupus dicitur, grauiter attritus, & ferè ad mortem deductus, ſub ſpe recuperandæ ſanitatis aſtrictus voto, cum clericis & militibus, Turonum quantocius veni deuotus.

Cùmque in eccleſia glorioſiſſimi confeſſoris prædicti, die, noctuq; cum effuſione lachrymarum & gemitibus, vigilijs, ieiunijs, orationibus inſtarem, Deiq; miſericordiam & ipſius ſuffragium exorarem, C nocte ſeptima, beatus Martinus cum ſancto Briccio, mihi præ laſſitudine quaſi in extaſi poſito, apparuit, ſeque ſequenti, ſic ait: Frater Bricci, quid tibi videtur de fratre noſtro Leodienſi epiſcopo, qui de remotis huc venit partibus, Deique auxilium, & noſtrum tàm deuotè requirit? Sanctus Briccius ſibi loquenti ſic reſpõdit: Pijſſime Domine, ſi placet Deo & tuæ benignitati, bonum eſt vt curetur, cùm ſit multæ ſanctitatis, & noſtri ordinis, cuius vita ordinem non deturpat. Ilicò propius accedens, & locum morbi cuſpide baculi ſui tangens, ſic ait: Frater Eracli, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanat te, & incolumitati reſtituit, ſua pietate.

Igitur hilaris, ſanus, & incolumis, fratribus noſtris canonicis manifeſtam Dei virtutem reuela, & ex parte ipſius & noſtra præcipe, vt D cum deuoto populo laudes immenſas ſuo Saluatori referant, & te in canonicum iure perpetuo recipiant. Tu verò hodie ad laudem Dei, magnam miſſam celebrabis, vt qui te prius viderant quaſi addictum morti, fiducialius ſperent de ſubuentione ſui patroni.

Hoc facto, & his dictis, à conſpectu meo diſparuit. Erant ambo epiſcopalibus indumentis redimiti. Surrexi lætus. Clerici mei & milites cum famulis accerſiti, aduenerunt, totuſque canonicorum venerabilis conuentus. Morbi locus quem patiebar in natibus, non eſt inuentus: tamen in ſignum cicatricis, quædam lineola rubea apparens remanſit. De tàm glorioſo & euidenti miraculo, Te Deum laudamus

A laudamus, decantatur à clero, & voces deuoti populi, cum laudibus extolluntur in excelso.

Mane facto, canonici conuenientes in capitulo, me in fratrem & canonicũ receperunt, vnanimi voluntate & desiderio. Magnæ missæ hora adueniente, secundum præceptum beati Martini, diuina celebraui: collatis ecclesiæ donarijs quamplurimis & fratribus, ad propria gaudens & sanus remeaui.

Postmodum, procedente paruo tempore, non immemor tanti beneficij à Deo & B. Martino mihi collati, ad laudẽ Dei & honorem curatoris mei, in ciuitate Leodiensi, in monte publico, ecclesiã fundaui, construxi de proprio, dicaui, & opulentissime dotaui. In qua triginta canonicis ordinatis, cum seruientibus & personis, & secundũ

B consuetudinem Turonensis ecclesiæ in legendo & cantando, & alijs ecclesiasticis moribus instructis, sicut quotquot annis consueueram, cum multa deuotione Turonim accessi, & sicut gratia Dei præeunte feceram, fratribus meis manifestum fieri duxi.

Et dum in quadam nocte dominica pernoctarem, & Dei clemẽtiam inuocarem, iterum beatus Martinus, cum beatis, Briccio & Eustachio, mihi in visione apparuit, dicens: Dic fratribus tuis, vt canonicos quos ad seruiendum Deo & mihi ordinasti Leodij, sub pię cõditionis forma, iure perenni, in suam recipiant fraternitatem, & omnes successores tuos in episcopatu Leodiensi.

*De visione secunda.*

*SS. Martinus, Briccius & Eustachius apparent Eraclio.*

C Mutuæ fraternitatis hæc sit eis forma: cùm potuerint, & tempus congruum affuerit, se mutuò visitabunt, in choro stallum habebũt, & quotidianum recipient stipẽdium. Quod deuotissime, sanctissime, & celebriter factum est: & decimo anno reuersionis beati Martini, auctoritate Dei omnipotentis, celebratum & confirmatum est, & sub anathemate interdictũ, ne quis negligere aut violare præsumat, quod auctoritas diuina, & B. Martini volũtas instituit, & corroborat.

*Confraternitas ecclesiarum S. Martini Turonensis & Leodiensis.*

*Confirmatur.*

Præterea, additum est, quatenus nomina defunctorum alterutrum referrentur cum solemnitate, ob redemptionem peccatorũ, & cum pulsabulis, fratrum diuina celebrentur.

*Eraclius construit ecclesiã S. Pauli Leodij.*

D Idem episcopus, alteram ecclesiã in honore S. Pauli in insula, miraculosè Leodij construxit vsque ad fenestras, in qua triginta canonicos deputauit.

*Ostenditur miraculosè longitudo & latitudo construendæ ecclesiæ.*

Fertur enim orasse ad Dominum, vt eiusdem basilicæ construendæ sibi longitudinem & latitudinem ostendere dignaretur. Mane autem facto, cùm vniuersa circumquaque loca nix operuisset, futuræ ecclesiæ locum omninò non tetigit.

*Eraclius instituit vt in aduentu & à septuagesima vsque ad pascha clerus pulla veste amiciatur.*

Ipse etiam, inter cætera disciplinarum instituta constituit, vt in aduentu Dñi, & à septuagesima vsque in pascha, clerus pulla veste, nigris scilicet cappis amiciatur, eò quod niger color, pœnitentiæ & afflictioni, magis quàm albus conueniat.

*Idem incœpit cõstruere eccl. S. Laurentij.*

Ipse primus incœpit ecclesiam S. Laurentij, & primũ altare in honore S. Sixti, dedicauit, sed morte præuentus, eandem ecclesiam non perfecit.

sumptibus sustentarentur. A

Monstratur adhuc retro altare sancti Martini, in eadem ecclesia apud Leodium, istud miraculum in muro depictum, qualiter præfatum episcopum, beatus Martinus sanauit.

*Eraclius manu propria describit suam miraculosam sanationem sicut & secundam visionem.*

Et, vt hoc miraculum firmius crederetur, chartam manu propria idem episcopus scripsit, breuiter tangens beneficia Curatoris sui, quam hic inserere curauimus, & de secunda visione quam vidit.

*In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Anno secundo post reditum beati Martini ab exilio, videlicet, à ciuitate Antisiodoro, prouidentia Dei, & auxilio Ingelgerij Castinensis Comitis Hugonis inclyti Burgundiæ Ducis consanguinei, cura peruigili, mira sollicitudine, & armatorum copiosa multitudine, B in quo prius venerabatur loco, honorificè & decenter relocati; ego Eraclius Dei patientiâ Leodiensis ecclesiæ humilis episcopus. Auditis miraculorum virtutibus, quæ per Dei gratiam & B. Martini meritum, incessanter ibi fiebant, morbo qui Lupus dicitur, grauiter attritus, & ferè ad mortem deductus, sub spe recuperandæ sanitatis astrictus voto, cum clericis & militibus, Turonum quantocius veni deuotus.

Cùmque in ecclesia gloriosissimi confessoris prædicti, die, noctuq; cum effusione lachrymarum & gemitibus, vigilijs, ieiunijs, orationibus instarem, Deiq; misericordiam & ipsius suffragium exorarem, C nocte septima, beatus Martinus cum sancto Briccio, mihi præ lassitudine quasi in extasi posito, apparuit, seque sequenti, sic ait: Frater Bricci, quid tibi videtur de fratre nostro Leodiensi episcopo, qui de remotis huc venit partibus, Deique auxilium, & nostrum tàm deuotè requirit? Sanctus Briccius sibi loquenti sic respōdit: Pijssime Domine, si placet Deo & tuæ benignitati, bonum est vt curetur, cùm sit multæ sanctitatis, & nostri ordinis, cuius vita ordinem non deturpat. Ilicò propius accedens, & locum morbi cuspide baculi sui tangens, sic ait: Frater Eracli, Dominus noster Iesus Christus sanat te, & incolumitati restituit, sua pietate.

Igitur hilaris, sanus, & incolumis, fratribus nostris canonicis ma- D nifestam Dei virtutem reuela, & ex parte ipsius & nostra præcipe, vt cum deuoto populo laudes immensas suo Saluatori referant, & te in canonicum iure perpetuo recipiant. Tu verò hodie ad laudem Dei, magnam missam celebrabis, vt qui te prius viderant quasi addictum morti, fiducialius sperent de subuentione sui patroni.

Hoc facto, & his dictis, à conspectu meo disparuit. Erant ambo episcopalibus indumentis redimiti. Surrexi lætus. Clerici mei & milites cum famulis accersiti, aduenerunt, totusque canonicorum venerabilis conuentus. Morbi locus quem patiebar in natibus, non est inuentus: tamen in signum cicatricis, quædam lineola rubea apparens remansit. De tàm glorioso & euidenti miraculo, Te Deum laudamus

A laudamus, decantatur à clero, & voces deuoti populi, cum laudibus extolluntur in excelso.

Mane facto, canonici conuenientes in capitulo, me in fratrem & canonicũ receperunt, vnanimi voluntate & desiderio. Magnæ missæ hora adueniente, secundum præceptum beati Martini, diuina celebraui: collatis ecclesiæ donarijs quamplurimis & fratribus, ad propria gaudens & sanus remeaui.

Postmodum, procedente paruo tempore, non immemor tanti beneficij à Deo & B. Martino mihi collati, ad laudẽ Dei & honorem curatoris mei, in ciuitate Leodiensi, in monte publico, ecclesiã fundaui, construxi de proprio, dicaui, & opulentissime dotaui. In qua triginta canonicis ordinatis, cum seruientibus & personis, & secundũ consuetudinem Turonensis ecclesiæ in legendo & cantando, & alijs ecclesiasticis moribus instructis, sicut quotquot annis consueueram, cum multa deuotione Turonim accessi, & sicut gratia Dei præeunte feceram, fratribus meis manifestum fieri duxi.

Et dum in quadam nocte dominica pernoctarem, & Dei clemẽtiam inuocarem, iterum beatus Martinus, cum beatis, Briccio & Eustachio, mihi in visione apparuit, dicens: Dic fratribus tuis, vt canonicos quos ad seruiendum Deo & mihi ordinasti Leodij, sub piç cõditionis forma, iure perenni, in suam recipiant fraternitatem, & omnes successores tuos in episcopatu Leodiensi.

*De Visione secunda.*
*SS. Martinus, Frictius & Eustachius apparent Eraclio.*

C Mutuæ fraternitatis hæc sit eis forma: cùm potuerint, & tempus congruum affuerit, se mutuò visitabunt, in choro stallum habebũt, & quotidianum recipient stipẽdium. Quod deuotissime, sanctissime, & celebriter factum est: & decimo anno reuersionis beati Martini, auctoritate Dei omnipotentis, celebratum & confirmatum est, & sub anathemate interdictũ, ne quis negligere aut violare præsumat, quod auctoritas diuina, & B. Martini volũtas instituit, & corroborat.

*Confraternitas ecclesiarum S. Martini Turonensis & Leodiensis.*
*Confirmatur.*

Præterea, additum est, quatenus nomina defunctorum alterutrum referrentur cum solemnitate, ob redemptionem peccatorũ, & cum pulsabulis, fratrum diuina celebrentur.

*Eraclius construit ecclesiã S. Pauli Leodij.*

D Idem episcopus, alteram ecclesiã in honore S. Pauli in insula, miraculose Leodij construxit vsque ad fenestras, in qua triginta canonicos deputauit.

*Ostenditur miraculose longitudo & latitudo construendæ ecclesiæ.*

Fertur enim orasse ad Dominum, vt eiusdem basilicæ construendæ sibi longitudinem & latitudinem ostendere dignaretur. Mane autem facto, cùm vniuersa circumquaque loca nix operuisset, futuræ ecclesiæ locum omninò non tetigit.

*Eraclius instituit vt in aduentu & à septuagesima vsque ad pasca clerus pulla veste amiciatur.*

Ipse etiam, inter cætera disciplinarum instituta constituit, vt in aduentu Dñi, & à septuagesima vsque in pascha, clerus pulla veste, nigris scilicet cappis amiciatur, eò quod niger color, pœnitentiæ & afflictioni, magis quàm albus conueniat.

*Idem incœpit cõstruere eccl. S. Laurentij.*

Ipse primus incœpit ecclesiam S. Laurentij, & primũ altare in honore S. Sixti, dedicauit, sed morte præuentus, eandem ecclesiam non perfecit.

*Eraclius in cultu Sanctorum deuotus.* Per idem tempus, cùm venerabilis Eraclius in cultu & propagatione Sanctorum deuotus esset, erat in villa, quæ iam extirpatâ syluâ, nomen retinuerat Rhutis, ecclesia, sancti Martini honori & nomini dedicata. A

*Ruscelmus sacerdos in Ruthis cōmorans, in somnis admonetur ex parte Dei dicere Eraclio, vt eleuet corpus S. Euermari martyris.* In hac, quidam Ruscelmus, sacerdotali officio deseruiens, probatâ vitâ, totū in se ostendebat sacerdotem, vigilijs & orationibus Deo seruiens. Quem Angelus Domini dormientem, verbis alloquēs, hac legatione & obedientia constrinxit, vt ad episcopum Eraclium vadens ex parte Dei, vt sanctum martyrem Euermarum de sinu terræ efferret, cuius spiritum, ab hora martyrij, cœlum possidebat; de sepulchro quoque eum exponeret, & ecclesiæ filium matri ecclesiæ, de tenebris ad lucem, in oculis hominū reduceret: decere hoc dignitatis priuilegium suum, pontificale officium, vt cum pluribus Sanctorum miraculis, quæ in diuersis partibus habet sæculum, per ipsum episcopum à Deo prouisum, addatur adhuc istius Sancti oraculum, præterijsse Deū multos antecessores eius episcopos, quibus non dignatus est talia reuelare, sciretque hoc ipsi à Domino in laude & honore reseruasse, vt per eū, in periculis suis, haberet mundus, huius S. Euermari præsidium. B

*Sacerdos non credit visioni.* Hac visione sacerdos experrectus, vanis somnijs se illusum credidit. Propter hoc, incredulus visionis, quod viderat & audierat omnimodò non approbauit, & ideò Eraclio episcopo mandatum à parte Dei per Angelum directum, non annunciauit: primam visionem suppressit, donec eidem subsequentis anni nocte, Angelus dormiēti secundò apparuit, mandatumque suum non esse impletum conqueritur, & vt episcopo visionem aperiat, auribus eius instantius inculcat: præterea, minatur verbera, si detrectet implere quod præcipit. C

*Tribus successiue annis eadem de re admonitus idem sacerdos* In prima visione, Angelum blandè alloquentem, & mandata diuina ad episcopum dantem, spreuit. In secunda verò, comminando præcipientem, contempsit. In tertij anni reuersione, eadem nocte, qua duæ visiones præcesserant, tertia visio cōuenit sacerdotem; *Incredulus flagellatur.* in qua apparuit eidem Angelus asperior vultu, verbis comminatior, iudicio seuerior, in contemptum sui, manu flagellauit contemptorem, eò quòd dixit visionem hanc non veritatem esse, sed mendacium. D

*Sacerdos flagellatus credit visioni & Eraclio episcopo visionem narrat.* Flagellatus igitur sacerdos, & corpus plagis defectum proponit in testimonium tribunalibus magnæ potestatis se astitisse, quamuis in cubili suo visus fuerit corpore decubasse. Victus ergò doloribus, venit ad episcopum Eraclium, & narrauit ei quod tertiò viderat, & audierat.

*Eraclius procumbit & adorat S. Euermari martyris reliquias.* Cùmque his perpaucis verbis episcopo enarrasset, episcopus gratulabundus, de promissa sibi, & suo tempore reseruata sancti martyris reuelatione, surgit cum officialibus suis, ad locum accedit, procumbit, adorat, lachrymādo supplicat, & populo quid amplius sancto

A cto martyri debeat, demonstrat suo exemplo.

Hāc episcopi deuotionem æmulatur populus, & animatur ad sancti martyris venerationem, ob fragrantiam, quæ ex odore S. corporis procedebat.

Aperto sepulchro ab episcopo, pars clypei, qua tempore humationis S. martyris, venator miseratus eum obtexerat, remouetur, & è tumulo extrahitur, cum altera subiecta corpori clypei, in ecclesiam sancti Martini in Rhutis ab episcopo deuehitur. Tunc episcopus ipsi martyri se fideliter & suppliciter cōmittit, & supplicationem suam ad Dominum iungit, quam ipse per se ferre solum non posse plangebat. Commendat ei regendum clerum: orat donari eis doctrinā, B meritis & precibus ipsius martyris, quam non suscipiebant sua loquutione & prædicatione.

*Petit iuuari apud Deum precibus S. Euermari.*

*Commendat illi clerum Leodiensem.*

His & omnibus alijs à populo & clero suam exhortationem negligentibus, & omnibus qui peccatis & criminibus erant oppressi, episcopus oratione sua sanctum Euermarū intercessorem & patronum conducit.

ANNOTATIONES.

1. Monstratur adhuc retro altare.] *A conflagratione ecclesiæ S. Martini, nulla, quòd sciam, miraculi illius apparent in parietibus vestigia, sed in libro eiusdem ecclesiæ, qui nouus liber inscribitur, folio 67. miraculum hoc legitur ijsdem prope verbis, quibus ab Aegidio hic depingitur. Vt mirum sit Renerum S. Laurentij monachū,* C *non fecisse mentionem in vita Eraclij tàm celebris miraculi, quod occasionem Eraclio dedit, construendi ecclesiam, in S. Laurentij vicinia.*

2. Vt sanctum martyrem Euermarum.] *Hic Euermarus, vt in ecclesiastico officio legitur, fuit vir nobilis Friso, qui succrescentibus cum ætate virtutibus, ad sancta loca peregrinabatur. Cùmq; Traiectum iret ad sanctum Seruatium, diuertit in territorium Tungrorum apud Hacconem quēdam in sylua Harsclapia, cum septem suis comitibus. Qui, vt erat tyrannus, beatum virum cum suis comitibus interfecit. Honoratur verò inter martyres à Rathensi ecclesia & à vicina Tungrensi, ad quam singulis annis sacrum corpus defertur.*

3. De promissa sibi & suo tempore reseruata.] Heraclius eleuauit ossa S. Euermari circa annum 968. Quam eleuationem, *inquit Molanus,* tot subsequuta sunt miracula, quòd descripta ingens volumen D conficerent.

A

### *De receptione Leonis episcopi, & de eius morte.*

## CAPVT XLVIIII.

*Ab Aegidio additum.*

*Profugum episcopum humaniter excipit, in monasterio S. Laurentij. Leo episcopus Græcus pie viuit & moritur*

AD hunc Eraclium, Leo quidam episcopus, ex nobilissimis Græcorum, profugus venit, qui pulsus à sede sua idcircò fuerat, B quòd incusaretur Ottoni secundo, dum idem Imperator aduersum Græcos haberet castra, prodidisse Calabriam. Quem humanè exceptum, prædictus antistes in cœnobio sancti Laurentij manere statuit, necnon de bonis quæ venerabilis Eraclius delegauerat, cum suis habere stipendia. Qui, tempore incolatus sui, sobriè & piè & iustè viuens, expectabat beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei: à quo postmodum gloriosè ab exilio mundi eductus est, & in ecclesia S. Laurentij, ante altare S. Gereonis sepulturam accepit, *non iam hospes & aduena, sed ciuis Sanctorum*, & tuus, ô sancte Laurenti, domesticus.

*Eph. 2.*

Postquam igitur memoratus episcopus Eraclius, vt supra diximus, C sancti Pauli, sanctique Martini, in Leodiensi ciuitate, construxit ecclesias & copiosè ditauit, iam emeritus senior, iam termino vitæ suæ proximo, iterum refloruit, vt & B. Laurentio deuotionem suam offerret, immò per ipsum, Deo, cui Laurentius sacrificium mundum, in odorem suauitatis, oblatus est.

*Eraclius iacit fundamenta monasterij S. Laurentij. Quare in loco suspendijs latronum infami construit monasterium.*

Itaque, in honore ipsius, cultor Trinitatis, tertij fundamenta iecit monasterij. Fuerat autem locus ipse infamis, scilicet, latronum suspendio, & malignorum hominum cæde pollutus. Sed fortè, sapienti viro tantò ad hoc opus fuit idem locus aptior, quantò Caluariæ illi, in qua Dominus noster Iesus Christus, Sanctus Sanctorum, crucifixus est, videbatur similior. D

*Idem locus putatur esse in quo interfectores S. Lamberti martyris se mutuus gladijs peremerunt.*

Refert etiam non vana vetustas, hunc locum illum fuisse, vbi interfectores sancti Lamberti, cùm peracto scelere redirent, dignissima sibi diuiserunt spolia, mortem, scilicet, mutuis sibimet vulneribus inferentes, suasque tam animas quàm corpora Diabolo, cui militauerant, debita cum rabie sacrificantes. Sed quis, nisi non rectè sapiens, situ loci & oportunitate oblata, talia reformidaret, cùm Dominus Iesus Christus, vt iam dictum est, in opprobrio Caluariæ, verum ipse templum, & templi Deus, pependerit, nosq; omnes quondam vasa iræ, forti armato per fortiorem Christum direpta facti sumus templa Dei? Itaque, quia secundum ius belli, licet à iusto tolli quicquid victori placuerit; hîc quoque in abundantia peccati, vt supera-

*Math. 27. Marc. 15. Rom. 9. Rom. 5.*

A peràbundaret gratia, ecclesia Dei fundata, & signa victoris sunt fixa.

Cœpto itaq; opere, mox vt aliquantulũ à fundamẽto surrexêre parietes, memorabilis episcopus, quasi sponsus voti festinus, qui puellam necdum nubilem longe ante subarârat, quibusdam prædijs, quæ adhuc possidet, nascentem ecclesiolã, quasi prima dote dotauit, nondum maius altare, quod erat beati Laurentij, sed interim iuxta hoc, minus dedicans, in honore B. Sixti Papæ & martyris.

*Dotat monasterium S. Laurentij. Dedicat altare S. Sixti ibidem.*

Nec multò post, gaudium huius desponsionis, tristitia (proh dolor) operuit, per mortem venerandi episcopi; domino vineæ vocante operarium suum, ad recipiendum æternæ vitæ denarium.

B Relicta est ergò imperfecta ecclesia, dotata quidem tenuiter, sed, vt dictum, imperfecta, inornata, nullorum solatio filiorum.

*Math. 18.*

*Morte præuentus reliquit ecclesiam imperfectam.*

Dum ergò vir Domini Eraclius, suum adesse exitum, molestia corporis ingrauescente, cognosceret, monumentum sibi fieri præcepit in ecclesia beati Pauli Apostoli. Sed eo fortè die quo defungi debuerat, beatus Paulus ei per visum astitit, nec suæ esse voluntatis, vt quisquam in sua ecclesia, quamlibet iustus & sanctus iaceret, indicauit. Iuberet ergò sepulchrum claudi, & ipse illi aperiret cœlestis ianuam regni. His visis, amicos suos vocari iussit, & quod ei ostensum erat, reuelauit. Consentientibus illis, in ecclesia Beati Martini, quam ipse construxerat, sepeliri se iussit. Quod & factum

C est.

*Vult sepeliri in ecclesia S. Pauli, sed diuinitus impeditur.*

*Sepelitur in Ecclesia S. Martini.*

Eraclius deniq; pius pater familias, & scriba doctus in regno cœlorum, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo primo, sexto calendas Nouembris, anno pontificatus sui duodecimo, præsidente Sedi Apostolicæ Ioanne decimo tertio, à beato Petro centesimo trigesimo quarto: Ottonis primi anno, tàm regni quàm Imperij, trigesimo quarto, digito Dei, scriptus est in vita in Ierusalem. Cuius venerabile corpus digno exequiarum cultu sepultum est in ecclesia beati Martini, in medio chori canonicorum; sed tempore Domini Hugonis secundi episcopi, à Decano eiusdem ecclesiæ, Roberto nomine, trãslatum, & in sarcophago marmoreo,

D iuxta maius altare, repositum, in choro vtique illorum aggregatus, de quibus ad Danielem dictum est: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

*Moritur Eraclius anno Dñi 971. 6. cal. nouembris*

*Robertus Decanus S. Martini reliquias Eraclij honorat sarcofago marmoreo.*

*Daniel. 12.*

*Notgerus consecratur episcopus a S. Gereone Archiepiscopo Coloniensi.*

ANNOTATIONES.

Dum idem Imperator aduersum Græcos.] *De hac expeditione in Græcos diximus supra in Rathero.*

 A

## *De Notgero episcopo.*

## CAPVT L.

*Cuius aliquæ partes ab Aegidio additæ sunt.*

SVbstitutus est Eraclio quadragesimus sextus Notgerus, genere quidem Alemannus, sed omnium morum elegantiâ insignitus.

*Additio Aegidij.*

*Notgerus consecratur episcopus à S. Gereone Archiepiscopo Coloniensi.* Substitutus est Eraclio quadragesimus sextus beatus Notgerus, à sancto Gereone Coloniensi archipræsule consecratus, genere quidem Alemannus, sed omni morum elegantia insignitus. B

*Nobilitatem generis illustrat scientia & probitate morum.* Ipse igitur in Sueuia natus, nobilitatem generis, scientia & moribus illustrauit, vt à primis pueritiæ annis, mutatiõe dexteræ excelsi, à bonis in melius, à melioribus in optima ascenderit.

*Psalm. 76.* A literali ergò scientia, morum quoque ornamenta accepit, & in vtraque disciplina laudabiliter promotus, de scholis ad palatium trãsferri meruit. Ibi inter prudẽtes & bonos viros, qui eo tempore soli regalibus obsequijs aderant, consilij & operationis virtute claruit, adeò vt honestatis suæ prærogatiuâ, de palatio ad regimen Leodiensis ecclesiæ, votis & petitione Cleri & populi & fauore principis, transierit. C

*Ex aula Regis vocatur ad regionem ecclesiæ Leodiensis.* Tunc demum tanquam competentem materiam, in qua virtus clarissimi viri operaretur, adeptus, spem de se habitam, ad rem perduxit. Nam adhuc eo tempore ciuitas Leodiensis parua erat, irruptioni violentorum patens, & castri adiacentis Capræmontis frequẽtibus iniurijs, vt supra diximus, subiacens.

*Hierem. 1.* Cognoscens ergò se non vocatum ad dignitatem tantum, sed in opus ministerij sibi crediti, ad destruendum & eradicandum, ad plãtandum & ædificandum, mala ciuitati incumbentia, intus & extra, destruxit, & ne resurgerent, euulsit: globum enim obdurationis eorum, qui aduersus Dominum suum Leodiensem Episcopum Dominum Eraclium se conflauerant, iudiciaria virtute contriuit; & eos pœnali disciplinæ, vsque ad dignam correptionem, subiecit. *Hactenus Aegidius.* D

*Vindicat iniuriam factã Eraclio episcopo.*

Omnia apud nos, tàm interius quàm exterius, meliorauit. Ecclesiam sanctæ Mariæ sanctique Lamberti ædificijs latioribus ampliauit, ornamentis ditioribus decorauit, claustra ac domorum & officinarum ædificia renouauit, vrbem muris dilatauit.

*Castrũ Caprini mõtis Leodiẽsi infestum.* Leodienses incolas à mortifero castri montis caprini iugo, tàm potenter quàm & sapienter eripuit. Quod quantum præfatis totius prouinciæ incolis iugiter potuerit extitisse infestum, naturalis ipsius loci

A loci situs, & mœniorum ac turrium, domorumque sublimium ruinę, patenter ostendunt.

Cuius castri traditionem & subuersionis ordinem, quicumq; nosce desiderat, sicut à maioribus eum accepimus, referre non omittemus. Erat quippè accessu tàm difficile, tantaque murorum munitione firmatum, vt ad nullos prorsus pauere posset assultus, nullius obsidionis timeret incursus.

*Accessu difficile.*

Contigit autem, ordinatione diuina, Dominum ac possessorem eius, ex nobilissima coniuge, sexus masculini prolem suscipere. Infantulo igitur recenter nato, cōsiderans pater nullam circum se potioris dignitatis inueniri personam, à qua suscipere posset puer bap-
B tismi gratiam, Leodiensem cōueniens episcopum, precatur obnixè, quatenus coniugem suam, in hac infirmitate, dignetur inuisere, & filium sibi natum, sacro fonti immergere.

*Dñs castri inuitat episcopū ad baptizandū prolem masculam.*

Cui petitioni hilari vultu annuens episcopus, diem cōstituit, quo cum multa religiosi cleri concione ægram visitaret, & solenni admodum fastu, puerulum baptizaret. Qua sponsione gratanter accepta, miles ad propria regreditur, & præfixam ab episcopo diem, lætus præstolatur. Erat autem in sæculo diues & præpotens, & nobilissima Francorum cretus propagine.

Cernens igitur sapiens Antistes, damnorum & calamitatū innu-
C merabiliū querelis, sub hac occasione posse finem dari, congregato silenter militari cœtu non modico, quod mente concepisset, secreto eis pandit consilio. Hortatur eos secum subire negotium, Dei affuturum promittit auxilium, maximum se eis collaturum, si perseuerent, pollicetur donatiuum. Postea, de omnibus agendis, ab eo sufficiēter instruuntur, & paucis diebus cum eo detinentur. Et nota quam prudenter diem præfixerit, quo veniens puerum baptizaret, quem tamen, ne præpediretur opus salutis, expectare noluit: timebat enim, ne die statuto, miles præfatus Leodij occurreret, & dolus laudabilis, immaturè ei quoquo modo innotesceret.

*Occasione sibi oblata Notgerus armat militem.*

Die igitur postero illucescente, loricis & gladijs milites iubet ar-
D mari, & habitu clericali desuper indui, galeas occultè sub cappis clericalibus portari, laicalem comam pileis laneis cœlari. His ita gestis, clero illo præcedente, subsequens episcopus egreditur ab vrbe, & canonico more incedentes, cùm iam castro propinquarent, nuntiatur episcopus illuc venire, totius ferè cleri sui stipatus agmine. Occurrit statim miles cum omni populo suo, episcopus deuotè suscipitur, & cum suo comitatu castrum illud introducitur.

*Miles arma occultat sub habitu clericali.*

*Episcopus castrum ingreditur cum milite sub specie clericorum.*

Sed, vt compendiosè loquar, priusquam residerent, mutato repentè fortunæ casu, ad edictum præsulis, abijcitur habitus clericalis, mutatur in militem clerus ille mirabilis, parēt in loricis, qui tetris prius latebant sub cappis. Muniuntur capita galeis, & celeri volatu circūquaque dispersi, domos subruunt, ecclesias destruunt, mœnia excelsa, absque vllo contradictore, præcipitant & subuertunt.

*Miles abiecto habitu clericali, castrum capit & diruit.*

Additio

*Additio Aegidij.* A

*Erant in Castro tres ecclesiæ.*

Erant in eodem castello Capreæ montis tres ecclesiæ; in quarum vna, in honore beatæ Mariæ, duodecim præsbyteri erant deputati: quorum decimas & redditus præbendales, post oppidi excidium, ad ecclesiam beatæ Mariæ Aquisgrani transtulit, & quot clerici prius ibi habebantur, tot in eadem ecclesia superaddidit.

*Ecclesia B. Ioannis apostoli nec igne nec alio modo dirui potest, nisi facto per episcopum voto de simili Leodij ædificanda.*

Secunda in honore beati Ioannis Apostoli & Euangelistæ, quę nec igne, nec alio modo potuit deleri, donec beatus episcopus voto obtinuit, quòd aliam ei in sua ciuitate ædificaret, in qua clericos Deo canonicè seruientes, constitueret. Eratque ibi oratorium beati martyris Dionysij. B

*In pede montis erat ecclesia SS. Cosmæ & Damiani.*

Et alia ecclesia erat in pede montis prætacti sita, ad honorem sanctorum Cosmæ & Damiani, iuxta quam fertur beatus Monulphus, decimus quintus episcopus, dum descenderet de castro Capreæ mõtis, vidisse signum crucis adinstar ignis rutilantis, de terra vsque ad cœlum eleuari. *Hactenus Aegidius.*

Et, vt cuncta breui sermone concludam, tanto destruendi feruore bacchati sunt, vt ne paruissimæ quidem domunculæ tugurium relinquerent, nec à loco discederent, donec ad purum, cuncta demolirentur.

*Demolito cum ecclesijs castro, pignora & reliquiæ sanctorum, Leodium deferuntur, & ibi decentissime locantur*

Patrato tandem pro voto negotio, vt erant in habitu militari, ad vrbem sunt regressi, multis Sanctorum pignoribus secum ablatis, & in ecclesia Leodiensi venerabiliter ac decentissimè locatis. C

*Additio Aegidij.*

Vnde versus:

Legia ditatur per me, Capri mons spoliatur.
Hic ruit, hæc surgit; manet hæc, nec ille resurgit.

ANNOTATIONES.

*De hoc Notgero sic Sigebertus*, anno Domini nongentesimo septuagesimo primo: Rogerus (*communius appellatur Notgerus*) ordinatur episcopus Leodiensium. Hic vrbem muro circumcinxit, ædificijs honestauit, maiorem ecclesiam corpore Sancti Lamberti insignitam, à fundamentis renouauit, cœnobium sancti Ioannis Euangelistę in insula fundauit. D

*Qualiter*

A

## *Qualiter ciuitatem ampliauit, & ecclesiam sancti Lamberti ædificauit.*

## CAPVT LI.

*Ab Aegidio additum.*

HIs diebus, malis destructis & euulsis, ad plantationem & ædificationem bonorum, Notgerus noster se accinxit.

*Notgerus accingit se ad plurima & maxima opera patranda.*

B Monasterium B. Lamberti patroni nostri, cuius vita venerabilis, mors pretiosa, qui causâ & pœnâ martyr, in sanguine suo locum ciuitatis nostræ, cultui diuino consecrauit, longè in melius quàm fuerat, immutauit.

Ecclesia enim quam B. Hubertus ædificauerat, infirmitate minoris operis, & vetustate incumbentis temporis, ad lapsum declinauerat. Hac diruta, templum sexaginta canonicorũ, iuxta magnificentiam dilatati cordis sui, secundum amplitudinem & sublimitatem operis quæ cernitur, in caput & protectionẽ ciuitatis & patriæ protegẽdæ, exaltauit, ornamẽtis ditioribus decorauit, claustra ac domorum, vel officinarum ædificia renouauit, & ecclesiam parochialem beatæ Mariæ, templo adiacentem, & palatium domus episcopalis, C simul cum templo, à fundamentis, multiplicatis operarijs, & magnificatis impensis, vt in miraculum fides narrantium excrescat, eodem tempore, vsq; ad perfectionem consurgere fecit. Columnæ veteris templi, cum basibus & capitellis suis, ante faciem templi modernioris, in porticu quæ ducit in forum rerum venalium, dispositæ, indicium præteriti, ex statu præsentis ædificij, cõparationem prioris & posterioris templi, quærentibus offerre possunt.

*Ecclesiam S. Lamberti martyris diruit & nouam multò ampliorem ædificat.*

*Domos claustrales renouat*

*Ecclesiam parochialem B. Mariæ templo S. Lamberti adiacentem & palatium domus episcopalis eodem tẽpore perficit.*

Et quia distributiones gratiarum, ad ampliandam & exornandam ciuitatem, tanquam bono dispensatori à Deo ei collatæ fuerant, non cessauit manus eius, vel ecclesias in quibus non erant locis, ædificare, D vel inchoatas consummare, vel consummatas bonis augere, & in bonis conseruare.

Siquidem Ecclesia Beati Martini, in bonis retinendis, quæ ei Dominus Eraclius contulerat, laborabat: in tempore enim illo, tertius Otto ea tanquam Domino Eraclio præstita, in fiscum regium, eo defuncto, reuocare cęperat. Pontifex & opifex Notgerus, præclaris meritis suis, serenauit principem, & præstitam d[illegible]in rati conuertit habitationem, & claustrum exterius eiusdem [illegible]lesiæ sancti Martini, inciso colle publici montis, triplici vallo & muro, cum propugnaculis & turribus sublimibus, communiuit, & eandem muri & turrium munitionem, circa ambitum ciuitatis, sua longitudine & latitudine, sicut adhuc hodie videtur, perduxit.

*Placat Ottonẽ Imperatorem, bona ecclesiæ S. Martini in fiscum reuocãtem.*

*Claustrum S. Martini, simul & ciuitatem muro, propugnaculis, & turribus munit.*

Ecclesiam S.Pauli à fenestris insuper consummauit, & bonis adiectis, vbi viginti tantum erant canonici, triginta perfecit. A

---

### *Quam sapienter cuiusdam potentis cupiditatem eluserit: & quomodo ecclesiam sanctæ Crucis construxit.*

## CAPVT LII.

*Cuius posterior pars, ab Aegidio addita est.* B

*Notgerus cauet ne quid possit dare materiam scandali.*

ET quia vero dici solet prouerbio, quòd præteritorum malorum experientia, futurorum debeat esse cautela, multis contrarijs euentibus eruditus vir idem præclarus, studebat in prouidendo subditorum saluti, semper cautus existere, in his quæ possent scandali materiam generare.

*Notgerus sagax, cuidam nobili potenti locum, qui vergere potuisset in prouinciæ perniciem, negat.*

Vnde, cùm quidam vir nobilis, armis præpotens, & diuitijs præpollens, locum satis firmum, ciuitati non solùm contiguum, sed & supereminentem, ab eo petijsset, vt illic mansionem sibi facere debuisset, intelligens vir sagacis ingenij, versutias cordis eius dolosi, quòd videlicet, hoc non ad vrbis, vt promittebat, defensionẽ, sed ad C totius prouinciæ peteret perniciem, non ei prorsus assensit, sed per Robertum maioris ecclesiæ Præpositum, procuratorem suum, etiam absens, ad honorem victoriosissimæ crucis Christi, ecclesiam in ipso loco construxit, quam etiam claustro, & congruis pro loco officinis, ordinauit, & agris eam decimisque, cum redditibus alijs multis, vnde quindecim fratribus illic Deo seruientibus victualium necessaria prouenirent, ditauit.

*Additio Aegidij.*

*Robertus præpositus sepelitur in naui ecclesiæ S.Crucis 6. Idus Martij.*

In qua idem Robertus præpositus, postea sexto Idus Martij, in naui ecclesiæ, ante altare B.Helenæ, sub Crucifixo sepulturam accepit.

D

---

### *De ecclesijs Sanctorum Ioannis Euangelistæ, & Dionysij.*

## CAPVT. LIII.

*Cuius aliquot partes ab Aegidio additæ sunt.*

*Notgerus construit Ecclesiam S.Dionisij.*

SEd & aliam, Nithardo maioris ecclesiæ custode administrante, in honore Beati martyris Dionysij, condidit ecclesiam: in qua primùm quidem viginti delegati sunt canonici, procedente verò tem-

A tempore, decem additis, in tricenarium profecerunt numerum.

*Additio Aegidij.*

Hanc ergò ecclesiam, Dominus Nithardus, decimis & agriculturis, tàm perse, quàm per suos fratres, Ioannem videlicet & Godeschalcum, beneficiauit: qui postquàm de hoc sæculo migrauerunt, Nithardus in chori medio, Ioannes in ecclesia ante Crucifixum, & Godeschalcus ibidem retro altare sanctę Gertrudis, sepeliri meruerunt, in qua expectant suorum corporum resurrectionem. *Hactenus Aegidius.*

*Nithardus, Ioannes & Godeschalcus, fratres, conferunt decimas ecclesiæ S. Dionysij. Sepeliuntur in eadem.*

Deinde, tertiam in beati Ioannis Euangelistæ, suis sumptibus, con-
B struxit: in qua triginta constituens canonicos, sufficienti eam dote dotauit, corpusque suum, quod factū cernimus, ibidem sepeliri mandauit.

*Additiô Aegidij.*

Deinde, tertiam ecclesiam, in honore beati Ioannis Euangelistæ, in insula Leodij, ex suis sumptibus, cum officinis, à fundamentis vsque ad consommationem, condidit, possessionibus ampliauit, pallijs & tapetibus, & cortinis, vasis, candelabris, & alijs vtensilibus ad cultum templi pertinentibus, exornauit, & in quotidiano ministerio triginta in ea canonicos, ad clericalis officij exequutionem, prouiso eis temporali solatio, diligenter & benignè instituit, & prætiosis reliquijs insignium martyrum, mento scilicet, cum faucibus beati
C Vincentij leuitæ & martyris, & sanctorum Fabiani & Sebastiani, in defensionem loci & locatorum, per gratiam Dei communiuit.

*Notgerus ædificat ecclesiā S. Ioannis Euangelistæ.*

*Eandem reliquijs sanctorū Vincentij leuitæ & martyris, nec non Fabiani & Sebastiani munit.*

Nam hanc ecclesiā, propter dilectionem Apostoli à Christo amplius dilecti, & à christianis amplius diligendi, in æditiori loco insulæ, ex directo ante faciem constituit ecclesiæ sancti Lamberti, quæ principaliter consecrata est ad titulum semper virginis Mariæ, vt filius deputatus virgini à Christo, summo testamento in cruce, matris suæ semper profectum habeat diuina constitutione, & custos virginis custodiatur à virgine.

*Quare eo loci construxit ecclesiam B. Ioannis Euangelistæ.*

Mosam fluuiū, qui extra ciuitatē fluebat, ciuitati introduxit, & eū circa claustrum sancti Pauli, sanctique Ioannis, ad radices montis, in
D quo ecclesia sancti Martini, & sanctæ Crucis, & sancti Petri sita est, inter claustrum sancti Ioannis, sanctique Lamberti, vt fluminis impetus lætificet ciuitatem Dei, per medium ciuitatis, in communes vsus, fluere fecit.

*Notgerus Mosam introducit Ciuitati.*

*Psal. 45.*

Vix aliquid magni, aut præclari operis est in ciuitate nostra, quod ipse non fecerit, aut perfecerit, vt magis fecisse ciuitatem, quàm coluisse videatur. Vnde in præconium laudis sibi debitæ, paucis multa de ipso comprehensa sunt, hoc metro:

*Ciuitatem Magis fecisse quam excoluisse videtur,*

Legia, lege ligans cum prælatis sibi leges,
Notgerum Christo, Notgero cætera debes.

*Ostendit magnificētiam suā ētiam extra Ciuitatem.*

*Eccleam fossēsem construit, & muris circumductis turribus communiuit*

Nec solum in ciuitate, vel ex ciuitate, magnificum se exhibuit, **A** sed extra ciuitatem, Fossensem ecclesiam condidit, & muro eidem ecclesiæ circumducto, & turribus in defensionem constitutis, intus religione, & foris eam communiuit valida castri complexione.

*Tuinum castrū fecit & muniuit.*

*Constituit abbatem in monasterio Lobiensi.*

*Bibliotheca Lobiensis numero & merito librorum insignis.*

Tuinum castrum fecit, & communiuit, in defensionem marchiæ episcopalis, & protectionem Lobiensis ecclesiæ, in qua etiam abbatem constituit, quia visum est ei, quod episcopalis sollicitudo quæ debebatur pluribus, non satis expedita esset ad vacandum monachis, in quotidianis oportunitatibus. In armario eiusdem ecclesiæ, quod numero & merito librorum valdè authenticum est, inter mul- **B** ta præclara beneficia, quæ omnibus in commune prouidisse, scriptis authenticis proditur, in clericos liberalissimus legitur.

*Constituit clericos per vicos & castella.*

Et sanè, non solùm in ciuitate, sed etiam in oppidis, & castellis, in vicis quoque, vbi dignitas vel oportunitas loci, ampliorem diuinitatis cultum exposcebat, singulari quodam fauore, clericos constituit.

*Prouidet Monachis.*

*Gemblacensis ecclesia eum in patrem & Dominum elegit.*

Monachis quoque religioni suæ pacem debitam, & laboribus consolationem, ita diligenter prouidit, vt Gemblacensis ecclesia eum in patrem & dominum prælegerit, melius sibi iudicans Leodiensi ecclesiæ subiacere, propter accommodatum præsidium, quàm ad Regiam Celsitudinem interpellandam, quæ maioribus debetur negotijs, se supra se extendere. Itaque merito B. Notgeri, & aucto- **C** ritate Imperiali, Gemblacensis ecclesia, vel abbatia, Leodiensi cessit ecclesiæ.

*Notgerus pater patriæ.*

*Fit patronus Ottonis Imperatoris adhuc pueri.*

*Admiranda gessit nomine Imperatoris.*

Et cùm tot & tanta egerit in patria, vt non immeritò pater diceretur patriæ, non semper tamen totus cessit Leodiensi ecclesiæ, prærogatiua bonæ fidei & meritorum, constitutione principum, Curia fecit eum patronum pueriles ætatis Ottonis Imperatoris: cuius studio & diligentia, quàm supra ætatem suam puer ille profecerit: quomodo reges cum exercitu superauerit: quantum Cremonenses multitudine ciuium, & magnitudine operum, aduersus Imperium erectos, humiliauerit: quomodò ciuitatem eorum contriuerit, vt **D** in signum dilectionis milium in ea sparserit: quomodò totam Italiam cursu sexdecim annorum sibi subiecerit: quàm gloriosè in vrbe diademate Imperij coronatus fuerit: quomodo quos armis ad se timendum subegerat, clementiâ ad se amandum subleuabat: & disposito pacificis legibus trans alpes Romano orbe, quàm gloriosus victor ad Rhenum redierit, & digna Imperatore gesserit, Aquensem ecclesiam exornauerit, si huius narrationis historiam, melioribus debitam scriptoribus, secundum suum ordinem aggredi auderemus, plus esset opere proposito, quod hac digressione insereremus.

Temporibus eius, siccitas magna vernalis fuit; vnde & satio primitiua impedita, & fames ingens sequuta est. Fertur enim, etiam precibus

A precibus eius, annonam pluisse de cœlo, in Hasbanio: alij etiam pisciculos paruos, de cœlò pluisse ferebant. Postea, nix de cœlo nimia decidit, imber etiam continuus, qui autumnalem sationem denegauit omninò. Episcopus verò Notgerus, indicto communi ieiunio, periculum imminens repulit. Terræ motus quoque factus est permaximus, cometesque apparuit splendidissimus. *Precibus annonam de cœlo impetrat.* *Imminens periculum, communi ieiunio indicto, repellit* *Oratione, maxima pericula auertit.*

Nono decimo calendas Ianuarij, circa horam nonam, fisso cœlo, quasi facula ardens, cum longo tractu instar fulguris, illapsa est terris, tanto splendore, vt non modò qui in agris erant, sed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur: qua cœli fissura sensim euanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite quidem crescente,
B cum ceruleis pedibus. Quæ pericula, oratione viri Dei, sunt annihilata.

Illo tempore, quidam religiosus ab Hierosolimis rediens in Siciliam, reclusi cuiusdam hilaritate aliquamdiu recreatus, didicit ab eo inter cætera, quòd in illa vicinia, essent loca quæ vocantur ab incolis ollæ vulcani: in quibus animæ reproborum luant diuersa, pro vitiorum qualitate, supplicia; ad ea exequenda deputatis ibi Dæmonibus, quorum se crebrò voces, iras & terrores, sæpè etiam vlulatus, audisse dicebat plangentium: quòd animæ damnatorum eriperentur de manibus eorum, per eleemosinas & preces fidelium, & hoc
C tempore magis per orationes Cluniacensium, orantiũ indefessè pro defunctorum requie. *Ollæ vulcani in quibus animæ diuersa luunt supplicia.* *Eleemosinis & orationibus maxime fratrũ Cluniacensiũ eripiuntur ex tormentis Dæmonum.*

Hoc per illum, abbas Odilo, comperto, constituit per omnia monasteria sibi subiecta, vt sicut primo die Nouembris, solemnitas omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebretur. Qui ritus ad multas ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solemnizari facit. *Abbas Odilo instituit per sua monasteria memoriam defunctorum.*

Quam consuetudinem, etiam episcopus Christi Notgerus, ad suã Diœcesim transtulit, eamq; solemniter fieri ordinauit. *Notgerus eam ad diocesim Leodiensem transfert.*

Prædictus abbas Cluniacensis, tàm ipse, quã eius successores, plures ecclesias in parochia Leodiensi acquisiuit: in quibus religiosi mo
D nachi, ab ipso, sub nomine prioratus, sunt statuti, qui nocte & die pro statu ecclesiæ aures diuinæ misericordiæ non cessant perpulsare. Prima est, prioratus sancti Symphoriani in busco. Secunda, prioratus sanctæ Mariæ de Vertroia. Tertia, sancti Stephani in Nameka, in qua pridem fuerunt circa quatuor prioratus. Quarta, Sanctimonialium in Hoyo, quæ dicitur sancti Victoris. Quinta, sancti Petri in Aqualia. *Instituuntur plures prioratus per diocesim Leodiensẽ.*

Castrum præterea Valentianas, situm in Marchia Franciæ ac Lotharingiæ, quod Balduinus Comes Flandrensium inuaserat, Imperator Henricus obsedit, concurrentibus ad auxilium eius, Roberto Rege Francorũ, & Richario Comite Normannorum. Sed quia idem Rex de obsidiõe redierat inefficax, vocato in auxiliũ suum prædicto episcopo Notgero, contra Balduinum proficiscitur, eiusque auxilio, *Notgerus Roberto regi frãcorum fert auxilium contra Balduinum Comitem Flandrensium.*

& consilio munitus, castrum Gandauum inuadit, & depopulatâ terrâ, aliquot Flandrensium primores capit: vnde Balduinus perterritus, Imperatori satisfecit, Valentianas reddidit, datisque obsidibus, cum sacramento fidelitatis, manus ei dedit. A

*Consilio Notgeri Aufredus Comes Louaniensis fundat cœnobium Sanctimonialium. Idem Electus episcopus constituit vxorem in cœnobio. Cœnobium construit in Traiecto inferiori & ibidem sepelitur.*

Eo etiam tēpore, à Domino Aufredo Comite Louaniensi, de consilio & licentia venerabilis Notgeri episcopi, fundatum est cœnobiū Sāctimonialium beatæ Mariæ in villa de Turne, quam tenet Comes Brabanticus à Leodiensi episcopo. Hic itaque Aufredus Comes, in episcopum inferioris Traiecti, diuina inspirante gratia, cùm esset electus, suam coniugem, sanctam videlicet Hilsuindem, in dicto cœnobio constituit: in quo filia eorum sancta Benedicta, primò regimen animarum, sub regula beati Benedicti suscipit: vbi & meruerunt sepeliri. Beatus verò Aufredus, constructo cœnobio Apostoli Pauli in ciuitate Traiecti inferiori, in eodem sepulturam accepit. B

ANNOTATIONES.

1. Et cùm tot & tanta egerit in patria. ] *Præter recensita beneficia, quæ ecclesiæ & patriæ Leodiensi præstitit, sunt & alia plura, quorum partem aliquam lector, ex subiectis diplomatibus, quæ ex libris chartarum ecclesiæ Leodiensis hausimus, cognoscere poterit.*

I*N nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Otto, diuina fauente clementia, Imperator.

Nouerit omnium fidelium nostrorum, præsentium videlicet & futurorum industria, qualiter nos, ob amorem Notkeri, venerabilis Leodiensis episcopi, maximeque ob remedium animæ nostræ, eidem venerabili episcopo concessimus, vt in loco Fossis nuncupato, thelonium, mercatumque, & monetam, & materiam ceruisæ constitueret. C

Et hoc proinde nostræ auctoritatis præceptum, ei conscribi iussimus, per quod præcipimus, firmiterque fieri volumus, quatenus in prædicto mercato, moneta, thelonioque, & ceruisæ materia, ad aliquem nihil pertingat potestatiua manu aliquid agere, nisi episcopo in præfata sede constituto, ipsiusque aduocato: sed neque eundo, neque redeundo, mercatores ad ipsum locum negotij properātes, thelonij constitutionem contemnere præsumant. D

Et, vt verius credatur, manu nostra illud subterfirmauimus, annulique nostri impressione sigillari iussimus.

Signum Domini Ottonis Imperatoris augusti.

Willigisus cancellarius, vice Roberti archicapellani, notaui.

Data anno Incarnationis Domini, nongentesimo nonagesimo quarto, indictione secunda. Anno verò regni Domini Ottonis, decimo quarto, Imperij septimo. Actum Ersphesfort.

*In nomine*

A *IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis,*
Otto, diuina fauente clementia, Imperator augustus.

Nouerint omnes nostri fideles, tàm præsentes, quàm etiam futuri, quòd venerabilis episcopus Leodiensium Notkerus, præcepta quædam nostris obtulit obtutibus, quæ ab antecessoribus nostris, Pipino, Carolo, Lodouico, & item Carolo, regibus Francorum, collata erant ecclesiæ S. Mariæ & S. Lamberti: & insuper à patre nostro Ottone Imperatore confirmata, super vniuersas possessiones eiusdem matris ecclesiæ, quarum istæ sunt capitales; Hoyum, Fosses, Lobies, Tungres, Maslines, & super cætera loca, cum omnibus rebus & hominibus ad ea pertinentibus, vt omni publica potestate exclusa, in B manu episcopi, singulariter consistant.

Nos itaque, eandem sanctæ ecclesiæ dignitatem cōsiderantes, Imperiali edicto præcipimus, vt nullus comes, nullus iudex, nisi cui episcopus commiserit, audeat potestatem exercere super ea loca, neque placitum habere, aut freda, aut tributa, aut bannos, aut thelonia, aut reditus de statione nauiū exigere, neque in quibuslibet alijs, quæ vel nunc habentur, vel de cætero habenda sunt.

Si quis autem contra hoc nostrum præceptum egerit, & vllam vim in rebus ecclesiæ, sub nomine potestatis fecerit, & bannum re-C gium componat, & conatus eius irritus fiat.

Hanc auctoritatem à manu propria firmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus.

*Sigillum Domini Ottonis Imperatoris augusti.*



D

Hildibaldus cancellarius, ad vicem Willigisi archicapellani, notaui. Datum octauo Idus Ianuarij, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octuagesimo primo, regni Ottonis secundi decimo nono, Imperij verò decimo tertio, indictione sexta. Actum in Gruona.

*In nomine*

*IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis,* A
Otto, Romanorum Imperator augustus.

Notum fieri volo omnibus, tàm futuris, quàm præsentibus, qualiter, consultu & iusta petitione Domini Syluestri Papæ, primùm quidem familiam in Marsua & in Caselli, necnon Hittinchusen, quę ad Heriwardi, cum omnibus familijs & prædijs, fideli nostro Notkero Leodiensium episcopo, consensi, in recompensatione videlicet seruitij auo patrique meo, & mihi exhibiti, & deuotionis, quam in eo præ omnibus promptam, ad exequendam voluntatem meam & iustitiam semper reperi: ea scilicet ratione, vt fratres in monasterio sancti Ioannis in Insula, ab eo ante ciuitatem nouiter constructo, B ad remedium animæ meæ, & ipsius pro cuius amore exhibui, redditibus eiusdem loci in perpetuum, sicut proprijs, vtantur, quatenus his vtendo, meique memoriam habendo, ab ipso cui cuncta debemus, exaudiantur, & veniam delictorum mihi impetrare mereantur.

Hanc concessionem sic in futuro, sic per Imperialem nostram sententiam esse volumus inuiolabilem, vt si quis eam lacessere tentauerit, & conatus eius iudiciaria potestate deprimatur, & id quod quærit, nullatenus adipiscatur.

Vt autem secundum votum nostrum inconuulsa maneat, more antecessorum nostrorum, sigilli nostri impressione subsignare iussimus. C

*Sigillum Domini Ottonis inuictissimi Imperatoris augusti.*



D

Hildibraldus episcopus & cancellarius, vice Willigisi archiepiscopi, recognoui. Datum quinto Idus Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, indictione decima. Anno autem tertij Ottonis regnantis decimo quarto, Imperij verò primo. Actum Aquisgrani palatio,

*In nomine*

A IN *nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis,*
Otto, diuina fauente clementia, Rex.

Omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, cognoscat industria, quomodo adijt Celsitudinem nostram fidelitatis nostræ promptissimus exequutor Notkerus, Tungrensis seu Leodiensis ecclesiæ venerabilis episcopus, petens vt ea omnia quæ antecessores nostri, pijssimi Romanorum Reges & Imperatores, Leodiensi ecclesiæ sanctæ Mariæ sanctique Lamberti, vbi idem pretiosus martyr corpore quiescit, contulerant, & nos concederemus.

B Nos verò, ob amorem Dei, & animæ nostræ salutem, iustæ petitioni eius aurem libenter accommodauimus, & hoc nostræ auctoritatis præceptum, ad augmentandas & confirmandas res prædictæ ecclesiæ, fieri decreuimus, per quod fideli nostro Notkero venerabili episcopo, & omnibus qui post eum in Leodiensi ecclesia futuri sunt episcopi, confirmamus has abbatias: Laubiensem, & Fossensem cum omni integritate sua, & Comitatum de Brunengerunz, & in Traiecto quicquid regalis ius fisci exigere poterat in moneta, in telonio, tam in nauibus & ponte, quàm foro, & vicis, exitibus, & reditibus ipsius loci.

C Concedimus etiam & confirmamus ei abbatiam sancti Petri, in loco qui dicitur Gemblues, in Comitatu Darnuensi, cum omnibus ad eam pertinentibus mobilibus vel immobilibus, tàm cum his quæ infra ditionem eiusdem abbatiæ in præsenti consistunt, quàm & illis, quę diuina largitas illic conferri & augeri disposuerit.

Hanc itaque abbatiam omninò liberam, præfatæ Leodiensi ecclesiæ confirmamus, & in perpetuum possidendam concedimus; eo rationis modo, vt nullus Comes, vel sub Comite agens, nullus aduocatus, vel quælibet sæcularis persona, ad causas audiendas, vel ad aliqua districtionis negotia exercenda, ipsam abbatiam, & ei subdita loca, intrare & inquietare præsumat, sed Leodiensis episcopi prouisioni, ordinationi, aduocationi, tuitioni subiaceat; talemque loco illi Leodiensis episcopus tutorem & aduocatum præficiat, sub quo

D res & homines abbatiæ defendantur & conseruentur, vt deinceps augmentum & supplementum sint vsibus inibi Deo seruientium.

Et, vt hoc à fidelibus nostris verius credatur, ac per succedentium temporum curricula diligentius obseruetur, manu nostra subter illud firmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus.

*Et* *Sigillum*

 A

*Sigillum Domini Ottonis gloriosi Regis.*



Hildibaldus episcopus & cancellarius, vice Willigisi archicapellani, recognoui. B

I*N nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Henricus, diuina fauente clementia, Rex.

Nobis profuturum, & ad vitam præsentem transigendam, & ad futuram fœliciter obtinendam credimus & scimus, si secundum fidelium nostrorum iustas petitiones, ecclesiasticas facultates, & cuiusque potestatis, iudiciaria districtione liberauerimus, & liberatas augmentauerimus, & augmentatas Regalis præcepti munimine tuendas esse firmauerimus. C

Quapropter, notum esse volumus omnibus nostris fidelibus, tàm futuris, quàm præsentibus, quia vir venerabilis Notkerus Tungrensis seu Leodiensis episcopus, quoddam præceptum nostris obtulit obtutibus, quod erat secundi Ottonis, Imperatoris & consanguinei nostri, & manu firmatum, & sigillo signatū: in quo dicebatur, quòd non solum ipse & pater suus, primus videlicet Otto Imperator virtute & nomine, sed antecessores eorum, Reges scilicet Francorum, Pipinus, Carolus, Lodouicus, Lotharius, & item Carolus, & etiam cæteri Reges antecessores & successores eorum, eidem ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Lamberti, cui auctore Deo idem episcopus præest, per auctoritatis suæ præcepta contulerant, vt & ipsa & suæ appenditiæ, quæ sunt, videlicet, Lobijs, & in loco, qui dicitur ad sanctū Hubertum, Bronio, Gembluos, Fossis, in Malonia, Namuco, Dionanto, Ceumaco, Edla, Tungris, Hoyo, Traiecto, Malinas, vel in cæteris locis, cum omnibus rebus vel hominibus ad se pertinentibus, libere per se cōsisterent, & ab omni inquietudine iudiciariæ potestatis, defensæ & securæ manerent. D

Huius securitatis auctoritatem, sic ab antecessoribus nostris promulgatam, vt, ob amorem Dei & reuerentiam eiusdem ecclesiæ assensus nostri adiectione firmaremus, petijt prædictus venerabilis episcopus.

Cuius iustæ & rationabili petitioni aurem libenter accommodauimus

A uimus, & hoc noſtræ auctoritatis præceptum, erga ipſam eccleſiam tuitionis gratiâ, pro diuini cultus amore, & animæ noſtræ ſalute, fieri decreuimus; per quod firmiſſimè iubemus, vt deinceps nullus Comes, nullus iudex, niſi cui epiſcopus commiſerit, in prædicta loca, vel eorum territoria, quæ in quibuſlibet pagis, infra regni noſtri ditionẽ, & nunc habent, & in futuro habenda ſunt, ad cauſas audiẽdas vel ad freda, aut banna, aut tributa, aut de ſtatione nauium, vel de qualibet alia re, telonia exigenda, aut aliqua diſtrictionis negotia, ſuper homines tàm ingenuos, quàm ſeruos in eis manentes exercenda, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel quicquam in eis contra voluntatem epiſcopi ſucceſſorumq; eius attentare au-
B deat: ſed ipſi præſuſi ſucceſſoribuſque ſuis, & nunc & ſemper, liceat res prædictæ eccleſiæ, & illi ſubditarum, ſub tuitionis atque immunitatis noſtræ defenſione, remota totius iudiciariæ poteſtatis inquietudine, quietas poſſidere, & noſtro Imperio parere, atque pro incolumitate noſtri, & noſtræ coniugis, & pro ſtatu ac diuturnitate regni noſtri, vnà cum clero & populo ſibi ſubiecto, clemẽtiam Dei iugiter exorare, & quicquid de præfatis rebus eccleſiarum, ius fiſci exigere poterat, prædictæ eccleſiæ eſſet, vt deinceps ad peragendum Dei ſeruitium augmentum & ſupplementum fiat.

Huius itaque præcepti authoritatem, vt nomine ipſius, qui nobis præcipiendi conceſſit poteſtatem, pleniorem obtineat vigorem, & à
C fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, ac noſtris diligentius conſeruetur, & manu propria firmauimus, & ſigilli noſtri impreſſione, ſignari iuſſimus.

*Sigillum Domini Henrici Regis inuictiſſimi.*



D

Eberhardus cancellarius, vice Willigiſi archiepiſcopi, recognouit.

Datum quarto Idus Iunij, anno Dominicæ Incarnationis, milleſimo ſexto, , indictione tertia. Anno verò Domini Henrici ſecundi Regis quinto. Actum Erſtem. Explicit, *Amen.*

2. Tẽporibus eius ſiccitas. ] *Siccitatem hanc,& impeditã ſationem, famem ſubſequutam, annonam & piſciculos paruos pluiſſe de cœlo, per imbrem continuum ſationem autumnalem quoq; impeditam, teſtatur Sigebertus, & refert ad annum 989. Hæc mala auerſa,& bona donata precibus Notgeri epiſcopi, ex traditione & chronicis vulgatis piè ſcribit noſter Aegidius.* A

3. Terræ motus. ] *Narrat eadem verbo tenus Sigebertus, ſed refert ad annum Domini 1000. ſecundum computationem Dionyſij.*

4. Illo tempore, quidam religioſus ab Hieroſolymis rediens. ] *Hauſit quoq; hiſtoriam hanc auctor noſter ex Sigeberto ad annum 998.*

5. Hoc per illum, abbas Odilo, comperto. ] *Petrus Damiani Romanæ Eccleſiæ ſeptimus Leuita, petente Hugone quinto abbate Cluniacenſi, ſcripſit vitam S. Odilonis quarti abbatis Cluniacenſis, in qua de locis pœnarum in Sicilia quæ hic habentur, autor noſter penè de verbo ad verbum deſumpſit. Vbi etiam memorabile exemplum ſubijcit de Benedicto 8. 151. pontifice, apud Platinam, precibus huius S. Odilonis, ex pœnis huiuſmodi liberati.* B

6. Caſtrum quoque Valentianas. ] *Hiſtoriam hanc totidem ferè verbis proſequitur Sigebertus in Chronographia ad annum Domini 1007. & poſt illum, Meyerus in annalibus flandriæ libr. 2. ad eundem annum, menſe Auguſto.*

7. Eo etiam tempore, à Domino Aufredo. ] *In codice aureæ vallis reperio huiuſmodi annotationem marginalem.* De hoc itaque Aufredo Comite dicit Sigebertus monachus: Clarebat etiam hoc tempore inter nobiles Gallorum Aufredus comes Hoyenſium, qui cùm etiam fuiſſet comes Tratuſpantium, non minus iuſtitiâ, quam potentiâ ſæculari, C depoſito militię cingulo, tonſuratus in clericum, eo prouectus eſt, vt famoſus, deordinaretur eccleſiæ Traiectenſis Epiſcopus.

---

## *Quomodo caſtrum Hoyi acquiſiuit.*

## CAPVT LIIII.

*Ab Aegidio additum.* D

*Notgerus acquirit caſtellũ Hoy Leodienſ eccleſiæ.*

HIs diebus, inter alia innumerabilia bona quæ geſſit, caſtrum Hoy, Leodienſi Eccleſiæ acquiſiuit, ſicut teſtatur priuilegium ab Ottone Imperatore confirmatum, cuius iſte eſt textus.

Otto, diuina fauente clementia, Rex. Cunctis fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, per ſcripti huius prætitulationem manifeſtari voluimus, quia adijt Celſitudinem noſtram venerabilis, & fidelitatis noſtræ in omnibus executor Notgerus, Tungrenſium vel Leodienſium Epiſcopus, vt ei, vel ſucceſſoribus ſuis, Sanctæ Mariæ ſanctoque Lamberto deſeruituris, Comitatum Hoyenſem, qui in noſtra ditione hactenus erat, quẽmõ; Aufridus comes Illuſtris vir, qui illum ad præſens tenebat, pro Dei honore, & prædictorum Sanctorum

ctorum veneratione ipsiusque episcopi amorem reddiderat, perpe-
A tuò habendum concederemus: & quia quod reliquum erat Regiæ ditionis, in moneta scilicet, & telonio, reliquisque redditibus, munificentiâ Regum vel Imperatorum, prædecessorum nostrorum, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, in Leodio vel Hoyo positæ, iam cesserat, & dilectissima mater nostra, Theophania Imperatrix, fiendum petebat, ratum duximus eius subuenire petitioni. Itaque, pro animæ nostræ, vel antecessorum nostrorum remedio, vel Dei seruitutis melius & fidelius explendo, quicquid Cameræ nostræ prouenire poterat ex comitatu iam dicto, ecclesię supradictę, vel iuri episcopi cõcedimus. Et, vt hoc ratũ, & firmũ credatur, annuli nostri impressione subter-
B signari iussimus. Acta sunt hæc circa annũ Dñi nongentesimũ nona gesimũ quintũ.

ANNOTATIONES.

Cuius iste est textus: Otto, diuina fauente clementia.] *Quia textus huius diplomatis ab Aegidio mutilatus citatur, subiecimus eum integrum ex prima lib. chartarum ecclesiæ Leodiensis.*

*IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis,*

Otto, diuina fauente clementia, Rex.

Cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, per scripti huius prætitulationem manifestari volumus; quia adijt Celsitudinem nostram venerabilis, & fidelitatis nostræ in omnibus exe-
C quutor, Notkerus Tungrensium vel Leodiensiũ episcopus, vt ei vel successoribus suis, sanctæ Mariæ sanctoque Lamberto deseruituris, Comitatum Hoyensem, qui in nostra ditione hactenus erat, quemque Auffridus Comes illustris, vir qui illum ad præsens tenebat, pro Dei honore, & prædictorum sanctorum veneratione, ipsiusq; episcopi amore reddiderat, perpetuò habendum concederemus. Et quia quod reliquum erat Regiæ ditionis, in moneta scilicet, & telonio, reliquisque reditibus, munificẽtiâ Regum vel Imperatorũ, prædecessorum nostrorũ, ecclesię S. Marię Leodio vel Hoyo positæ, iam cesserat, & dilectissima mater nostra, Theophania Imperatrix, fiendũ petebat; ratum duximus eius subseruire petitioni.

D Igitur, super id quod ab antecessoribus nostris, Regibus vel Imperatoribus, ecclesiæ iam dictæ Tungrensi vel Leodiensi cõcessum fuerat, scilicet, & in vicis, Traiecto, Hoyo, Namucho, Deonãto: vel in monasterijs, castellis, cortibus & villis, iã ad seruitiũ eiusdẽ episcopi acquisitis, vel de cætero acquirendis, id est, vt nullus comes, vel sub comite agens; vel iudex, aut ex iudiciaria potestate, exceptis eis, qui ab episcopo suffecti fuerint in loca supradicta, residere audeat, vel ad causas audiẽdas, aut freda, aut tributa, aut bãnos, aut telonia, aut reditũ de statiõe nauiũ, aut aliquod oĩnò districtũ exigendũ, aut mãsiones vel paratas faciẽdas, aut fide iussores tollẽdos, aut vllas redibitiones, aut illicitas occasiones inquirẽdas, sicut cõtinebatur in præceptis regijs vel Imperialibus, munificentiâ vel immunitatis intuitu super deno-

minatis ecclesijs iam olim concessis. Super hæc, inquam, omnia A
quæ dicta sunt, quæque ab antecessoribus nostris ecclesiæ sanctæ Mariæ sanctique Lamberti concessa sunt, concedimus eidem venerabili Notkero episcopo, & per eum, omnibus eius successoribus, quod reliquum Hoyensis comitatus in nostra ditione superfuerat, infra eundem vicum, vel extra, tàm idem episcopus, quàm & reliqui per succedentia tempora episcopi, cuicumque fidelium suorum, & nostrorum militum, vel amicorum, dari illum censuerint, liberam habeant facultatem: saluâ tamen, si ita episcopo visum fuerit, inuadando nostrâ reuerentiâ, vel propter debitū nobis ab omnibus honorem, vel propter bannum legalius faciendum.

Itaque, pro animæ nostræ, vel antecessorum nostrorum remedio, vel Dei seruitio melius & fidelius explendo, quicquid Cameræ nostræ prouenire poterat ex comitatu iam dicto, ecclesiæ supradictæ, vel nostri episcopi cedendum permittimus, B

Et, vt hoc auctoritatis nostræ præceptum & firmius credatur, & diligentius ab omnibus obseruetur, manu propria firmauimus, & annuli nostri impressione, subtersignari iussimus.

*Sigillum Domini Ottonis gloriosissimi Regis.* C



Hildibaldus episcopus & cancellarius, vice Willigisi archicapellani, recognoui.

Datum Nonis Iunij, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octuagesimo quinto, indictione decima tertia. Anno verò tertij Ottonis regnantis, secundo. Actum in Gilenhoim fœliciter, *Amen.* D

*Quanta*

A

## *Quanta illi cura in educandis pueris fuerit.*

### CAPVT LV.

QVanta fuerit illi in educandis pueris, ſcholaribuſque diſciplinis inſtruendis ſollicitudo, hinc maximè probatur; quòd ſemper dum in via pergeret, longè, ſeu propè, ſcholares adoleſcentes ſecum ducebat, qui vni ex capellanis ſuis ex arctiſſima ſcholarum parerent diſciplina. Quibus etiam librorum copiam, cum cæteris ſcholaribus vtenſilibus, circumferri faciebat: ſicque fiebat, vt quos plerumque rudes & illiteratos à clauſtro abduxiſſet, ipſos quos prius magiſtros habuerant, in literarum eruditione, redeuntes ſuperarent. *Quantam adhibuerit ſollicitudinem in inſtruendis pueris.*

B

ANNOTATIONES.

*Reperio in codice Aureæ vallis hanc marginalem annotationem*: Anno Domini 994. Sanctus Albertus epiſcopus, de Praga ciuitate Boëmiæ, à peruerſis martirizatur. In cuius honore Dominus Notgerus eccleſiam parochialem, iuxta B. Ioannem Euangeliſtã ædificauit, cui ius baptiſterij & extremæ vnctionis totius inſulæ contulit.

C

## *Qui & quales ſub eo coaluerint.*

### CAPVT LVI.

HVius eruditionis occaſione, plurimi eorum, etiam in religionis ac ſanctitatis diſciplina, circa eum in tantum profecerũt, vt idonei fierent rectores eccleſiarum. *Multi ex diſcipulis eius, propter eruditionem & vitæ ſanctitatem aſſumuntur ad epiſcopatum.*

Ex illis quippe, multæ ciuitates gauiſę ſunt ſe habere paſtores: quarum Salsburgenſis eccleſia archiepiſcopum habuit Gontherum: Cameracenſis duos, alterum alteri ſuccedentem, Rothardum & Erliunum: Virdunenſis Haymonem; qui Haymo magiſtrum ſequens, in vrbe Virdunenſi, monaſterium S. Marię Magdalenæ, & ſancti Mauri, poſtea conſtruxit: & Tullenſis eccleſia Hezelonem: Traiectenſis, Adelbodum.

D

Licet à multis etiam alijs epiſcopalem gradum non aſſequutis, qui ſub eo nihilominus coaluiſſent, quamplurimæ correctæ ſunt eccleſiæ, ex quibus Durandus, poſtea Leodienſis epiſcopus, Bauerbergenſem eccleſiam, religionis & artium liberalium diſciplinâ, illuſtrauit. Otbertus, cum quibuſdam alijs ſecum hinc abductis, Aquenſium clericorum vitam, pernitioſe licenti contagio deprauatam, ad ſanctæ religionis ſtatum, pro poſſe, reduxit. *Multi per varias eccleſias reſtituunt collapſam diſciplinam.*

Quid

Quid de Huboldo dicam, qui dum adoleſcentulus à ſcholari diſciplina hinc aufugiſſet, Pariſius veniens, ſanctæ Genouefæ canonicis adhæſit, vbi multorum ſcholarium inſtructor fuit: vbi cùm aliquandiu, Domino Notgero ignorante, moraretur, tandem canonica epiſcopalis ſententiæ exequutione, compulſus eſt redire, pluribus relictis ſtudiorum ac moralitatis inſignibus? Cuius vitam benè ſatis morigeratam acceptans epiſcopus, gratiâ ac donis muneratum, ad virtutis ſtudium amplius accendit. Idem poſtea, ſub Pontifice Baldrico, Pragam, Boëmiæ ciuitatem, tranſmiſſus, cùm nonnulla ibidem chriſtianæ religionis documenta dediſſet, ad nos iterum cum honore remeauit. A

*Huboldi eruditio & ſtudiū*

Multi quoque alij ſub tanto patre educati, religione & ſtudijs liberalibus, diuerſa illuſtrauêre loca: quorum vita religioſis moribus & doctrinis inſignita, paternæ probitatis euidens eſt documentum. B

Nec hoc ſilendum, quòd inter cætera pietatis opera, prudenti admodum vſus conſilio, in tres æquas portiones, prædia eccleſiaſtica diuiſit: quarum vnam ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus retinuit; alteram eccleſijs & monaſterijs impertijt; tertiam militibus, qui eccleſiam armis protegerent, habere conceſſit.

*Prædia eccleſiaſtica in tres æquas portiones diuidit.*

ANNOTATIONES.

Virdunenſis, Haymonem. ] *Hic Haymo fuit trigeſimus octauus epiſcopus Virdunenſis, creatus anno Domini 902. natione Germanus, patriâ Bauarus, progenie nobilis, ſanctitate & eruditione clarus: qui vocatus ad aulam Henrici Ducis Bauariæ, poſtmodum imperatoris, vt illi à conſilijs eſſet, tantum apud eum profecit, vt & ipſe Imperator nomen ſancti meruerit. Vide Richardum de Waſſebourg Archidiaconum Virdunenſem in ſuis antiquitatibus Belgij: de hoc Imperatore, quædam infra dicemus ad calcem capitis 68.* C

---

*De bonis eius moribus.*

## CAPVT LVII. D

ET, vt de ſanctis eius moribus aliqua adhuc breuiter enarremus, erat pauperibus mitis, ſuperbis diuitibus terribilis, bonis quibuſque lenis ac manſuetus, iniquis & malitioſis hominibus metuendus, potentibus venerabilis, mediocribus amabilis, admirabilis ſapientibus, indoctis eruditor clementiſſimus, ſenum ac debilium ſuſtentationis baculus, iuuenum & adoleſcentium correptor ſtudioſus, prouidus in conſilio, circumſpectus in facto, clarus in eloquio, diſcretus in ſilentio.

*Catalogus virtutū Notgeri.*

Quem ſummi proceres, Romanæ videlicet vrbis antiſtes, & Imperator, tanto extulerunt honore, vt primus eorum, in diſceptationibus

*Summus Pontifex & Imperator honorant Notgerum.*

A nibus præsulum Cisalpinorum, suas ei vices iniunxerit: Imperator verò, in disponendis regni negotijs, præcipuum procuratorem habuerit.

Nunquam torpori in se locum dedit, & à suis familiaribus, desidiam animi, pro posse semper expulit. Cum clericis, diuinæ paginæ quæstionibus enodandis, quoties vacaret intentus, etiam laicos adolescentes, quibus educandis instabat, ætati & ordini suo congruis artibus implicabat.

His, & similibus insistens laboribus pater venerandus, triginta sex in episcopatu peregit annos, multosque à nobilitate paterna non degenerantes, reliquit filios; inter quos piæ memoriæ Dominus B Waso, præ cæteris enituit: qui cùm in eius capella, primò quidem abiectus librorum, abacique gerulus coaluisset, succedente paulatim valentis ingenij progressu, tandem ad regendas maioris Ecclesiæ scholas, episcopo iubente, conualuit: Cuius & exemplis instructus, & doctrinis imbutus, adiectis insuper diuino ex munere proprijs virtutibus, magistrum repræsentare studuit, nostris quoque temporibus, sicut in sequentibus ostendemus.

*Rexit episcopatũ 36. annis.*

*Waso inter discipulos Notgeri enituit.*

## ANNOTATIONES.

*Habes in codice aureæ vallis, hanc annotationem marginalem.* Anno Domini millesimo primo, Otto tertius Imperator, filius Ottonis secundi, & C Dominicæ Theophaniæ Imperatricis, expeditionẽ iam tertiò mouens in Italiam, contra rebellantes Romanos, prius subactis hostibus, veneno à muliere dato, vita decessit, quinto Kalend. feb. anno regni & Imperij eius 17. Corpus eius Aquisgrani ante altare Sanctæ Mariæ, in choro conditum est. Vbi ipse & Dominus Notgerus, tutor eius, viginti octo canonicos, partim de suis prædijs, partim de reditibus ecclesiæ Capri montis, constituit & addidit; quia in dicta Aquensi ecclesia, postquam vastata extitit à Normannis, non erant nisi duodecim: & sic modò sunt in ea quadraginta; cum Sanctus Carolus, qui eam fundauit, dicatur viginti clericos, qui Domino, & suæ genitrici, nocte ac die, sub regula Beati Augustini episcopi, in D ea seruirent, statuisse.

A

## De fœlici eius obitu.

## CAPVT LVIII.

*Ab Aegidio additum.*

*Redit Leodiũ, multis pro honore Imperij & decore domus Dei, exantlatis laboribus.*

IGitur, deductis Notgerus vniuersis laboribus, quibus ad honorem Imperij, & decorem domus ecclesiæ Dei, bona fide, & bono fine, diuersis in locis & temporibus, fœliciter laborauit, vnde scriptum est, B

Quatuor expleuit partes extenta plagarum
Fama suis meritis,

*Construit monasterium super Rhenum.*

Constituto super Rhenum monasterio Sanctimonialium, in villa Iulica, sicut priuilegia eiusdem ecclesiæ in Bible conscripta testantur, rediit Leodium, iam in processa ætate, & ibi episcopali officio, verbo & exemplo, clerum & populum, ad meliora prouehere sollicitus fuit. Vnde scriptum est:

*Concionatur ad plebem vulgari sermone, ad Clerum latino. Hæreses & vitia fugat.*

Vulgari plebem, Clerum sermone latino
Erudit, & satiat, magna dulcedine verbi,
Lac teneris præbens, solidamque valentibus escam. C
Sponte cadunt hæreses sub forti milite Christi,
Fraus & ficta fides, tumor & commenta fugantur,
Et deprensa tremunt, tanquam sub iudice morum.

Hospitalis adeò fuit, vt de ipso scriptum sit:

*Magna illius hospitalitas.*

Nusquam sic colitur totis affectibus hospes:
In laribus putat esse suis, qui venerat exul:
Pauperibus victus, nudis non desit amictus.

*Heb. 4. Illius sermo viuus & efficax. Excõmunicati per illum nisi resipiscerent, diuinitus luunt pœnas etiam corporales*

Ita, *Sermo Dei viuus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti*, in eo fuit, vt quisquis decretorum ecclesiæ violator extitisset, si post commonitionem contumax, & quasi lapidatus cordis duritiâ fuisset, pœnam obdurationis suę portaret, in quem episcopali auctoritate, maledicta congessisset. Vnde scriptum est: D

Nam sumus experti, quicumque fuit violator
Ecclesiæ, postquam hunc feriens, anathemate vinxit,
Corpore & exclusit, sacro vel sanguine Christi:
Iuit in exilium, resipiscere ni properasset,
Si rabie caruit, sed non prurigine turpi,
Et reliqua scabie, quam postea nemo piaret,
Aut fregit collum, vel amatos perdidit artus.

*Est formidabilis reprobis.*

Talis erat reprobis, tàm formidabilis omni

Periuro

A Periuro, prædoni, furi, non perfidus ausus,
In faciem venisse suam.

Et in crucibus aureis, quæ sunt in ecclesia sancti Lamberti, quas ipse fecit, scriptum est de eo:

Certa salus vitæ, Notgerum seruat vbique.

Quandò ergò à maioribus negotijs, ad quietem euadere poterat, ad sanctum Ioannem se conferebat. Ibi in domo adhærente interiori claustro, quam sibi ædificauerat, domi erat: ibi, tanquam in familiari sinu operis sui, orationi & lectioni, & infirmorum visitationi, & pauperum alimoniæ vacabat: ibi, tabellarijs & scriptoribus scribenda dictabat. Epistolam operis eius, sententiæ valetudine, & ornatu verborum lucidam, de pueritia beati Lamberti, & merito Ladoaldi confessoris, & Landradæ virginis, oppido Flandriæ, Gandis in ecclesia sancti Bauonis legi, & visum est nobis, copiâ dicēdi stilum ipsum, maiestati personæ conuenire. Et ideò, loca ipsa, in quibus scripta ipsius, vel de ipso reperiuntur, & versus aliquos antiquitatis de multitudine exceptos, eisdem verbis & metro, quo in antiquis libris inuenti sunt, annotare curauimus, ne ex fauore magis, quam ex cognitione loqui videamur. *Feriatus à grauioribus negotijs, in domo interiori claustro S. Ioannis adhærente, orationi, lectioni, & scriptioni vacat. Scripta quædā Notgeri.*

B

Et si in assertione veritatis, in commendatione bonorum quæ ipse fecit, stare vellemus & valeremus, peccare nos non crederemus.

C Ipse enim Dominus & pastor noster Notgerus, ecclesiam beati Ioannis Euangelistæ, in exemplum eruditionis & operis, secundum claustralem disciplinam, bonis personis initiauit: nam præpositum, & decanum, de ipsa congregatione fratrum, elegit: custodem, & Magistrum scholarum, & cantorem, attributo vnicuique dignitatis suæ officio, & laboris solatio, constituit, & dispositis omnibus, quæ in vsus Canonicorum, vel secundum canonicam diligentiam pertinent, principale altare in honore beati Ioannis Euangelistæ, manu sua consecrauit, & totam ecclesiam, intus & extra, cultui diuino dedicauit. *Notgerus prouidet ecclesiæ S. Ioannis de personis idoneis. Cōsecrat altare maius S. Ioannis, manu propria.*

D Oratorium beati Remigij, & beati Hilarij, in eadem ecclesia, singulari fauore constituit, & his consummandis, quasi vniuersi operis sui supremam manum imposuit: ab ordinatione enim sua per annos sexies sex, in episcopali opere laborauit, & tunc cursu consummato, fide seruata, septimo annorum senario, ad sabbathum quietis, depositione carnis, migrauit. Vnde scriptum est in versibus prædictæ antiquitatis: *Constituit in ecclesia S. Ioannis oratorium SS. Remigij & Hilarij. Moritur.*

Præfuit Ecclesiæ per septem lustra, vel annum.

(Vel) ibi pro (Et) posito.

Et quia sine dolore non perditur quod cum amore possidetur, tota ciuitas, tota patria obsequio funeris affuit: senes cum iunioribus, pusilli cum magnis, affluunt de castellis & oppidis. Clerus, tanquam familia spiritualis, ad plangendum suum *Tota patria lugent mortem Notgeri.*

patrem familias, conuenit, &, vt breuiter dicam, de tota regione, A cateruatim ruunt ad flendum super eum, qui vixerat lætitiæ multorum.

*Singulæ ecclesiæ per eum erectæ celebrant eius exequias.*

Itaque, non suffecit vespere & mane dies vnus ad solemnitatem exequiarum, quia quælibet principalium ecclesiarum, quas ipse in ciuitate fecerat, vel perfecerat, ad vitandam ingratitudinem, humado corpori se debere singulares exequias, professa est. Prima igitur dies luctuosæ celebritatis, in ecclesia sancti Lamberti deducta est. Secunda, in ecclesia sanctæ Crucis. Tertia, in ecclesia sancti Martini. Quarta, in ecclesia sancti Pauli. Quinta, in ecclesia sancti Ioannis, vbi ipse supremæ voluntatis suæ testamento, (quod nulli, in signum B seruatæ vsque in finem humilitatis ostendit) in angulo criptæ humilioris, in oratorio sancti Hilarij, se sepeliri constituit. Quod & ita factum est, anno Dominicæ incarnationis millesimo septimo, quarto Idus Aprilis, fastigium regni & Imperij, post mortem Ottonis tertij, tenente Henrico secundo.

*Sepelitur in angulo criptæ inferioris, in oratorio S. Hilarij anno Domini 1007. 4. Idus April.*

ANNOTATIONES.

1. Quod nulli in signum seruatæ vsque in finem humilitatis ostendit.] *In codicibus Groesbekano & capucinorum, deest,* ostendit.

2. Anno Dominicæ incarnationis millesimo septimo.] *Lambertus paruus, sacerdos & monachus Benedictinus abbatiæ S. Iacobi Leodiēsis, scripsit chronica ab anno Domini 988. vsq; ad annū 1194. quo florebat, quæ demū cùm hæc scriberem, ad manus meas deuenerunt. Hic dicit Notgerum obijsse anno 1008. sic enim ille:* C Anno 1008. obijt Notgerus episcopus Leodiensis fœlicis memoriæ: Baldricus successit.

3. Quarto Idus Aprilis.] *Consonat liber ecclesiæ Leodiensis, ex quo leguntur commemorationes fratrum & omnium fidelium defunctorum ad primam, sub* pretiosa. *Sic enim ibi habes.* Quarto Idus Aprilis, Commemoratio Domini Notgeri Episcopi nostri, pro quo habemus amam vini de frangeis & duodecim modios speltę in granario nostro, in dicto anniuersario distribuendos.

D

*De Baldrico episcopo, qui ei successit.*

## CAPVT LIX.

*Cuius posterior pars, ab Aegidio addita est.*

QVadragesimus septimus episcopatum suscepit Baldricus, generis & morum nobilitate conspicuus.

*Baldricus studet similis esse Notgero.*

Qui, cùm bono antecessori suo studeret assimilari, in honorandis ecclesijs, earumque rebus augendis, magnificus fuit, adeò vt nullam in episcopatu suo ecclesiam, nullum præteriret cœnobium, quod

A quod non aliquo, vel agrorum, vel decimarum fructu, donauerit,& ex prædijs sui patrimonij, Christi pauperes in ecclesijs Deo seruientes, hæredes fecerit.

Inde est, quod valens allodium, Pannardum nominatum, maiori ecclesiæ, ad sustentandos ex eo viginti quatuor pauperes, perpetuò contradidit: sed & comitem Arnulphum, cum sua coniuge, liberis orbatos, monitis ad hoc perduxit, vt ecclesiam sibi hæredem, pro animarum suarum remedio, facerent.

*Allodium Pannardum donat ecclesiæ Leodiensi.*

*Eius consilio Comes Arnulphus ecclesiam hæredem instituit.*

Eius etiam temporibus, Gerardus Cameracensis episcopus, cum fratre suo Godefrido, Florinense oppidum, cum monasterio in honore sancti Baptistæ Ioannis in eo constructo, Leodiensis ecclesiæ B subiecit dominio; cui monasterio, ne quid ibidem Deo seruientibus minus suppeteret, duas ex sua parte præfatus episcopus Baldricus, gratis addidit ecclesias.

*Gerardus episcopus Cameracensis cum Godefrido fratre oppidum Florinen. Leodiensis ecclesiæ dominio subijcium.*

Ipse, præsente Coloniensi Archiepiscopo, videlicet Heriberto, sanctæ Mariæ, sanctique Lamberti ecclesiam dedicauit. Post cuius dedicationem, Beati Bartholomæi ecclesiam, à Godeschalco maioris ecclesiæ præposito, constructam, cum eodem Archiepiscopo, die tertio, consecrauit.

Postea, in beati Apostoli Iacobi honore, monasterium ædificare gestiens, fundamenta quidem Basilicæ iecit, sed subripiente mor-C tis die, cùm vsque ad vitreas opus perduxisset, imperfectum reliquit.

Criptam tamen, in qua nunc corpore quiescit, cùm perfecisset, & in honore Apostoli Andreæ dedicasset, pauca ibi prædia, ad vsum ibi Deo famulantium, constituit, & paruo post tempore, morti propinquans, ipso die, eademq; hora qua in Flardargensi prælio maxima nostratium strages facta est, decessit.

*Additio Aegidij.*

Ipse, præsente Coloniensi Archiepiscopo, cum sancto videlicet Heriberto, sanctæ Mariæ, sanctique Lamberti ecclesiam à venera-D bili Notgero, venusto opere constructã, quinto Calendas Nouembris, dedicauit, quando duarum oliuarum, scilicet Simonis & Iudæ, mundus agit memoriam,

*Baldricus ecclesiam S. Lamberti à Notgero constructam dedicat.*

Post cuius dedicationem, tertia die, non minori deuotione vtriusque sexus, & ætatis multitudine, penè in extremo ciuitatis nostræ sitam, vterque dedicauit ecclesiam, in honore Sancti Bartholomæi Apostoli: quam vir nobilis Godescalcus, maioris ecclesiæ præpositus, ædificauit, & in eadem sicut vsque in præsentem diem cernitur, tumulari meruit.

*Dedicat etiam S. Bartholomæi.*

Nam antea quædam ecclesiola ibidem fuerat in honorem Beati Seruatij ædificata, & cùm in Traiecto ecclesia, quę Beati Seruatij continet membra, vsque ad illa fere tempora, in honore Apostoli Bartholomæi fuerit dedicata, fertur quòd placuerit Imperatori ac epis-

 copis

copis, quod earum patroni mutarentur, & sic Traiectensis retinuit A
nomen sancti Seruatij; ista dedicaretur, sicut dictum est, in honore Apostoli.

Dicitur quod sanctus Vlbertus gloriosus martyr in ea quiescat, cuius festum agitur decimo quarto calend. Nouembris.

In vsus etiam duodecim fratrum, quos ibi aggregauit, quorum numerus Apostolico congruebat ordini, sua allodia deputauit.

ANNOTATIONES.

1. Vir generis & nobilitate conspicuus.] *Hic enim Baldricus fuit cognatus Arnulphi comitis Lossensis, vt infra habes, cap. 62.*

2. Episcopatum suscepit.] *Anno Domini 1008. secundum Sigebertum in chronographia.* B

3. In honorandis ecclesijs earumque rebus augendis.] *Quæ inter alia Rex Henricus secundus, hoc Baldrico instante, donârit ecclesiæ Leodiensi, potes cognoscere ex duobus diplomatibus hic subimpressis, quæ ex primo libro chartarum ecclesiæ Leodiensis desumpsimus.*

IN *nomine S. & indiuiduæ Trinitatis.*

Henricus, diuina fauente clementia, Rex.

Si ecclesias Dei alicuius doni incremēto meliorare studuerimus, nobis id profuturum esse, minimè dubitamus.

Quapropter, omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet C
ac futurorum, industriæ notum esse volumus; qualiter nos diuini amoris instinctu, necnon Heymonis, sanctæ Virdunensis Sedis præsulis, atque Helzelonis Comitis interuentu, quandam iuris regni nostri forestim, intra istos fines adiacentem, hisque terminis præcinctam: Ex vno latere, fluuioli Polera & Edera: ex alio Sūma fluuiolus: ex tertio, strata Imperialis, quæ à Summa tendit vsque ad villam quæ nominatur Pons Imperij: ex quarto, Mosa, & inter ortum Poleræ & Summæ, sylua quæ dicitur Heua, cum banno nostro, cæterisque eius pertinentijs, seu, cum omnibus quæ quolibet modo dici, vel scribi possunt, vtilitatibus, secundum collaudationem comprouincialium inibi prædia habentium, sanctæ Leodiensis ecclesiæ episcopo, eiusq; D
rectori, Baldrico videlicet antistiti, per hanc nostram præceptalem paginam concedimus, atque largimur, & de nostro iure ac dominio, in eius ius & dominium, prout iustè & legaliter possumus, omninò transfundimus: ea scilicet ratione, vt prædictus Baldricus episcopus, suique successores, de iam nominata foresti, eiusque pertinentijs, liberam de hinc habeant potestatem tenendi, fruendi, vel quicquid eis libuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota.

Et, vt hæc nostræ donationis auctoritas stabilis & inconuulsa omni permaneat tempore, hoc præceptum inde conscriptum, manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

*Sigillum*

A

*Sigillum Domini Henrici Regis inuictissimi.*



B

Eberhardus episcopus & cancellarius, vice Willigisi archicapellani, recognouit.

Datum calendis Iulij, indictione sexta, anno Dominicæ Incarnationis, millesimo octauo: anno verò Domini Henrici secundi regnantis septimo. Actum Coloniæ, fœliciter, *Amen.*

I*N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis,*

Henricus, diuina fauente clementia, Rex.

Notum sit omnibus nostris fidelibus, præsentibus scilicet & fu-
C turis; qualiter nos, interuentu atque petitione Heriberti Coloniensis archiepiscopi, bannum nostrum bestiarum, Baldrico, sanctæ Leodiensis ecclesiæ præsuli, necnon Baldrico comiti, super eorum proprias syluas, quæ sunt inter illa duo flumina quæ ambo Nithe vocantur, & tertium quod Thila nominatur, sitæ, & quæ pertinent ad illas villas Heiste & Heisten, ac Badfrido, necnon Maclines, nominatas, quod tamen totum Wauerwald appellatur. In comitatu verò Gotizonis comitis, qui Antwerf dicitur, situm, per hanc nostram præceptalem paginam concedimus atque largimur; & de nostro iure, in eorum ius ac dominium transfundimus: ea videlicet ratione, vt præscripti Baldrici, de prænominato banno, eiusque vti-
D litate, dehinc liberam habeant, quicquid sibi placuerit, potestatem faciendi, omnium hominum contradictione remota.

Et, vt hæc donationis nostræ auctoritas stabilis & inconuulsa omni permaneat tempore, hoc præceptum inde conscriptum, manu propria corroborantes, sigillo nostro insigniri iussimus.

Sigillum

A

*Sigillum Domini Henrici Regis inuictissimi.*



B

Eberhardus cancellarius, vice Willigisi archicapellani, recognouit. Datum pridie Idus Septembris, indictione sexta, anno Dominicæ Incarnationis, millesimo octauo, anno verò Domini Henrici secundi regnantis septimo. Actum Treuiris, fœliciter, *Amen.*

4. Duas ex sua parte præfatus episcopus Baldricus, gratis addidit ecclesias.] *Notatio marginalis Aegidij sic habet:* Ecclesiam de Liers iuxta Leodium, & Sanctæ Mariæ in Rouera.

5. Ipse præsente Coloniensi Archiepiscopo, cum S. videlicet Heriberto.] *Molanus ad martyrologium Vsuardi.* Die, *inquit*, 16. Martij, Natale Sancti Heriberti Archiepiscopi Coloniensis. Huius venerabile C corpus in monasterio Tuiciensi ad Rhenum honorificè requiescit, quod idem vir sanctus in honorem Sanctæ Dei genitricis à fundamentis erexit. *Si plura de hoc scire desideras, lege vitam illius per Rupertum, Tuiciensem Abbatem, nouo stylo descriptam, quæ habetur apud Surium: scripserat enim ante Rupertum etiam illius vitam quidam Lambertus Leodiensis, monachus Tuiciensis. Huius Heriberti meminit quoque Sigebertus in chronographia ad annum Domini 997.* Heribertus, *inquit*, ordinatus Coloniensium episcopus, magna sanctitate claret.

---

## *Quomodo castrum apud Huguardis ædificari voluit: & de pugna eius cum Duce Louaniensi.* D

### CAPVT LX.

*Ab Aegidio additum.*

*Meditatur erigere castrum in Huguard.*

HIs diebus, idem Baldricus episcopus, pro salute ac munimento ecclesiarum, quæ suæ subiacebant potestati, super allodium suum, quod Huguardis erat situm, disponebat ædificare castrum. Cuius opus maturè instituens, primò, ad tutelam eiusdem castri,

A ſtri,optimum præcepit foſſatum fieri; quod adhuc, vt illius villæ teſtantur incolæ, perſeuerat.

Huic incœpto, comes Louanienſis Lambertus, cognomento Barbatus, vir prophanæ mentis, & moribus, vehementer epiſcopum offendit, & ne fieri debeat, directa legatione contradicit, fateturque illud caſtrum, quod intendebat conſtruere, multum oppido ſuo officere. Benignè reſpondet epiſcopus, pro ſalute & tutela eccleſiarum, ſe id opus inſtituiſſe, oppido eius nihil officere, nec ſibi, nec ſuis rebus benè conſulere, ſi huic negotio contumaci obuiaret animo, & fidelitatem quam ſibi & Sancto Lamberto fecerat, irritam faceret: ſe ab incœpto nullo modo velle deſiſtere, vt id fieret ſine ſuo-
B rum impedimento, multum ſuppliciter orare.

*Lãbertus cognomento Barbatus Comes Louanienſis contradicit.*

*Non audit rationes nec preces Baldrici.*

Ad hæc, Dux fremere incipiens, cœpit minari ſuæ poteſtatis tyrannidem, pauperum oppreſſionem, eccleſiarum rapinam. Quid plura? Quod minatus fuerat, ad effectum perducit, in bona eccleſiæ manus extendit, nullo obſtante inuadit, inde ſuos milites, magis rapinæ aptos, quam militiæ dicatos, ad maius epiſcopij detrimentum hortatur & accendit.

*Inuadit bona eccleſiæ Leodienſis.*

Cuius tempeſtati ne primò inconſultè iret epiſcopus obuiam, legatos miſit ei, vt à publicis eccleſiæ detrimentis manum cohiberet, ne cogeretur ſuum exerere gladium, & anathematis intorquere iaculum. Ille, obſtinato animo preces epiſcopi cum legatis reſpuere,
C pacem refutare, nec Deum, nec hominem reuereri, parum de futura excommunicationis cenſura, timere.

*Iterum reijcit preces & minas Baldrici.*

Vbi aduertit epiſcopus cruentum hominem ex induſtria inſanire, & nec ratione, nec tempore poſſe ſedari, ad ſua proſiliens arma, virgâ vtitur paſtoralis curæ, hunc anathematis vinculo ligat, vt improbitatem illius, tali ſaltem catena coërceat. At ille, quaſi maiorem furendi nactus occaſionem, cœpit magis infeſtus eſſe, villaſq; & agros vaſtare. Proclamationes interim ad epiſcopũ ſuper hoc negotio perferuntur plurimæ, tàm pauperum, quàm eccleſiarum, in dies fiunt querimoniæ: Tot infinitæ voces flectunt epiſcopum ad cle-
D mentiam, nec ſine graui gemitu ſuorum filiorum, luctuoſam valet audire hiſtoriam.

*Baldricus epiſcopus illum excommunicat Louanienſem. Lambertus Comes magis infeſtus.*

Inter maxima piæ mentis ſuſpiria, animaduertit huic malo non eſſe alium defenſorem, prçter Deum, & ſeipſum: Eccleſiæ damnis, òrphanorum lamentis conſulendum, potentiæ inſani hominis, ne magis inſoleſceret per licentiam, fortiter occurrendum. Rurſus tamen, ad ſuperbum Principem legati diriguntur, qui obſecrant, ne patientiâ epiſcopi abuteretur: ſed iterum, ſicut prius, cum minis & indignatione reſpuuntur.

At epiſcopus, veritus ne vltionis dilatio, maior fieret filiorum Dei deſolatio, decernit pro eccleſiarum defenſione, huic peſti maturè occurrere, & quaſi ferrum de manibus extorquere: talem enim illum cruentum expertus fuerat, vt nec pudor, nec patientia,

*Baldricus meditatur armis occurrere Comiti.*

*Vtitur consilio nobiliū patriæ.*

nec ratio reuocaret à furore: ne tamen aliquid inuidiæ super hoc redundaret, suæ mentis sequendo impetum, vocatis nobilibus qui ei fidelitatem fecerant, causam eis exponit, & adiutorium, sicut debent, ab eis requirit. A

His auditis quærimoniarum causis, pari voto fauent episcopo: insuper, suadent obuiam ire, nec in tali negotio vtendum esse clementiâ, sed austeritate, arcu & gladio. Præterea, profitentur nullam de triumpho futuram difficultatem, cùm pars sua iustiori causa vteretur, cùm hoc certamine, vitæ & saluti plurimorum consuleretur.

*Suadent armis comiti resistendum esse.*

*Fiunt cōciones preces & sacrificia pro milite.*

Sponsione tali & spe episcopus animatus, quamuis sciret, pro huiusmodi calamitate, magis vtendum esse orationis clypeo, quàm visibili gladio, grauissima circumuentus necessitate, paratis militum copijs, ad conferendam procedit cum hostibus manum: ad cōmunem enim omnium talis congressio spectabat salutem. Nec ab hoc charitatis officio vacabat ecclesia, in qua pro salute bellatorum fiebant assiduè placationes hostiarum. B

*Vincitur Baldricus episcopus cum suis.*

Sed declarauit euidenter rei exitus, ob commune populi nefas, Deum nolle ecclesiarum exaudire preces & gemitus: nam victoria ad alteram transiens partem, luctuosum nostris, diuino fauore nudatis, repentè contulit exitium; hostibus verò, præter triumphi gloriam, insultationem & gaudium: nec profuit ex hac parte fidem, pietatem, honestatem, certasse, parumque obfuit illic fraudem, scelus, inhonestatem, manus conseruisse. C

Sed, vt vera relatione didicimus, congressione prima, nostræ cessit parti victoria. Deinde, comes Namucensis, turpi motus fuga sui nepotis, paratis militum suffragijs, se ad aciem quàm velocissimè contulit, & facto graui impetu, redeunte cum suis Louaniensi comite, episcopi fugam, militibus nihil tale suspicantibus, incussit.

*Fama est 300. circiter cæsos fuisse.*

Perhibetur etiam in illa congressione, præter vulneratos & captos, trecentos homines vitâ caruisse: nos tamen, quid horum verius censeatur, ambigimus, totumque Dei iudicio, quicquid ibi gestum est, reseruamus. Huius tàm luctuosus belli exitus euenit Hugardis, sexto calendas Octobris, quando tertium sui episcopatus agebat annum: sed quem finem habuerit talis iactura, docebunt sequentia. D

*Occultum sed nunquā iniustū Dei iudicium.*

Perlata est igitur ad vrbem nostram tantæ calamitatis cognitio, triumphus hostium, episcopi fuga, sui ruina exercitus, occultum, sed nunquam iniustum Dei iudicium. Quis luctus, quæ mœstitia, quæ vulgi opinio, quis ciuium inde erat motus, amor nimirum singularis pij pastoris, quasdam pietatis lachrymas extorquebat, modumq; in dolore haberi, non sinebat.

*Patientia & modestia Baldrici episcopi.*
*1. Pet. 1.*

Episcopus his ærumnis pulsatus, tenensque in dolore modum, tàm sæuæ potestati, patientiæ opponit clypeum, Deo gratias agit, fideique suæ probationem, *auro, quod per ignem probatur*, reddit puriorem.

Pro his tamen qui in illo prælio mortui fuerant, conuersus ad Dominum

A minum cum lachrymis aiebat: O bone Iesu! ob mea scelera talem euenisse iacturam, nec brachij robur extenti, nec Angelicæ me virtutis meruisse præsentiam: sed, cur indiscreta cæde, vnius delicto, tot perierunt animæ? Quare inter hostes tuti non fuerunt, qui deuotione militiæ, sacramento fidem seruauerunt? Ergò, ego huius ruinæ causa, ego homicida. Me vox sanguinis accusat, me partium arguũt studia: gregis enim desolatio, ad pastoris refertur ignauiam, cuius vita & meritum, suorum robur & defectus debet esse hostium.

ANNOTATIONES.

1. His diebus idem Baldricus.] *Lambertus paruus*, Anno, *inquit*, Do-
B mini 1013. bellum in Hugardis 6. Idus Octob. & 14. calend. Decemb. terræ motus factus est magnus circa meridiem.

2. Huic incœpto, Comes Louaniensis Lambertus, cognomento, Barbatus.] *Meminit huius miserandæ tragediæ. Sigebertus in chronographia anno Domini 1013.* Baldricus, *inquit*, episcopus, cùm in villa, Hugardis dicta, castellum muniret, Lambertus Comes Louaniensis eum aggreditur, & episcopus, Lamberto vincente, multis suorum captis & occisis, graui atteritur infortunio. *Nõ multò post, anno videlicet millesimo decimo quinto secundum eundem Sigebertum*, dictus Lambertus, apud Florinas, miro modo perimitur: Dux enim Godefridus, cum comitatum Montensem depopularetur, Raginerius cum patruo suo Lamberto Comite
C Louaniensi eum insequutus, apud Florinas pugnam conseruit: vbi plusquam quadringenti viri occisi sunt, & ipse Lambertus occubuit: vbi res mira contigit. Cùm Lambertus spem victoriæ iam haberet (habebat quippè phylacterium à collo vsque ad pectus pendens, Sanctorum reliquijs refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat) instante ei termino vitæ, phylacterium illud à collo eius exiliens, super tumulum campi exiliuit, & mox comes, antea inuictus, perimitur. Quidam militum phylacterium accipiens, in caliga abscondit, sed coxa eius & crure intumescente, rem prodidit, & phylacterium Domino suo Etheloni fratri Ducis dedit.

D

## *Quomodo Ioannem episcopum de Italia recepit, Metrica, & de obitu eiusdem Ioannis.*

## CAPVT LXI.

*Ab Aegidio additum.*

HAc nimirum tempestate, erat venerabilis Ioannes nomine, natione & lingua Italus, episcopus officio, qui sui gratiam nominis, moribus illustrabat canditatis, & pietatis studio. *Tempore Baldrici Leodium venit venerabilis Ioannes Italus episcop.*

Gg 2 Huius

*Illius virtutes* Huius enim erat opus præcipuum, iugi custodia tueri animum, asperos carni labores indicere, ad profectum virtutis semetipsum indies excitare. Amor diuinæ seruitutis, quo feruebat plurimum, excludebat ab illo amorem rerum, nihilque commodius sibi aut charius, quàm frequenter orare, frequenter psallere, pati inediam, amplecti vigilias, vsuque benè viuendi, diuersas patrum gratias promereri. Præter occultos interioris vitæ actus, quid de Dominicæ crucis vexillo, quo pectus armauerat, quid de fœlici pudicitiæ loquor titulo, cùm bonorum exemplo, ad cohibendum carnis & sanguinis aculeum, vteretur cilicio? Nec scientiæ claritudo per litteras deerat, nec ingenij acumen: habituque ipso honoris videbatur Angelici. A *Eius doctrina.* B

Hisque rebus honestatus, quæ maximè officio congruunt episcopi, perhibetur etiam satis egregiè in arte picturæ illis temporibus claruisse. Cuius rei experimentum si quis exigit, Aquis eum dirigimus, vbi palmam adhuc obtinet tanti artificij opus, licet vetustate temporis, vt res cæteræ, magna ex parte, decorem suum amiserit. *Claret etiam arte pingendi.* *Insignis imago, Aquisgrani quam Ioannes Italus episcopus depinxit.*

Quis autem Imperator eundem a patriæ sustulerit gremio, breui, in eadem pictura, declarauit versiculo:

A patriæ nido, rapuit me tertius Otto.

Alter etiam versus ibidem appositus, breuiter huius artificis pandit titulum, qui se habet in hunc modum: C

Claret Aquis, sanè tua qua valeat manus arte.

In loco etiam nostro, quem plurimum dilexit, vbi tumulari meruit, suæ monumenta picturæ dereliquit: cancellum enim nostrum honestè depinxit, sed antiqua eius illa pictura, noua superueniente, est deleta.

Quæ autem causa aduentus huius viri ab Italia in Gallias fuerit, vel quo ordine, gradu sacerdotij sit perfunctus, vt his, qui super hac re fuère curiosi, est compertum, & per eos nobis significatum, silentio non transibimus. Quod si friuolum quibusdam videbitur, & falsitatis arguimur, illis magis imputandum, quorum auctoritate & testimonio sumus vsi, & ad scribendum compulsi. *Quæ causa aduentus Ioannis ab Italia in Gallias.* D

Otto tertius Imperator, de quo dubium fuit, iustitia validisne potentior foret armis, quodam tempore, in partes deueniens Galliarum, mansionem in Aquensi accepit palatio, vt in Regia sede, & Reipublicæ domicilio. Vbi aliquamdiu commoratus, eiusdem loci capellam, studio deuotionis, regijs muneribus honorauit, & quæ deerãt ad decorem ipsius capellæ, supplere animũ intendit: necdũ enim color alicuius picturæ eandem decorabat. Vnde prædictum Ioannem prætiosum artificem, missa legatione ab Italia, accersiuit, & vt doctas manus applicaret huic negotio, orauit, & imperauit. Paruit

A ruit ille regali imperio, & quid valeret in hac arte, declarauit magnificè.

At Imperator, in huius operis remunerationem, infra Italiam quodam ab hac vita decedente episcopo, eiusdem eum cathedræ donauit officio. Cuius rei gratiâ, dum patriam repeteret, vt collati honoris potiretur baculo, Dux eiusdem prouinciæ, ibidem commorandi illi auertit arbitrium, dum missis nuntijs, de filiæ suæ interpellauit coniugio, dicens, in eadem patria, cuius rector habebatur, honore & fructu episcopatus eum priuari, nisi animum subijceret huic conditioni. Ille magis fauens castitati, qua nihil erat ei B præstantius, quàm clericale officium maculare copula carnali, respuit huiusmodi pactum, sponte sua elegit exilium, & à finibus decedens Italiæ, reddit se regali præsentiæ. Quem pro suæ vitæ merito, idem Otto Imperator non minus seipso diligebat, eúque inter primos Regię domus habebat, & honestè tractabat: admonitionem quoque illius salutarem, qua increpabat Regiam potestatem, de iustitia tenēda, de vtilibus Reipublicę causis, de lenitate erga subiectos, libenter excipiebat, eoque audito, animum ab effrenata licentia frequenter cohibebat.

*Otto Imperator ad vacantem episcopatū promouet Ioannem Italum.*

*Is amore castitatis, recusat nubere filiæ Ducis.*

*Redit ad Imperatorem.*

*Magni facit illum, & eius salutares admonitiones audit.*

Ne ergò vir tantus, ob varias occupationes, intra curiam suam, aliquam sustineret penuriam, episcopum Ioannem, Baldrico nostro C Leodiensi episcopo commendauit, & vt humanè tractaret & foueret, monuit, & orauit. Amplexus est episcopus Baldricus virum egregium, quasi à Deo oblatum, & ob sobrietatem vitæ eius ac modestiam, maximam ei exhibebat reuerentiam: fit in breui de ignoto notus, de extraneo domesticus & priuatus.

*Imperator cōmendat illum Baldrico episcopo Leodiēn.*

*Baldricus Ioānem reuerenter excipit.*

Inter vtrosque, accessu temporis, non carnis, sed spiritus creuit vinculum, ingens fidei & dilectionis augmentum, vt duos homines, lingua, natione, patria dispares, pares officio, charitate indiuisos, vnius cordis & animæ, esse putares. Regebatur alter ab altero: ille, his quæ corporali congruebant humanitati, peregrinationis causâ; iste, illius consilio & sapientiâ. De tam fœlici vtriusque amicitia, vtilitas processit maxima, quæ & saluti animarum valde consuluit, D & æternam claritudinem vtriq; acquisiuit.

*Baldricus & Ioannes episcopi, maximi fiunt amici.*

*Fœlix & salutaris illorum amicitia.*

Nam & inter assiduas sermonum colloquutiones, quibus ad inuicem, pro mutuo charitatis vinculo, fruebantur, repentè cum gemitu graui, lachrymæ per ora nostri voluuntur episcopi Baldrici, dolorque acriùs innouatur, dum præteritæ calamitatis recordatur: de strage suorum cruenta, de hostibus ecclesiæ, quorum fœlix euenerat exitus in certamine, querimoniam facit, mœrore contabescit, linguáque faucibus hærente, sicut prius, animam eius transuerberat gladius. Pro euentu tali, contristatur se contra officij dignitatem, mentis amisisse serenitatem, per singulos dies, quasi vecordiâ perurgeri, per noctes somniorū phantasmata pati; iam tempus esse opportunum, huic morbo quærere, & inuenire medicinam.

*Baldricus aperit Ioanni angustias cordis sui.*

*Ioannes compatitur Baldrico episcopo. Rom. 12.*

*Dat salutare consilium.*

Vir reuerendissimus Ioannes, Apostolicæ recordatus sententiæ, (*quæ flere* imperat *cum flentibus, gaudere cum gaudentibus*) quod fraternæ congruebat charitati, primò concordat dolori, deinde virgâ vsus & baculo, hinc incutit terrorem, illinc consolatione animũ erigit fluctuantem: postremò salutare consilij adhibet genus, omni medicina præstantius. Primo quidem fatetur, non debere sapientem aduersis moueri, cùm res humanas constaret rota volubili versari, licet subita mutatio rerum, non sine quodam fluctu fieri possit animorum. A

*Monet Baldricum agendam esse pœnitentiã*

*1. Reg. 17. Iudith 14.*

Deinde, refert grande crimen esse, sacerdotem Christi, more terrenæ potestatis, exercitum ductare, humano sanguini interesse, tot homines, pro vnius salute capitis perire, aduersus hostilem cuneum, oratione, non gladio pugnandum: pro his omnibus corpus humiliandum, saccus induendus, in cinere sedendum, capiti puluis imponendus, & cætera agenda, quæ pertinerent ad plãctum, ad dolorem, ad lamentum. Tali ordine placandam suadet Dei viuentis iram, qui superbi caput Goliæ, per Dauid puerum nouit detruncare: qui per Iudith viduam, de contumaci Oloferne dedit victoriam. B

*Suadet pro refrigerio occisorum, erigere ecclesiã, & in ea sacrificia offerre. 2. Reg. vltimo*

Præter hoc, honestam de construendo templo, immittit persuasionem, voces occisorum, humanam non quærere vltionem, sed aliquam hostiarum placationem. Proponit regium sancti Dauid exemplum, qui post acerrimam cladem gentis Hæbraicæ, quam ad Dei imperium & cõmuni delicto, gladius bis acutus & limatus virtutis intulerat Angelicæ, est arbitratus optimum, construendi altaris adhibere studium, vt Dñi furor verteretur in clementiam, possetq; populus mereri indulgentiam. C

Benignè huiusmodi admonitio in pectus episcopi descẽdit, & pro tanti hominis consilio, quasi Deum consuluisset, lætatur & gratias agit. Iam pro salute animæ suæ, & occisorum, vel cognati sanguinis, libenter spondet se id facturum, tantũmodo Deus, qui per os eius dederat consilium, largiri dignaretur effectum. Ille confirmat, cum Dei auxilio, non esse opus nisi incœpto, cùm profectò qui cœpisset, dimidium faciendæ rei haberet, voluntati bonæ, quâ nihil est ditius, dilationem multum obesse.

*Baldricus acquiescit consilio, & deliberat de loco ædificandæ ecclesiæ.*

Tali exhortationis modo, sanctus amor diminutionem non capit, sed augmentum, non quietem, sed stimulum; feruorem, non refrigerium; operisque concepti dilatio, maioris desiderij fiebat occasio. D

Vnde, ad hoc opus, maturè deputatis sumptibus, cum suis habet consilium, quo loco, basilicæ fiat fundamentum. Quorundam fuit sententia, hanc posse construi mãsionem in curte amerina, eo quòd ille locus, par solitudini esse videretur, & ab vrbanæ plebis segregatus frequentia. Monachos ibi ponere disponebat, quorum militiâ, quietem expetebat & silentium, nullumque cum mundanis tumultibus consortiũ, quorum studia, tunc primùm in hac ciuitate erant

initianda

A initianda. At voluntas Dei, quæ nunquam valet immutari, aliorum ſententiam, ad ſuum traxit imperium, locumque elegit, qui Inſula vocatur, tantum duorum Apoſtolorum, Ioãnis Euangeliſtæ, & beati Pauli Apoſtoli, memoriâ inclita: quarum vnam Heraclius epiſcopus, vt ſupra diximus, condidit, qui & primus, in hac vrbe ſtudium & religionem initiauit. Alterius fuit fundator Notgerus venerabilis, totus ex ſapientia & virtutibus compoſitus: qui pro ſuæ mentis induſtria, omnem in ſe cleri, vel ciuium, affectum transfudit, quem vrbs noſtra diutius habere non meruit.

*Eligitur Inſula Leodij.*

Vt ergò binario ſuccederet ternarius præfatus Baldricus epiſcopus, in honore beati Iacobi Apoſtoli, qui dictus eſt frater Domini, B monaſterium ædificare incipiens, fundamenta quidem baſilicæ iecit. Erat autem locus huic operi deſtinatus, ſitu horridus & incultus, tantùm ferarum gregi cognitus, vt nihil differre videretur à deſerto, multoſque deterreret ab hoc negotio. Sed Deus ad excidendã tantæ denſitatis ſyluam, eorum ſuſcitauit ſpiritum, quibus iniunctũ huius prouidentiæ erat officium: vires indulſit & animum, operiſq; laborem, ad faciliorem quàm ſperabant, direxit euentum.

*Inſula locus horridus & incultus.*

Emundato ergò ſumma cum diligentia loco, nigredo tranſit in candorem, tenebræ in ſplendorem, horror in reuerentiam, frutecta transformantur in cedrum & myrthum, & lignum oliuæ, ac C ſeptimo calendas Maij inchoatur cœnobium: ſed ſubripiente mortis die, cùm vſque ad vitreas opus perduxiſſet, imperfectum reliquit.

*Inchoatur monaſteriũ in honorem D. Iacobi in Inſula 7. calend. Maij.*

Criptam tamen in eadem eccleſia, in qua nunc corpore quieſcit, cùm perfeciſſet idem Baldricus epiſcopus, præſente Ioanne epiſcopo, cuius optimo in re huiuſmodi perfunctus erat cõſilio, cum magna alacritate, in honorem B. Andreæ Apoſtoli, octauo Idus Septembris dedicauit, ibique prætioſas eiuſdem Apoſtoli reliquias, quas ei Imperator Henricus, theſauris prælatas regijs, in beneficio dederat, modeſtè & reuerenter collocauit.

*Baldricus dedicat criptam in honorem B. Andreæ Apoſtoli, & eiuſdẽ reliquias ibi reuerẽter locat*

Poſt hæc, adductus eſt ibi conuentus monachorum de cœnobio D Gemblacenſi, ad ſeruiendum Deo, & Apoſtolo eius Iacobo; vbi poſſeſſiones & allodia eis, pro poſſe ſuo, idem epiſcopus ſufficienter dotauit, vbi & primus abbas Olbertus, vir magnæ ſanctitatis, & religionis, fuit.

*Monachi Gemblacenſes vocantur ad regendũ monaſteriũ D. Iacobi.*

*Olbertus primus abbas D. Iacobi.*

Eo tempore, in præfato cœnobio ſancti Iacobi conuerſans Ioannes epiſcopus, vitam ducebat Angelicam, lectioni & orationi vacãs: qui vocatus à Domino, in ſenectute bona, viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, ſepultuſque eſt in præfata eccleſia ſancti Iacobi, in ſiniſtra parte eiuſdem eccleſiæ, iuxta altare ſancti Lãberti martyris, vbi ſuper ſepulchrum eius, hoc exaratum eſt epitaphium:

*Ioannes Italus ſancte moritur & ſepelitur in eccleſia ſancti Iacobi.*

Sta, lege quod ſpectas, in me pia viſcera flectas:
Quod ſum, fert tumulus; quid fuerim, titulus.

Italiæ

Italiæ natu, pollens & pontificatu,
Ioannes fugio, pulsus episcopio.
Destinor his oris, exul nullius honoris:
Vrbs pia Leodium, commodat hospitium.
Qua probat arte manum, dat Aquis, dat cernere planum
Picta domus Caroli, rara sub axe poli.
Iacobe iuste, tui memor esto fidelis alumni,
Hæc sit vt aula tibi condita, consului.
Dicta ferunt patrum, signis hoc glorificatum
Corpus translatum, ter & hic meruisse sepultum.

A

ANNOTATIONES.

B

1. Ad profectum virtutis semetipsum in dies excitare. Amor diuinæ seruitutis, quo feruebat plurimum, excludebat ab illo amorem rerum.] *Omnes M. S. codices à nobis hactenus citati, in his verbis sunt vitiati, sic enim habent:* Ad profectum virtutis semetipsum indicens, *aut*, dicens excitare. Amator diuinæ seruitutis, quo feruebat plurimum excludebat ab illo amore rerum. *Nos pro* indicens *vel* dicens, *restituimus* in dies, *& loco* Amator, *posuimus* Amor, *ex codice monasterij S. Iacobi Leodiensis, qui cum alijs vitam huius Baldrici totidem ferè verbis quibus Aegidius noster complectitur.*

2. Monasterium ædificare incipiens, fundamenta quidem basilicæ iecit.] *Lambertus paruus, de quo supra, anno Domini 1016. sic ait:* Baldricus episcopus Leodiensis cœnobium sancti Iacobi in Insula Leodij septimo calend. Maij inchoat, cuius etiam criptam in honore S. Andreæ Apostoli, octauo Idus Septemb. dedicat. C

3. Primus abbas Olbertus.] *De hoc, in choro monasterij D. Iacobi Leodiensis, vbi hic abbas sepultus est, ad eius tumbam, in ære sculpta sunt hæc verba:* Anno Domini 1048. pridie Idus Iulij vitã decessit Dñs abbas Olbertus huius cœnobij primus, vir summæ prudentiæ & honestatis, qui subrogatus de Gẽblaco, viginti & octo annis huic monasterio præfuit.

D

## *De obitu Comitis Arnulphi.*

## CAPVT LXII.

*Ab Aegidio additum.*

*Arnulphus Comes de Loz in ægritudinem mortalem incidit.*

HIs diebus, Comes Arnulphus de Los, de quo superius mentionem fecimus, mortis ægritudinem incurrit.

*Vicinus morti vocat Baldricũ*

Recordatus ergò in extremis, causam amicitiæ Domini Baldrici episcopi, missa ad eum legatione, obsecrat vt venire, suumq; orando tueri exitum dignaretur: paratus enim erat res suas eius potestati

A testati cōmittere, suum quoque castrum, sine refutatione coniugis, vel propinquorum, Sancto Lamberto attitulare.

Auditâ huius legations causâ, non distulit episcopus patricio homini, ac vnico cognato, in tali necessitate ferre suffragium, sed minorem quàm debuit & oportuit habuit comitatum, quamuis comitem Louaniensem, adhuc dilatione pacis, haberet infensum

Vehementer est gauisus comes æger de aduentu Pontificis, sed ægerrimè tulit, quòd cum tam paucis satellitū copijs aduenit. Vnde, post mutuæ salutationis officium, conuersus ad episcopum, qui assidebat lectulo: gratias (inquit) agimus magnas vestræ dignationi, quòd venire, nosque visitare non distulistis; sed ferimus molestè, cū

B tàm exiguis vos militum copijs aduenisse.

Disponebā nimirum, iure propinquitatis, vel assidua vestræ sanctitatis prouocatus admonitione, res meas vestræ paternitati commendare, meumque castrum per manus vestras, cum idoneis testibus, sancto Lamberto oblatum & traditum, vestra tueri defensionē: sed parua ad hoc opus parata video esse præsidia, nec horum impetu & virtute, hostiles cunei poterunt arceri ab obsidione: non enim ignoratis huius castri causâ, inter me & Flandrensem comitem, excitata plerumque certamina, apertè profiteri meæ aduersum fœlicitati; illo pertinaci astruente animo, idem castrum à finibus suis, vi & fraudulenter abstractum, ad suam & hæredis potestatem, *Arnulphus queritur de paruo comitatu & satellitio Baldrici.*

C armis postremò redigendum, vt victoriæ spolium, me defendente legitimam patrum fore hęreditatem, tueri debere vsque ad mortem, & pro meo arbitrio ad alterius redigere potestatem. Præter hoc, nō est ambiguum infirmam esse fœminæ virtutem, ad repellendam huius mali calamitatem.

Ne ergò vestræ fiat detrimentum ecclesiæ, maiori opus est militum præsidio, quorum fides & industria, inuictum, aduersus auaritiam, gerant animum.

Iam nūc, charissime, affectu frater & cognatione, parēs dignitate; quoniā natura mihi facit finem viuendi, solitū in extremis cōstituto,

D charissime, affectū nō negetis, ac militiæ grauiter sordibus implicitū, vestræ orationis beneuolētiā absoluatis. Pręter hęc, obsecro per indiuisum inter nos vsq; in hâc horā mutuæ familiaritatis vinculū, per veteris amicitiæ societatē, & grauissimā huius horę necessitatē, vt de vestro pectore non recedat memoria, meáq; post mortē, vestræ orationis valeā sentire suffragia. Inter extremā, chari amici gemitū, affectus à pectore extorquebat episcopi, & pro recordatione sobrietatis, modestię, vel dignitatis patriciæ, qua nō superbus, sed tēperatè fuerat vsus, vel publico ecclesiarum detrimento, pijs vincebatur fletibus. *Supplicat orari pro se post mortem.*

Consummatis ergò quæ ægro congruebant, iuxta morem ecclesiasticū, facit absolutionem, diuinæ miserationis pollicetur gratiam, eiusq; pro salute, spondet se oblaturū Deo salutarem hostiā. Ille, pro tali officio, gratias agit, spe bona fluctuantē animū erigit, gaudetq; nō *Baldricus absoluit Arnulphum & pollicetur orationes & sacrificia pro mortuo.*

Hh rerum

rerum ac familiæ, sed prętiosum hæredem & patronum meruisset animæ. At Dominus episcopus, eodem obsecrante vt diutius suam eidem indulgeret præsentiam, non consensit, imò varias curarum occupationes quibus vrgebatur, benignè prætendit. A

*Baldricus Leodium repetit ad augendas militũ copias.*

Deinde, pro defensione castri rursum admonitus, ne videretur communibus ecclesiæ nolle consulere commodis, ad augendas copias militum, maturè redit versus Leodium, statimque breui temporis interuallo, prædicti consulis succedit dormitio. Quæ res maximam suis natalibus intulit mœstitiam, totamque patriciæ domus cõcussit familiam, quia clementi animo erga suos vsus fuerat: nam & comitissa Leuthgardis, vxor eiusdem comitis, præter luctum & dolorem, quem temperatè de viri exitu habebat, quid ageret, quò se B verteret nesciebat: aduertebat enim paruam & contemptibilem omnem virtutem fœminæ; ad regendum oppidum, ad castri defensionem, oportere plurimum laborare, vigilias ordinare, stipendia militibus larga manu erogare. Considerans ergò se minus tanto labori sufficere, oblita matronalis pompæ, ac modico contenta comitatu, duxit esse optimum, in tali periculo, implorare episcopi suffragium.

*Comes Louaniensis arripit occasionem redeundi in gratiam cum Baldrico episcop.*

At comes Louaniensis, perpendens esse impium & arduum, tamdiu calcitrare aduersus stimulum, ratusque tempus oportunum sibi, suisque rebus consulere, & in gratiam episcopi redire, quem toties C offenderat cum publicis detrimentis ecclesiæ, statuit hoc modo fortunam tentare.

Compertum sanè habebat, prædictam patriciam, viro orbatam, ob sterilitatem, liberorum caruisse pignoribus, eandem præter morum, & ingenuæ mentis probitatem, genere insignem, allodijs sufficienter diuitem, & pro sui libertate oppidi, vel tutela rerum, iter constituisse ad episcopum.

In spem ergò adductus componendæ pacis cum episcopo Baldrico, huius Matronæ suffragio, ipsius iter, collectâ equitum turmâ, summa cum diligentia explorat, insidias parat, viarum exitus occupat. Inde facta velut hostium incursione, arcet transitum, captamq; intra suum concludit oppidum, non sine maximo comitum timore, D qui suam non iam Dominam, sed captiuam barbaricæ seruitutis dolebant incurrisse iacturam.

*Comes Louaniẽ vult reparare iniuriam factã Baldrico episcopo & patriæ Leodiensi.*

At comes, vt repararet quam fecerat iniuriam, possetque mereri non difficile veniæ materiam, liberalissimus extitit circa eius obsequium, nihilque prætermisit, quod ad humanitatis, vel honoris, pertineret officium.

*Captinat Leuthgardem comitissã, & quare.*

Deinde, placidè causas exponit, quibus aperit se, non hostili animo, aut odij causâ, vel iniuriâ id egisse, imò, necessitati suæ, quæ maxima erat, hoc pacto consuluisse: Non (ait) ô Domina, vestra mihi debet indignari excellentia, super hoc negotio, cùm id sit actum piæ, mẽtis studio, & cõponendæ pacis beneficio: quæ res, v[illegible]

A congruit dignitati, cum profectò apud dominum episcopum Baldricum, cùm familiaritis gratiâ, tùm cognationis societate, valeatis plurimum. Vt autem huius pacis conuentio, honesta, stabilis, & grata possit peruenire, aliquod donum, quod ad profectum pertineat ecclesiæ, episcopali est offerendum reuerētiæ. Ad vestram ergò egregiam spectat liberalitatē hæc largitio, honoris huius claritudo. Vos in hac parte nobis consulite, & vestris aliquam portionem allodijs, inter me & episcopum mediatrix, fœdera pacis componite: iam enim nostræ opes sunt contusæ, tam ferali seditione, iam militum defecerunt stipendia, quorum virtute protecta sunt vsque modo, hæc certamina. Nulla in hoc suffragio potest oriri occasio, cùm præter

B militum turmam, quibus ob castri tutelam & oppidi, donatiuum oportet impertiri, vel familiæ gregem, nulla hæredum incumbat sollicitudo. Hæc, mea Domina, facere non cogimus, sed oramus; non imperamus, sed obsecramus: vobis congruit, vestrum velle, vestrum nolle significare.

Hic modus precandi, sic seruata precantis maiestate, Comitissæ mentem impellit ad pietatem, & quod videbatur spectare ad iniuriā & inhonestatē, totum transfertur ad gloriam & honorem, & quem poterat, si vellet, negare, animi cum summa præbuit assensum alacritate.

Ne tamen aliquid sine sui comitatus ageret consilio, minusque pro collato damnum pateretur beneficio, fidelis vsa clientelę consilio,

C tradidit ei Horrentium allodium, valde bonum, & quod erat optatius & proficuum, à potestate alicuius non patroni, sed prædonis libertum. Quæ largitio, quadam amicitiarum ac beneuolentiæ catenâ vtrosque colligauit, finemque in breui, publicis ecclesiarum detrimentis imposuit.

Nam post huius beneficij fœlicitatem, sine mora, annitente Comite, ad episcopum Baldricum nobiles diriguntur de equestri ordine: quorum supplicatio, paratis potentum suffragijs, gratiâ obtinēdæ pacis, prætendebat Comitis satisfactionem, quod legis erat, quod iustitiæ, quod ad congruam tanti sacerdotis pertinebat dignitatem.

*Mittit legatos ad Baldricum causa ineundæ pacis.*

D At episcopus Baldricus, quia facilis erat apud eum veniæ locus, quamuis forent contusæ his diuturnis seditionibus orphanorum opes; tamen benigno accipit animo hanc legationem, ac respondet, se semper pacem malle, quàm bellum, spondet suam redditurum gratiam & amorem, & sanctæ matris ecclesiæ, à qua segregatus fuerat, societatem.

Nullæ huic cōditioni intercedūt indutiæ, habita cunctatione corā candidata patricij generis turma, de pace, de cōcordia consulitur, eorumq; consultq, pax tota inter vtrosq; cōponitur. Transeunt cōtumeliæ in gloriā, seditiōes & motus in cōcordiā, & de certamine crudelitatis & pietatis, materia nascitur illibati amoris & honestatis.

*Pax componitur inter Baldricum episcopum & comitem Louaniēs.*

Idem comes, ad huius pacis commendationem, allodij quod à comitissa Leutgardæ acceperat, honestam facit episcopo donationem: quod allodium episcopus postea ecclesiæ B. Iacobi reddidit. A

Iam quis finis vitæ Dñi episcopi fuerit, monet tempus expedire, & ad fœlices eius cineres, articulũ flectere: quod sine dolore aggredi nec volumus, nec valemus; præsertim cũ effectus de pietatis fonte descendẽs, gemitũ extorqueat, lingua metu hæreat, manus cum calamo tremat.

---

### *De obitu episcopi Baldrici.* B

## CAPVT LXIII.

*Ab Aegidio additum.*

*Henricus Imperator armat se contra Deodericum comitem Fresoniæ.*

EA nimirum tempestate, Deodericus comes Fresoniæ, bellis & seditionibus, regnum exagitabat Galliæ, & ob sui firmitatem loci, vel difficultatem, vel opum potentiam, quietem perturbabat serenitatis Imperatoriæ: cuius audaciam, cum publicis detrimentis regni, non est passus Imperator Henricus, diutius impunè bacchari.

*Mandat Gozeloni duci Lotharingiæ vt militem conscribat.*

Vnde Gozeloni duci Lothariensis regni mandat, vt paratis militum copijs, illius insaniæ obuiam iret, eiusque insolentiam manu valida opprimeret, se conqueri & irasci vehementer de ipsius ignauia, cùm profectò bellicosa iuuentus illi non deesset, quæ barbaras nationes subiugare, & Romani magnitudinem nominis valeret extendere. C

*Gozelo monet episcopos Galliæ, & Baldricum episcopũ vt arma sumant.*

Ille, fideli animo, Regiæ Majestatis paret imperio, ostendit ducis industriam, suos scribit ad militiam, nec episcopos Galliǫ ab hac excludit profectione.

Suggerit episcopo nostro, sicut cæteris coepiscopis, vt cõmunibus Reipublicæ ferat auxilium negotijs.

*Baldricus se excusat.*

A societate huius belli, primò suam benignè antistes verbis excusat præsentiam, prætendit corporis, qua iam laborabat, molestiam, sibi hac vice fore parcendum, ob præteritæ fidelitatis studium; barbaras & remotas esse nationes, ad quas ductare intendebat exercitum; locos difficiles; grauissimo militum labori & irrito, consulendum. D

*Vocatur in suspicionem infidelitatis à Gozelone.*

Dux Gozelo, his auditis, vehementer irâ accendi, infidelem vocare, Regij contemptum præcepti objicere, non causâ morbi, sed simulationis, ab hoc comitatu se velle subtrahere. Post hæc, aliam impingit calumniæ notam, videlicet, ob societatem cognati sanguinis, illum fauere partibus inimici, illi victoriam, sibi fugam votis optare, parum curare de Augusti Cæsaris vel honore, vel salute.

Ad hæc

A Ad hæc episcopus, vt ab se harum occasionum remoueret suspicionem,& alia quæ studio malitiæ suggeri poterant,faceretq; palam se nunquam infidelitatis subisse flagitium, licet corporis in dies augeretur incommodum, tamen secundum virium quantitatem,suam maturè parauit profectionem. *Baldricus remouet à se suspicionem & ad bellum proficiscitur.*

Sed tu,ô Christe,bellatoris tui, vt toto ambiebat desiderio, cursum terminasti, ipsaque die & eadem hora, qua vtræque acies apud Flãdebergem conflixerunt, sustulisti eum à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie grauis prælij. *Baldricus moritur.*

O quàm crudele & amarum dies illa præbuit spectaculum,quãdo vrbs nostra lugubri consternata nuntio, pij pastoris agnouit & expauit occasum! relictis nimirum ciuilibus studijs, quasi cõmuni orbitatis accepto vulnere, pars trepidare,corpori obuiam ire,pars scissis vestibus pectus tundere, suumque dolorem clamore, lachrymis, suspirijs, augmentare. Nonnulli aiebant; *Dominum abstulisse à Iuda & Ierusalem validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem & bellatorem, Iudicem & Prophetam.* Præterea, proponebant morum eius elegantiam,nobilitatem generis,honestam,& aptam tali personam officio, clementem in ciues, animum pium, & continuum laborem pro exaltatione ecclesiarum. B *Deploratur mors eius.* *Esa. 3.*

At pauperum greges lurida facie,amaro animo,in dolore non habebant modum, vtræque præsentis querebantur se amisisse suffragium: Abstulisti (aiebant) nobis paupertatis nostræ baculum, qui nos pascebat, vestes præbebat, frequenter visitabat, vulneribus nostris studium adhibebat. Quæ spes,quæ nobis restat consolatio,cuius deinceps innitemur auxilio? Non fuit digna vrbs Leodiensis diu talem habere episcopum, cuius probitate & industria regeretur: non fuimus digni diu talem habere patronum. O tempora confusione plena. O dies non serena, sed *tenebrosa, nec in diebus anni computanda,* nec in mensibus numeranda. Considera afflictionem nostram, Iesu bone, intuere lachrymas & miseriam, non dissimili rectore, nostram releua inopiam. Huic redde, quæsumus, quæ nobis fecit, qui te in nobis visitauit,pedes tuos lauit, lachrymis rigauit, cibos ministrauit, te nostris vestibus contexit. C *Iob. 3.* D

Isti ergò tanti viri prosequuntur exequias, & de fonte pietatis, sub mira cleri vel plebis expectatione, amaras producunt lachrymas. O fœlices exequiæ, quas non hominum deformat superstitio, sed pietas illustrat & religio; quas pauperum concio,qui Christi funguntur officio, ordine ambit candidato: cuius seruat cineres cripta quam condidit, & in honore beati Andreæ Apostoli dedicauit: cuius meritis & suffragio, in terra viuentium sit illi portio, vbi sunt flores rosarum, & lilia conuallium. *Exequias Baldrici pietas illustrat.* *Sepelitur in cripta monasterij S. Iacobi*

Opus autem ecclesiæ, sancti scilicet Iacobi,quia consummare nõ potuit, imperfectum, & non altius quàm vsque ad fenestras reliquit, pauca prædia in vsus fratrum deputauit, quæ tamen cumulauit

diuina

diuina clementia, abbatum qui eidem præfuerunt ecclesiæ, pio labore & industriâ. A

Præfuit ecclesiæ vndecim annis, mortuus anno Dñi 1017. 4. cal. Augusti.

Hic Leodiensi ecclesiæ vndecim annis præfuit, & quarto calend. Augusti, vt dictum est, hominem exuit, anno Dominicæ incarnationis millesimo decimo septimo, pontificatus sui anno vndecimo, sub Apostolico, Benedicto octauo, fastigiũ regni & Imperij tenente Henrico secundo.

ANNOTATIONES.

1. Ea nimirum tempestate, Deodericus comes Fresoniæ.] *Adstipulatur ea quæ habet Sigebertus in chron. ad annum Domini 1018.* In Frisonia, Deoderico comite filio Arnulphi Gandauensis debellante Frisones, in vindictã patris sui ab eis occisi, Godefridus dux cum Gothelone fratre, ad eum debellandum ab Imperatore mittitur, & conserto prælio, repentè voce (nescitur vnde) emissa; fugite, fugite, cunctis fugientibus, multi à paucis Frisonibus perimuntur, Dux verò capitur. *Anno sequente*: Is impetrata Frisonibus totius iniustitiæ impunitate, à captiuitate soluitur, & non multò post moritur. Frater verò eius Gothelo in ducatu substituitur. B

2. Quarto calend. Augusti, vt dictum est, hominem exuit. ] *Liber ecclesiæ Leodiensis, ex quo leguntur commemorationes fratrum & omnium fidelium defunctorum, in prima, sub* Pretiosa, *ponit commemorationem Baldrici 12. calend. Maij, quod ( cùm duo tantum sint episcopi Leodienses eius nominis ) necessum est de altero verum sit, & cùm Aegidius in suis additionibus, neutri Baldrico hunc diem obitus assignet, consequenter necessarium est Aegidium in assignatione diei obitus alterius Baldrici vacillare.* C

3. Anno Dominicæ incarnationis millesimo decimo septimo. ] *Lambertus Paruus, de quo aliquoties*: Anno, inquit, Domini 1018. Baldricus episcopus Leodiensis obijt, sepultus in cripta sancti Andreæ Apostoli apud cœnobium S. Iacobi, in Insula. Wolbodo succedit.

---

*Oratio.*

CAPVT LXIIII.

*Ab Aegidio additum.* D

CHriste tui testis Baldrici, quem pia vestis
Virtutum texit, & ad aurea sydera vexit,
Non statuæ plumbi sculpti, non ære triumphi,
Hoc audi carmen, quod supplicis ordinis agmen
Promit, & alarum da velamenta tuarum:
Quando dies iræ veniet feruentior igne,
Fletus stridoris, nebulæ, vel plena timoris,
Cùm vires Regum cessabunt, iuraque legum

Iugi

A Iugi vexillo sanctæ Crucis aufer ab illo
Ignis carbones: non inferni legiones,
Non charon occurset, hunc qui formidine pulset:
Non gorgon, non anguicomæ vis sæua medusæ:
Huncque profundarum puteus non mergat aquarum:
Da sibi stellatum super astra videre senatum,
Sedes purpureas Syon expectare choreas,
Quas eius natæ celebrant lauro decoratæ.
Ipse tuos Christos, indefessosque ministros,
Pugnâ fulmineâ referentes ampla trophæa,
Albatas meruisse togas, meruisse coronas
B Miretur, quarum conserto flore rosarum
Consors effectus, & te tribuente refectus,
Cœlesti manna, iocundum pangat osanna:
Et iubilum cordis notet huius carmine laudis.
Est ibi nil triste, quàm pulchra domus tua, Christe,
Imbre carens, ventis, niue, grandine, nubibus, atque
Casibus, ærumnis, quia septem nexa columnis.
O quàm lætantes in eadem sunt habitantes,
Quàm semper soluent laudes tibi, quando reuoluent,
Quæ tua sit pietas, qua mundi permanet ætas.
C Res miranda satis, meritumque tuæ bonitatis:
Hic Reus est nullus, non fœmina, masculus vllus,
Non scita, non dominus, non seruus, non peregrinus,
Non personarum distinctio Christicolarum,
Si non splendoris, tamen vna corona decoris,
Fontibus æternis satiati; sole, lucernis, *Apoc. 22.*
Non opus est vllis, quia tu lux omnibus illis:
Hic cytharæ, cum psalterio, carmenque perenne,
Quo delectatur quicumque Deo famulatur:
Hic sunt cantores Idithun & Asaph meliores:
Hic sunt Leuitæ, recitantes carmina vitæ: *1. Paralip. 18.*
D Hic æternalis manet infula pontificalis;
Miram namque domum quo cedrus, quo cynamomum,
Quo laurus florem, quo myrthus seruat odorem.
Per vexilla crucis, per summæ dona salutis,
Qua mundo tristi clementer consuluisti,
Obsecro te, Christe, sedes mea sit locus iste,
Quæ vitando nothos, insano turbine motos,
Ad requiem tendit quam fessa gemensque prehendit
Illinc pennarum laudent stridore suarum.
Quòd si peccaui, nec toto corde vacaui
Vitæ mandatis, & ob hoc sedem pietatis
Non mereor, iungi [illegible] rosis lætisque coronis,
A[illegible] Andrea [illegible], quem [illegible],

Olim piscator cœli, nunc arce senator, A
Cuius præscriptam titulaui nomine criptam:
Et pariles Iacobi vis quorum consulit orbi,
Quæso, beatorum prece subueniant meritorum.

Ad sui etiam augmentum meriti, præter aliarum dona gratiarum, noster Baldricus episcopus pietatem coluit, & iustitiam adiuuit, & suis operibus ecclesiæ dilatauit gloriam, candidato pauperum gregi *Math. 6.* larga manu, hilari animo, se præbuit munificum, *ita vt nesciret sinistra quæ eius ageret dextera.* Cuius recordatio venerabilis, vino iocundior, melle & fauo dulcior, nunquam de illis debet excludi pectoribus, quos loco filiorum sanctæ affectu paternitatis adoptauit, ac fœlici B testamento, suarum hæredes rerum & fecit, & reliquit.

---

### *De VVolbodone episcopo.*

## CAPVT LXV.

*Cuius pars, ab Aegidio addita est.*

HVic quadragesimus octauus magnæ virtutis vir Wolbodo successit, qui apud Vltraiectum sub religiosis admodum patribus, C in ecclesiasticis claustralis vitæ adoleuerat disciplinis, quorum pridem imitator in virtutibus effectus, postea magister extitit idoneus.

*Additio Aegidij.*

Post decessum Domini Baldrici episcopi, quadragesimus octauus Leodiensis episcopus, monachus religiosus, magnæ virtutis vir, & Imperatoris Henrici capellanus, beatus scilicet Wolbodo successit.

Hic claræ nobilitatis genus ex Flandria duxit: qui & apud Vltraiectum in ecclesia S. Martini decanus, sub religiosis admodum patribus, in ecclesiasticis claustralis vitæ adoleuerat disciplinis, quorũ D pridem imitator in virtutibus effectus, postea magister extitit idoneus. *Hactenus Aegidius.*

Et licet populis à Deo prælatus, exteriorum curam suscepisset, regendis tamen interioribus constanter inuigilabat: & seipsum quidem suauissimo Christi iugo primùm subijciens, alios secum intra *Virtutes VVolbodonis.* angustæ illius viæ, *quæ ducit ad vitam*, oras, tàm exemplis, quàm *Math. 7.* documentis coarctabat.

Senioribus filium, iunioribus se fratrem, adolescentibus patrem exhibebat; quorum lasciuam ætatem, hinc arctiori disciplina reprimebat, hinc, per se, Sacræ scripturæ lectionibus erudiebat. Nullus *Docet per se S. scripturam.* alicui

A alicui euagandi, & à sanctæ religionis tramite exorbitandi, sub eo locus erat.

ANNOTATIONES.

1. *VVolbodonis vitam scripsit Renerus monasterij sancti Laurentij prope Leodium monachus, cuius initium est* : Claræ nobilitatis Wolbodo, genus ex Flandria duxit, sed claritatem generis, clariore illustrauit vita, eruditione, & pontificali prærogatiua. *Nobilitatem ipsius deducit Meyerus lib. 2. annalium Flandriæ, ad annũ 1020.* Maternum, *inquit (de VVolbodone loquens)* traxit genus, vt tradunt, ex domo clarissimorum principum Flandriæ: nam Gothofredi ducis montani erat filius, ex Iohanna filia comitis Flandriæ Balduini iunioris. *Et subdit* : Monachus fuit stabulonicus, decanus ecclesiæ Traiectẽsis in Frisia, sacerdos Henrici Augusti, ac regni B cancellarius, Leodiensis ad postremum episcopus.

2. Post decessum Domini Baldrici episcopi. ] *Adstipulatur Sigebertus:* Wolbodus, *inquit*, in episcopatu Leodicensi Baldrico succedit, anno Domini millesimo decimo septimo.

---

## *Qualiter episcopus factus vixerit.*

C

## CAPVT LXVI.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

HVnc, ob eximiæ vitæ meritum, Imperator Henricus miro dilectionis amplectebatur affectu, ita vt pia charitatis violentia, cum à claustrali quiete abstractum, primò sibi capellanum faceret, ac deinde Leodiensis eum pontificatus fastigio sublimaret. *Henricus Imperator petit VVolbodonem ex claustro in capellanum, & tandem promouet ad episcopatum.*

In cuius nimirum gradus culmine, nil de prioris vitæ statu imminuens, intentiori potius rigore corpus instituit edomare, vigiliarum D sanctarum impiger exequutor, eleemosinarum ardentissimus distributor.

Quid de sanctarum orationum eius assiduitate referam? quibus exequendis adeo studiosus erat, vt multas etiam hyemales noctes cõtinuaret insomnes, Sanctorum limina circumeundo, & pauperum manus, qui ei per nota viarum diuerticula occurrissent, largiter replendo. *Episcopus nihil remittit de arctiori vitæ genere.*

Parcimoniæ verò virtus adeò ei amicabilis erat, vt post ieiunium, cibis grossioribus ad refectionem corporis vtens, lautiores, & exquisitos, qui sibi pro sacerdotali dignitate apponebantur, prius manibus contrectaret, sicque sapore, pariter & odore prægustato, pane & aquâ, vilioribusque pulmentis ipse contentus, mendicis distribui iuberet. *Vir magnæ parcimoniæ & misericordiæ.*

*Additio Aegidij.* A

*Non habens aliud, tapetia ecclesiæ & aliã supellectilem largitur pauperibus.*

Erat enim valde compatiens, & super aflictos pia gestabat viscera, vt plerumque cùm nihil aliud haberet, tapetia, vel aliam ecclesiæ supellectilem pauperibus largiretur, donec à camerario suo redimerentur.

*Vigiliarum & algoris patientissimus.*

Vigiliarũ quoq;, & algoris ita patiens extitit, vt sæpè dormientibus cæteris, discalceatis in ecclesia pedibus pernoctaret. Et sicut de sancto Iacobo minore legimus, quòd multis genuum flexionibus, nerui eius in modum camelorum obduruerant; sic pedes eius, crebra nuditate, & laboris vsu, callosi erant effecti: solet enim attestari quidam familiaris eius, quòd inter lauandum pedes illius, frigore B & glaciali viarum asperitate adustos viderit, quãuis hoc omnes summo conamine, exemplo Domini, humani fauoris instabilem deuitans auram, diu cælauerit.

*Pedes habet frigore & glaciali viarum asperitate adustos.*

ANNOTATIONES.

1. Pontificatus fastigio sublimaret.] Erat quippé (*inquit Renerus*) tũc regiæ potestatis, siue iuris, episcopum ad suum electũ arbitrium, per annulum & baculum pastoralem inuestire, nec non destinare ecclesijs cum sua commendatione. *Quomodo hæc Reneri verba intelligi debeant, superius suo loco diximus. Fuit verò VVolbodo sacratus in episcopum à S. Heriberto Coloniorum Archiepiscopo, vt paulò post asserit ipse Renerus.* C

2. Tapetia, vel aliam ecclesiæ supellectilem.] Erat, *inquit Renerus*, erga pauperes tam liberalissimæ pietatis, vt si deesset interdum quod largiretur, tapetia, vrceolos, pallia, seu alia quæuis episcopij ornamenta clam sibi ipsi sublegeret, atq; nocturnis maximè horis distribueret egentibus, quæ scilicet à camerarijs, à ministerialibus erat redimi necessarium.

3. Vigiliarum quoque & algoris.] *De vita eius austeritate, vigilijs, parcimonia, multa quoq; apud Renerum habes. Meyerus quoq;, Flandricarum rerum scriptor, paucis verbis multa de hisce VVolbodonis virtutibus habet: sic enim ille ad annum 1020.* Wolbodo, *inquit*, tanto ardore orasse traditur, vt continenti poplitum flexione, grandes genibus obduxerit callos: frigoris D vigiliæ, inediæ adeò patiens, vt aspera sæpè hyeme, nudis pedibus in templis pernoctaret: maximus egenorum auctor & adiutor vir, antiqua fide & virtute, magna eruditione, perspicaci ingenio, ac gigantea (vt ferunt) staturâ.

*Commissio*

A

## *Commissio quæ facta est ei ab Imperatore, de perficienda ecclesia sancti Iacobi.*

## CAPVT LXVII.

*Ab Aegidio additum.*

CVm his diebus pontificij fungeretur officio noster venerabilis Wolbodo, vir quo nemo melior, nemo præstantior probitate, eleemosinis, præter aliarum dona gratiarum quæ à Deo
B consequutus fuerat, quibus se & ciuitatem nostram, quasi quibusdã gemmis illustrabat: qui etiam pro suæ sanctitatis merito, valde carus erat Augusto, & inter regiæ domus præcipuos eminentior habebatur & clarior; erat tunc temporis locus, in quo cœnobium sancti Iacobi Baldricus episcopus construxerat, obliuioni & negligentiæ traditus, nec erat qui arcem ecclesiæ sancti Iacobi imperfectam consummaret, animum ad beneficium conferendum applicaret, qui cõsilium & auxilium præberet. Fratres quoque ipsius Baldrici, vtriq; consulari dignitate pollentes, præter continuum amantissimi fratris luctum, pro contemptu loci satis dolebant, & allodia quæ frater eorum huic ecclesiæ dedicauerat, subtrahere, & in suos vsus redigere
C cogitabãt, animũq; nũc huc nũc illuc diuidẽtes, quo remedij genere sibi consulerent, ignorabant. Sed Deus Israel, qui bonum optimo fine concludit exordium, locum sine consolatione non reliquit, imò hoc ordine, suæ respectu clementiæ, iacentem, & penè nullius momenti, parum & parum expectando erexit.

*Wolbodo charus Augusto & in aula eius eminens.*

*Allodia quæ Baldricus monasterio S. Iacobi dederat, fratres eius subtrahere meditantur.*

Contigit autem, vt Henricus Imperator, pascha Leodij celebraret magnificè. Prædicti ergò fratres domini Baldrici episcopi, nacti oportunum tempus, quo eorum curis, & deserto loco consuleretur, post consummatum Regij apparatus conuiuium, Imperatorem adeunt, eiusque affusi genibus, Regiæ Maiestatis implorant suffragiũ, suæ etiam fidelitatis, quam sæpè erat expertus in bellicis rebus, pro-
D ponunt obsequium. Dolor nimirum & impatientia, modum & ordinem nesciebat; ante preces compositas, ante causarum seriem, quoddam cõsilij genus flagitabat. Mirari cœpit Imperator quid vellent, quid peterent, cuius rei gratiã, tam repentè ante eum flexissẽt genua.

*Fratres Baldrici, recurrũt ad Imperatorem Leodij existentem.*

At illi, recordari (inquiunt) debes, ô domine Imperator, qua fidelitate hactenus seruiuimus tibi, nec vnquam Reipublicæ hostes fuimus, nec vnquam ignauiæ flagitium subire meruimus. Ad mentẽ etiam vestram Serenitas vestra debet reuocare, fratris nostri obsequia, qui eadem deuotione qua & nos, vobis seruiuit, & in eadem fi-

*Illorum supplicatio.*

 delitate

delitate, vsque ad diem vitæ extremum, permansit. Huius, vt tui, ô Imperator, licet inuiti consortio caremus,& pro eo quem reuocare non possumus, amaras lachrymas fundimus, grauiterque in dies & noctes suspiramus: pro salute animæ suæ,& affinium,in Insula monasterium inchoauit; in cuius constructione plurimùm, dum viueret, laborauit, sed morte præuentus,consummare non potuit. In vsus ibi Deo seruientium, sua deputauit allodia. Locus desolatione induratus, sicut prius cedit in vepres & in frutecta. Non est qui laboris huius velit amplecti consortium: non est qui porrigat manum,& opus perficiat imperfectum. Hæc est doloris nostri materia, hæc tristitiæ causa, hæc grauia nostræ mentis vulnera. Ad te, ô Domine Imperator, venimus,pro hac re vt des consiliũ,feras auxiliũm, & aliquod, si tuæ placet pietati, huic loco impendas beneficium: alioquin iure propinquitatis ad nos prædicta hæreditas transibit. Ea erit militaris laboris stipendium: ea vtemur ad tuendam libertatem Romani Imperij, & post nos, hæredes nostri. A B

Ad hæc Imperator: Si præter salutem animarum (inquit) ô egregij consules, vestra foret petitio; vestris tamen votis erat consulendum, & quod suppliciter petitis, & pro grata fidei virtute, vltrò & benignè concedendum. Nunc autem, quia ad summi Regis,& eius fidelium honorem, vestræ spectant preces, nefarium valde est, eas fieri irritas; quia earum contemptus, non ad alicuius terrenæ potestatis, sed ad Dei fertur iniuriam, qui non est inualidus ad vltionem, quam voluerit inferendam. Vnde, obsecramus vt hunc timorem deponatis, & dolorem pro fratre egregio moderando, temperetis. Huic acerbæ necessitati, Reges subiacent & episcopi, & diuersus ordo totius officij. Prædictus verò locus, pro quo querelam fecistis, diu Altissimi non carebit suffragio: nec fratris vestri labor erit irritus, qui huic operi deuotas applicuit manus, præsertim cùm ille qui dedit voluntatem, perficiendi subtraxit facultatem,& iam, vt speramus, pro hoc opere, virtutum sit insertus coronæ. C

Eamus ergò ad locum,& intueamur ipsius loci speciem & situm, vt postulastis: fauente Deo,dabimus consilium; dato consilio, conferemus præsidium. Vt dixerat Imperator, cum maxima plebis & comitum ad locum frequentia vadit, criptam intrat, & ante altare beati Andreæ genua flectit, cuius etiam implorat patrocinium,& in regalis præsentiæ testimonium, super idem altare non parui pretij ponit pallium. D

*Imperator annuit supplicationi, & commendat VVolbodoni perfectionem monasterij.*

Deinde, conuersus ad Wolbodonem episcopum: tibi (ait) huius pauperis loci committo negotium, vt eundem paternitate & clementia foueas Iesu filij, ac vice Iosedech sacerdotis magni, manum adhibeas, & de reditibus, quos tuus antecessor reliquit, opus imperfectum perficias. Grauem (ait episcopus) domine Imperator, mihi iniungis prouinciam,vltra vires meas est negotium: non enim aliquem fructuosum locum, sed mihi committis desertum. Non

(inquit

A (inquit Imperator) tibi committo desertum, sed prætiosa Apostoli Andreæ pignora, quæ Baldrico episcopo, qui hîc iacet, dedi in dono, pro suæ fidelitatis obsequio, &, vt ea in qualicumq; loco, honore illustraret magnifico.

Post hæc, Imperator redijt. Ille, quantum potuit & valuit, de obedientia sollicitus fuit. Tali modo, præfata ecclesia, Deo auxiliante, cum officinis, monachis apta, paruo post tempore perfecta est.

Arnulphus comes Gandauensis contra Frisones dimicans, victus, fugâ salutem meditatus est, sed præuentus ab illis occisus est. *Arnulphus comes occiditur à Frisonibus.*
B Cuius mortem Theodoricus filius eius vlcisci aggressus, totam penè Frisiam igni, ferro, omnique nocendi arte populatur. Ad quem debellandum Godefridus dux Lotharingiæ ab Imperatore missus est. Et conserto prælio vox, repentè, nescitur vnde, ab omnibus audita est: fugite, fugite, capite, capite. Cunctis ad tutum instar locustarum fugientibus, multisque aduersariorum hinc inde peremptis, dux ipse Godefridus ab hostibus captiuatur: pro cuius liberatione venerabilis episcopus Wolbodo, eò quòd ibi notus esset & charus, transmissus est. Qui tanquam *fluminis impetus, qui lætificat ciuitatem Dei*, verba pacis & concordiæ, vbi de conscientia bona & fide non ficta eructabat, & quasi quædam cœlestis virtus, ab omni- *Godefridus dux Lotharingiæ ab Imperatore in exiliũ missus capitur. Wolbodo missus captiuũ liberat, veniam prædonibus impetrat, & pacem componit. Psalm. 45.*
C bus omninò est reueritus. Quid multa? Prædonibus veniam ab Imperatore obtinuit, ducem sanum recepit, pacatis omnibus, bellorum impetus conquieuit.

## ANNOTATIONES.

3. Ille quantũ potuit & valuit, de obedientia sollicitus fuit.] Nam, *vt inquit Renerus*, paruo tẽpore ecclesiam perfecit, & de bono illius administratore sollicitus fuit, compertâ siquidem bonâ famâ Domini Olberti quarti abbatis Gemblacensis, viri prudentissimi & religiosi, habito cum suis maturo consilio, deliberauit locum ipsum eius committere prouidentiæ: ipsum enim Dominus Baldricus promouerat ad regimen Gemblacensis ecclesiæ. Quod ille diu multumque re-
D luctatus declinauit humiliter, ac vix tandem suscepit obedienter, & viginti octo annis exequutus est prudenter: nam ædificato claustro, cum officinis necessarijs, colligens hinc inde viros benè directos ad normam disciplinæ regularis, & maximè ex disciplina abbatis Richardi, conuentum monachorum ibidem adunauit, & quoad vixit, locum ipsum, vna cum Gemblacensi monasterio strennuè gubernauit. Videns igitur Sanctus Wolbodo deuotionem pij abbatis Olberti, libenti accipiebat animo, & ad meliora tendentem suâ prouocabat gratiâ. Vnde omnia quę prędecessor suus Gemblacensi ecclesiæ tradiderat, sua auctoritate confirmauit, & ipsam ecclesiam immunitatis libertate donauit, inter cætera scribens sic in litera: Wolbodo, Dei disponente clementia, sanctæ Leodiensis ecclesiæ e-

piscopus, omnibus in Christo piè viuere volentibus. Vnicuique fidelium scimus omnimodis esse elaborandum, vt promereri possit gratiam Sanctorum: quia sic, tàm propriæ fragilitatis, quàm Dæmonis, & huius mundi concutimur fluctibus, vt non, nisi eorum freti patrocinijs, subsistere possimus. Vnde sancti Petri Apostolorum principis, sanctique Exuperij martyris, aliorumque Sanctorũ patrocinia, quo potui modo, quærere deliberaui, quæ & omnibus, tàm præsentibus, quàm futuris notificare disposui, vt secundum canonum instituta, permittant monachos vitam deducere quiete bonam, vt tàm pro nobis, quàm pro illis, orationibus vacent, in tota ipsorum vita, &c. Ego Wolbodo episcopus nomine, non opere, subscripsi & confirmaui. A B

---

## *Quid placaturus Imperatorem fecerit.*

## CAPVT LXVIII.

*Cõmotum sine causa contra se Imperatoris animum meditatur placare pecunia.*

COmmotum aliquando contra se Henrici Imperatoris animum sibi reconciliari gestiens, consilio suorum aliquantum pecuniæ contraxerat, quam eidem Coloniæ occursurus, vt placatior efficeretur, offerret.

*Mutat sapienter consilium & pecuniam dat pauperibus*

Sed, audi rem, relatu pariter & laude dignissimam: mutato enim repentè proposito, cœpit secum disquirere, quòd si princeps terrenus placandus esset muneribus, cur non potius Rex cœlestis eleemosinis esset acquirendus, in cuius manu sunt omnium corda Principum? Offenso cœlorum dominatore, frustra terrenum Regem placari; creatore placato, hominis, quantumlibet in terra sublimati, minas non debere reputari: sicque nocte ipsa, qua in crastinum profecturus erat, quæ collegerat cœpit pauperibus religiosè distribuere, ita vt de illa pecuniæ summa, qua placari princeps debuerat, nil penitus retineret. C

*Imperator laudat prudentiã & constantiã episcopi.*

Imperator interea Coloniæ iam constitutus, pecuniam, quam fama præcurrente, sibi nouerat ab episcopo coaceruatam, gaudenter præstolabatur: sed cum diu quando sibi præsentaretur expectasset, & à referentibus tandem rei gestæ ordinem & causam cognouisset, sapienter apud se deliberans vir nobilis, non ad sui comtemptum quod factum fuerat reputauit, quin potius prudentiam, pariter & constantiam pontificis, qui terrenum principem immortali Regi non prætulisset, plurimum collaudauit, & ex splendido illo suo cõtemptu, vnde eum amplius amaret, inuenit, suamque vanam potentiam in hac parte, à bono sacerdote derisam, gauisus est. D

*Contra episcopos aulicos re-*

Audiant hoc episcopi, qui creditas sibi spoliantes ecclesias, mimos, cęterosque palatinos canes ditare contendunt; ipsique scurrilibus

A bus vaniloquijs, & turpibus circa Reges adulationibus inseruire nõ erubescunt. Ecce magis celebre in regali aula nostri pontificis nomen, nil tribuendo, est effectum, quàm multorum cum suis adulationibus, cæteri collatores munerum. *gibus & principibus seruientes.*

Huius itaque veteris semperque recentis morbi, noster hic antistes prorsus immunis, male blandientis sæculi lenocinia fortiter calcabat, ad cœlestia toto desiderio suspirabat, & per duos & semiãnos, quibus in episcopatu vixit, præter spontaneam qua corpus atterebat, afflictionem, continua stomachi infirmitate laborauit, eoque magis animi vires roborans erga subditos, tàm exemplis quàm monitis, auxit rigorem ecclesiasticis disciplinis, multique à leuitate, quam B prius fuerant sectati, ad grauitatem morum conuersi, sanctitatis eius imitatores sunt effecti. *Vixit in episcopatu duos & semiannos.* *Multi sanctitatis VVolbodonis imitatores sunt effecti.*

ANNOTATIONES.

1. Sapienter apud se deliberans vir nobilis.] *Quia Henrici Imperatoris aliquot capitibus fit mentio, intelligetur penitius historia, si quis & quantus fuerit, paulò altius repetamus ex libro primo epitomes Suffredi presbyteri ad annum 1002.*

Dux (*inquit*) Bauariæ Henricus, imperium adeptus à Cæsare Augusto 88. imperator, regnauit annis 14. Huic desponsata fuit Cunegundis virgo nobilis, cum qua cælibem vitam ducens, cum virgine C virgo remansit, totum se diuino cultui tradidit, veteres ecclesias reparans, nouas ædificans & ditans.

Ipse fundauit Babinbergensem ecclesiam, quam & cathedralem instituit, & ciuitatem eandem ecclesijs, clero, & populo decorauit. Ipse etiã restaurauit ecclesias, Magdeburgẽsem, Merseburgeñ, Misnensem, Hildesheimensem, Argentinensem, quæ à barbaris vastatæ fuerant, & in Hildesheimensi, vbi à pueritia enutritus, & literis fuit edoctus, posuit episcopum sanctum Gothardum, qui in monasterio Herueldensi abbas extiterat. Summam enim diligentiam Cæsar iste adhibens in amplificando cultu Dei, sedes episcopales & ecclesias & vniuersum regnum ditauit.

D Idem Augustus tradidit sororem suam regi Vngariæ, qui cum toto regno suo fidem Christi recepit, & dilectione Dei feruidus, & sanctis operibus & virtutibus clarus, pro regno transitorio, elegit æternum.

Idem Imperator Henricus, in Quodlimburg curiam suam celebrauit. Ibidem principibus conuocatis ipsisque singulis & vniuersis id ipsum assentientibus, Poloniam, & Bohemiam, cæterasque Sclauorum adiacentes regiones, quia nondum Christi fidem receperant, debellare disposuit. Victor sine effusione sanguinis, gentes illas sibi subegit, gratias agens Deo cum suis.

Apuliam à Græcis diu possessam recuperat Romano imperio.

Poloniam ac Burgundiam sibi subigit.

Rediens de Apulia, infirmitate calculi cœpit laborare, & cùm plurimum

rimùm torqueretur, mirâ patientiâ sustinuit, Deoque, ab isto morbo liberatus, gratias egit. A

Anno ætatis suæ 52. Imperij verò 24. ipse sanctus Henricus Romanorum Imperator & semper augustus, regnum temporale regi æterno resignans, cœleste regnum fœliciter introiuit.

Denique, multis splendens virtutibus & miraculis, regali honore sepultus est Babinbergæ, in ecclesia cathedrali.

Post discessum sancti Henrici gloriosi Imperatoris, fœlix sponsa ipsius Cunegundis Imperatrix, perpetuæ virginitatis obseruatrix, orationibus, ieiunijs, vigilijs, eleemosinis, & alijs sanctis operibus humiliter insistens, multis virtutibus claruit. Tandem fœliciter ex hoc mundo transijt, & honorificè apud sponsum suum in Babinberga, est sepulta. B

2. Sed audi rem relatu pariter & laude dignã.] *Idem refert Renerus.*

---

*Vbi ad matrem ecclesiam processiones in præcipuis solemnitatibus venire constituit.*

## CAPVT LXIX.

*Ab Aegidio additum.* C

*Wolbodo instituit processiones cleri secundarij ad maiorem ecclesiam.*

Hoc igitur ordine reconciliatus Imperator, non est prætereundum, quòd diligens ipse decorem domus Domini, stationes instituit, seu processiones, quæ ab vniuerso communiter clero ciuitatis, ad maiorem ecclesiam, certis per annum solemnitatibus, fiunt; quatenus per huiusmodi conuentus in choro Leodiensi, iugiter charitatis maneat, vt ita dixerim, concentus: hoc est, in maiori ecclesia à minoribus, tanquam matri à filiabus, priuilegium seruetur, competensque subiectio ab eo modificata, *qui habitare facit vnius moris in domo*, monente & Apostolo, *sollicitè seruari vnitatem spiritus in pacis vinculo.* D

*Psalm. 57. Eph. 4.*

*Exod. 30.*

Labij deniq; illius ænei quod fecit Moyses, vt *lauarent in eo Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes*, quando ingressuri erant testimonij tabernaculum, & quando accessuri ad altare, vt offerrent in eo thymiama Domino, recordari nos facit liber ille psalmorum conspicuus, quẽ propria manu scripsit, & in quo vnicuique psalmo compositam ex eodem, & à se dictatam subiecit orationem, de bono thesauro cordis sui proferens bona. Hic à nobis hactenus diligenter obseruatur, in quo videlicet manus ac pedes nostros, id est, actuum, siue intentionum motus, compunctione lachrymosa, velut ænea ad Deum sonoritate psallendo, lauare possimus, introituri ad sancta Sanctorum.

*Scripsit psalterium manu propria, & ad psalmos singulos orationem composuit.*

Inter cætera enim, etiam istud pijssimi amplectimur wolbodonis memoriale;

A memoriale; cui diebus singulis mos erat, antequam diuina celebraret misteria, de integro perorare psalterium, thymiama vtique Christo acceptabile, in odorem suauitatis.

*Ante missarum solemnia solet integrum psalterium recitare.*

Supradictus autem Henricus Rex, sanctum Coloniensem Archiepiscopum Heribertum, multis affecerat iniurijs, eò quód lanceam & coronam, cæteraque regalia, non nisi nobilium iudicio tradidisset illi. Denique, inter eos diu magnæ fuerunt simultates, & omnis ecclesia in hoc scandalizata est multum, attrita, & commota.

*Henricus Rex Heribertum Colonieñ archi episcopum multis iniurijs afficit.*

Qua de re vir Domini Wolbodo valde angustiatus est; tum quia regi familiarissimus erat, eiusque salutem & honorem diligebat; tum quia archiepiscopus, quem ille offenderat, suus Dominus erat, sanctusque homo esse, virtutibus etiam manifestis, clarueat. Monet ergò secretius Imperatorem, ne contra sanctum Domini vlterius iram suam protelaret: iustum esse, Deoque placitum, vt qui illum sine causa iniuriatus fuisset, gratiam eius cum satisfactione prior ipse repeteret: memorem eum esse verbi Dominici, *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Melius esset, si faciem Domini præueniret, qui iniurias seruorum suorum grauiter vindicaret.

B

*Suasu Wolbodonis coram omnibus Heriberto rex satisfacit.*

*Zach. 2.*

Hac ille oratione flexus, Coloniam venit in die natalis Domini, coram omnibus, archiepiscopo sancto Heriberto satisfecit.

C

Ita prauorum factio, quæ occasione huiusmodi creuerat, ecclesiamque affligebat, cassata est.

## ANNOTATIONES.

1. Heribertum multis affecerat iniurijs.] *De his meminit Sigebertus ad annum Domini millesimum secundum.* Dux, *inquit*, Baioariæ Henricus, iniuriato Heriberto Coloniensium archiepiscopo, à cuius ore omnes pendebant, insignia regni ab eo violenter extorsit, quasi hæreditario iure sibi competentia. Erat quippè filius Henrici ducis qui fuit genitus de Henrico fratre primi Ottonis Imperatoris. *De hac eadem re, loquitur Rupertus abbas Tuitiensis in vita sancti Heriberti capite decimo, apud Surium tomo secundo, die decima sexta Martij, hoc modo.* Hoc agere, *inquit*, insistens vir Dei, nempè, vt corpus Imperatoris Aquisgranum deferret, regalia quoque ornamenta, Regis scilicet, penes se habuit, & electioni non interfuit noui principis Henrici tunc Bauariorum ducis, quem secundum sæculi dignitatem locupletissimum, & literarum studijs non tenuiter instructum, principes regni regem sibi elegerunt. Hæc fuit occasio, quam aduersus illum capere potuerunt aduersarij, quales in ecclesia non defuerunt, ex quo sacrificia Deo, primi obtulerunt Abel & Cain, scilicet falsi fratres, quibus scriptura dicit: *abierunt in viam Cain,* quorum pressuram

D

Apostolus inter cætera pericula sua maximè genit. At, hæc regalia repetita citò reddidit. Sed quia noui ( vt iam dictum est ) principis electioni non interfuit, ex tunc illi suspectus erat, vnde & idem Rex obtrectatoribus Sancti pronius aurem præbebat. Deinde, implacato semper eum odio persequutus est. *Quomodo verò hic Imperator sanctus, hoc delictum expiauerit, notat Baronius tom. 11. anno Domini 1021. §. 2. vbi sic habet*: Vt autem Imperator expiaret delictum, quo multorum annorum spacio, sanctum virum inglorium præterijsset, insenso animo in eum existens, reuelauit Deus Epponi episcopo Bambergensi, dum ostendit illi tanti pontificis gloriam, sed ipsum quidem, vt audiuit & vidit ab Henrico Imperatore nudatum baltheo. Quod vt cognouit ab episcopo Imperator, pœnitens dolensque studuit post obitum ipsius expiare delictum, quod in eum viuentem patrasse sensisset. Igitur, Imperialem (*vt Rupertus inquit cap. 34. in vita sancti Heriberti*) manum largius extendens, dona Christi ecclesijs, pauperibusque distribuit, sacrisque missarum solemnijs, psalmis & orationibus, transitum beati præsulis edixit celebrari, cui baltheum ipse sustulisset, viuentem, longè minus quàm decuerat, honorificasset: verum vt sapiens hoc egit, qui nullo modo melius rapinam eius poterat restituere, quam faciendo pro semetipso fructus dignos pœnitentiæ, &c. A B

2. Hac ille oratione flexus. ] *De hac reconciliatione Henrici Regis & archiepiscopi Heriberti, mentionem facit Meyerus lib. 2. annalium Flandriæ ad annum millesimum vigesimum.* Eodem tempore, *inquit*, dominus wolbodo, veterum adhuc episcoporum æmulatus sanctimoniam, inter Henricum Cæsarem, atque Heribertum pontificem Agrippinensium, pacem fecit. *Et Sigebertus in chronographia ad annum 1021.* Henricus, *inquit*, Imperator Coloniæ natale Domini celebrans, Heribertum archiepiscopum olim à se iniuriosè tractatum, humili satisfactione placat, cui reconciliatus archiepiscopus, prædixit se prope diem moriturum, &c, non multò post mortuus, magnis cœpit clarere virtutibus. C

3. *Reperio apud Reuerum, quod cùm Benedictus, Papa Romanus, ab Imperatore pro quibusdam regni & ecclesiæ negotijs inuitatus venisset, multisq; episcoporum ad Synodum vndecumq; confluentibus, multa vtilia & honesta statuta fuissent, illa omnia huius sancti pontificis adstipulatione fuisse subnixa: Imperator enim, quamuis archiepiscoporum suorum, multa esset auctoritate & scientia suffultus; nihil tamen erat firmum, nihil stabile apud eum, nisi S. VVolbodonis corroboratũ fuisset consilio & sanctitate.* D

*De voca-*

A

*De vocatione eius.*

## CAPVT LXX.

*Cuius aliquot partes ab Aegidio additæ sunt.*

HOc igitur ordine reconciliatus Imperatori, paschali postea solemnitate suo more deuotissimè peracta, sensit se, vocante Deo, ad perennis paschæ gaudia inuitari, cùm ingrauescente iam morbo decumbere cogeretur, spiritum cœlo intentum, psal-B modiâ & oratione roborabat, vilibus stramentis, & superiecto nudus incumbens cilicio: fratres sibi assistentes saluberrima contestabatur exhortatione, quatenus instantem sibi mortis horam, præsenti exemplo reformidare discerent: omnibus ingressuris, domus in qua iacebat, fores patere volens, suæ mortis præbebat spectaculum; vt tantò cuique sua caro in puluerem redigenda vilesceret, quantò eam abiectius in episcopo emori viderent.

*Ingrauescente morbo spiritũ cœlo intentum psalmodia & oratione roborat.*

*Miro exemplo docet reformidare mortis horam.*

Nec defuêre antiqui illius draconis insidiæ, qui pro suo more explorare volens, si quid suum in egrediente sancta eius anima reperiret, prope vestigia iacentis astitit: quem ille mox orando, benedictæ aquæ aspersione propulit: nequaquam (inquiens) ô sceleratissi-C me tenebrarum accola, Deo donante, tibi præda ero: nullam habiturus partem cum sinistris, lucis mansione fruiturum me confido cum dextris.

*Aspersiõe aquæ benedictæ pellit Diabolum.*

*Additio Aegidij.*

Beatus namque Laurentius, cùm inæstimabili suauitate & gloria, illi è vestigio apparuit, & consolans: quintâ (inquit) feriâ, mecum eris in paradiso. Qua consolatione super mel & fauum dulciore refectus æger, maioribus ecclesiæ, clericorumque nonnullis, plus iusto lætabundus, exposuit: illis congratulantibus sibi, vnctione sancta, & viatico Christi sacramentorum sese communiuit.

*Apparet illi B. Laurentius & diem mortis prænũciat.*

Denique, Poponi ecclesiæ Stabulensis opinatissimo tunc abbati, D prouidentiam ecclesiæ sancti Laurentij commisit; quia nulli adhuc fuerant ad seruiendum Deo illic instituti, vel abbas, vel monachus.

*Commendat Poponi regimen ecclesiæ S. Laurentij.*

Cœperat quidem hæc ecclesia construi ab episcopo gloriosæ cõmendationis Eraclio, qui iam in vrbe ista, sanctorum Pauli & Martini basilicas, egregia liberalitate construxerat: sed paucis post diebus, eo decedente, relicta est imperfecta, vtcumque dotata quidem, sed miserabili facie, quia nec saltem cooperta, nisi quod Notgerus, qui successerat episcopus, (insigne tuum diadema, ô Leodium) perfectis tandem, & æquatis parietibus, superponi tectum fecit.

Itaque, vt venit dies, qui promissus erat venerabili Wolbodoni, ipse vir desideriorũ, suo frustratus est desiderio: fuit siquidem culpæ,

*Frustratur fructu visionis & quare.* visionem tantæ dignitatis, indignis æquè vt dignis innotuisse. Quapropter, admodum mœstificatus, cor suum ipse discussit, & culpam in se deprehendens, Wiclandum, bonæ conuersationis clericum, familiarem sibi, obtestatus est per tremendam diuinitatis maiestatem, quatenus astrictum se loris, verberibus subijceret districtis. Vinctū igitur suum Dominus non despexit, quem velut sanctum Iob dixisse aduertas, *ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in verbere, in fauilla & cinere.* Vnde pœnitentis oratio Wolbodonis directa est *sicut incensum in conspectu Domini, eleuatio,* inquam, *manuum illius* in mortem vesperascentis *quasi sacrificiū vespertinum,* apud *patrē misericordiarum & Dominum totius consolationis.* Siquidem sensit per spiritum, carnis se vinculis iam iam absoluendum. *Hactenus Aegidius.*

*Sanctum Wolbodonis consilium.*

*Iob 42.*

*Psalm. 140.*

*2. Corint. 1.*

Rogat deinde circumstantes sine intermissione psallere pro sui exitus expectatione, orans & ipse, pariter & psallens pro posse.

*Additio Aegidij.*

Deinde & humillimè circumstantes admonebat instantius, sine intermissione orare pro sui exitus expectatione; orans & ipse, pariter & psallens pro posse, in psalmis & antiphonis incipiendis, ipse incipiebat, finitis, collectas ipse subiungens. Atque, vt hoc efficacius implere posset, linguam vicina iam morte siccam, madidari aqua interdum faciebat. *Hactenus Aegidius.*

Tandem, oblata crucifixi Saluatoris imagine, caput suum eius petit admoueri vestigijs, & inter salutandum, inexplebilique dulcedine deosculandum, crucifixo Domino, cuius imaginem foris amplectebatur, reddidit spiritum.

Ad cuius sacrum corpus, in B. Laurentij monasterio tumulatum, multi diuersi generis languoribus vexati, dum remedia petituri venerunt, ipsorum languorum leuamen sæpè inuenerunt.

*Additio Aegidij.*

Qui igitur subsequentis hebdomadæ feriâ quintâ, mox migraturus, crucem dominicam accepit in manibus, & mira dulcedine, affectu inexplebili, diu complectens, caput suum petijt admoueri eius vestigijs, pedesque crucifixi, manus, & latus exosculans, crucifixo Domino, cuius imaginem foris amplectebatur, reddidit spiritum.

*Veneratur imaginem crucis Dñicæ, & in eius amplexibus moritur.*

Qui, vt suorum reddatur merces laborum, deductus est in via mirabili, qui à Laurentio duce, transijt *in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.* Corpus autem eius venerabile, ad ecclesiam beati Laurentij, quem sibi specialem fecerat patronum, cum magna cleri ac populi frequentia, & honore delatum, operoso atque spectabili, quemadmodum spectari potest, in cripta eiusdem ecclesiæ, sepulchro, est reconditum, circa quod, auratis literis hoc habetur exaratum epitaphium.

*Psalm. 41.*

*Wolbodo sepelitur in ecclesia S. Laurētij sui specialis patroni.*

Ingens carnis honor, sed morum gratia maior,
Præsulis officio te locat & solio.

Sensit

A Sensit diues, egens, vt eras ad singula præsens:
Istis vnde salus, his fluit vnde cibus,
Hic eadem cunctis adsunt nunc viscera nobis,
Hicque salutiferum excolimus tumulum.

Migrauit autem ad Dominum anno dominicæ incarnationis millesimo vigesimo primo, vndecimo calendas Mayas, præsidente Sedi Apostolicæ Benedicto huius nominis octauo, à beato Petro Apostolo centesimo quadragesimo quarto, secundum quosdam historiographos: gloriosi verò Henrici tàm regni quàm Imperij, anno vigesimo, sui autem præsulatus mense trigesimo. *VVolbodo moritur anno Domini 1021. vndecimo calendas maij.*

B Ad cuius sacrum corpus, multi diuersi generis languoribus vexati, dum remedia petituri venerunt, ipsorum languorum leuamen efficax sæpe inuenerunt. *Ad reliquias VVolbodonis fiunt miracula*

De quibus, nostris diebus, homo Leodiensis à Dæmonio vexatus, liberatus est.

Similiter & mulier quædam in anniuersario eius, ad sepulchrum eius, à quartana febre, sicut ab his, qui adfuerunt, audiuimus, liberata est.

Qui procul dubio terræ viuentium hæres, de sua re mancipi sanctum Laurentium hæreditauit munificè, trecentas insuper argenti marchas in opus perficiendæ dimittens ecclesiæ, mirabili affectione, C ô martyr sancte, tibi thesaurizatas: nam si adiuxisset diu, quantam erga te extendisset deuotionem, cum Deo qui metitur hominū corda, plenius nosti.

Septem denique matrices ecclesias contulit, & in Flandria sibi à progenitoribus dimissa, multorum prędia redituum, quibus nos violenti homines, alienorumq; cupidi peruasores, aduersante Sathan exhæredauêre, contra diei malitiam, contra sæculi huius iniustitiam, nobis frustra reclamantibus.

Deniqúe ad corpus dilecti Deo wolbodonis quicumqúe petierunt ex fide, diuersorum remedijs languorum sospitantur, meritoque illius efficaciam, cùm ex nobis ipsis, qui eius beneficijs fruimur, cùm D ex alijs non nunquam sumus experti.

Et, vt de innumeris duos saltem perstringam breuiter, Adelardus, in ecclesia S. Trudonis huius nominis abbas secundus, acerbissima phrenesi à se alienatus, dum ad sepulchrum beati Wolbodonis pertractus fuisset, ibique iacuisset aliquamdiu, suffragio sancti plenam recepit sensus sobrietatem. *Adelardus abbas Trudonensis liberatur à phrenesi.*

Item alius quidam monachus de cœnobio S. Laurentij, grauissimè infirmatus, atque ad sancti wolbodonis misericordiam deportatus est: quo sibi dignanter apparente, ac tertio super illum sanctæ crucis signaculum faciente, tanquam ab ipsis retractus mortis faucibus, sine mora conualuit. *VVolbodo apparet monacho S. Laurentij, & à faucibus mortis eum eripit.*

Sed corporum sanitates, pariunt nonnunquam animarum infirmi-

infirmitates, dum miracula quæ debent excitare ad deuotionem, sibi materiam indisciplinati vendicent ad dissolutionem; præsertim cùm monachico non expediant instituto, vel quieti, frequentiæ sæculares. Quocirca, improbandum non fuerit, quod, vti ferebant seniores nostri, primus ecclesiæ S. Laurentij piæ recordationis abbas Stephanus, hunc aliquando sanctum episcopum, per diuinum nomen contestatus sit, quod temperaret à miraculis, tantæ fratribus fiebant, per occasionem infirmorum, noctu & interdiu molestiæ. A

*Stephanus abbas monasterij S. Laurentij orat Deum vt VVolbodo temperet à miraculis, & quare.*

Verum, quamlibet rarescere extunc miracula cœperunt, tamen per præsentiam meritorum, Wolbodo semper nobiscum est, dum & aliquoties à religiosis quibusdam visus fuerit ad tuum altare, ô sancte Laurenti, pro statu sanctæ ecclesiæ Leodiensis, præsente mirabiliter sancta Trinitate, arcanis diuinorum fungi mysteriorum, *Sacerdos* exaudibilis *secundum ordinem Melchisedeck*, cuius hostias, tuarum & odorifera precum libamenta acceptauit, ac sempiternè acceptet idem trinus & vnus Deus, cui gloria & nunc & in diem æternitatis. B

*VVolbodo mortuus visus est sacrificium offerre.*

*Psalm. 109.*

## ANNOTATIONES.

1. Beatus namque Laurentius.] *Visionem hanc refert quoq; Renerus ijsdem penè cum Aegidio nostro verbis. Similiter & miracula quæ hîc à B. VVolbodone patrata narrantur.*

2. Migrauit autem ad Dominum anno Dominicæ incarnationis 1021. vndecimo calend. Mayas.] *Mortuum esse vndecimo calendas Mayas, testatur liber ecclesiæ Leodiensis, ex quo commemorationes fratrum & omnium fidelium defunctorum leguntur ad primam, sub* Prætiosa: *Sic enim ibi legitur*: Vndecimo calend. Mayas commemoratio domini Wolbodonis nostri episcopi, pro qua habemus amam vini in frangeis. *Quod etiam annotauit Meyerus*: anno, *inquit*, 1021. vndecimo calendas Mayas, Wolbodo prætiosa morte vitam commutauit. *Idem asserit Lambertus Paruus*: anno, *inquit*, Domini millesimo vigesimo primo obijt Wolbodo, succedit Durandus. C

3. *Reperio quoq; in vetusto codice monasterij S. Laurentij vitam huius VVolbodonis versibus scriptam latinis, gallicis, & Teutonicis. Latinos subijciemus, in quibus non mireris prosodiam, sed dictorum sententiam, & grauitatem.*

Stirpe decens, virtute nitens, Wolbodo notatur, D
Præpositus pridem Traiecti, rector & idem,
Ob cœlibem statum, post hæc recipit monachatum.
Hoc duce prostrauit, Turcos Cæsarque fugauit.
Leodij præsul Domini pietate sacratur,
Pauperis ipse pater, veluti Laurentius alter,
In precibus totus, nec ab his cessauit ægrotus,
Pacis & ipse dator, sed & amissæ reparator,
Hac & in vrbe pias primus statuit letanias:
Ad sanctum Iacobum monachos collegit in vnum,

Liquit

A Liquit in expensas nobis marchasque trecentas,
Sedit Episcopio ter denis mensibus: In quo
Febre lacessitus moritur, mirè redimitus,
Ac moriens ferri se iussit & hic tumulari.
Post obitum varijs micuit virtutibus almis,
Quartanos, rabidos, claudos reparauit, & ægros:
Vnus in his tardus abbas Trudonis Alardus,
A frenesi tactus, rediuiuos suscipit artus.
Durandum fregit, quem reddere rapta coegit.
Iam Stephani votis cessant miracula notis.
Henris del cheraux bis denus, senus, & Abbas
B Huius opus tumbæ tali constare nitore
Anno præsenti fecit, honore Dei.

*Hic Henricus del cheraux fuit abbas. 26. monasterij Sancti Laurentij. De quo reperio in eodem codice hunc rythmum:*

Curam pastor & amorem,
Nullum fugitans laborem,
Subiectis impartiat.
Omnem rursus grex honorem,
Filialemque timorem,
C Abbati retribuat.

*Floruit anno 1438. quo sepulchrum VVolbodonis reparatum & decoratum fuit.*

4. *Reperio quoq; in alio vetusto codice eiusdem monasterij Sancti Laurentij, orationem ad sanctum VVolbodonem piam & eruditam, vitæ S. VVolbodonis præmissam, quam existimo à Renero, qui eiusdem VVolbodonis vitam scripsit compositam; in qua breuiter & deuotè, vita eius & miracula patrata describuntur, quæ sic se habet:*

Aue pater egenorum, Wolbodo sanctissime,
Releuamen afflictorum, præsul deuotissime:
Aue gemma confessorum, signorum clarissime,
Spes & salus languidorum, virtutum ditissime:
D Dudum prudens, pius, castus, sobrius & humilis,
Hostis euitabas astus, spretis eius iaculis.
Tuis ergò, quæso, pastus exemplorum formulis,
In me frena mundi fastus, pressis carnis stimulis.
Et qui quondam distributor facultatum fueras,
Pupillorum quoque tutor, his opem contuleras,
Mihi, rogo, sis adiutor, vt veras diuitias,
Quibus iam egere putor, acquiram & cœlicas.
Iuxta tumbam, qua locatæ sacræ sunt exuuiæ,
Inauditæ sunt patratæ virtutes eximiæ,
Sanitates restauratæ, propulsæ molestiæ.
Illud ergò precor à te, me mente & corpore,
Tua serues pietate, & mundum à crimine.

Pie

Pie Iesu, pastor bone, precor cordialiter,
Sacro duce Wolbodone, orante suauiter,
Fac Sanctorum me coronæ iungi æternaliter,
Tui vultus visione potiri finaliter. Amen. A

---

*De Durando episcopo.*

## CAPVT LXXI.

QVadragesimus nonus subrogatus est in sede Durandus, humili quidem seruorum Godeschalci, maioris ecclesiæ præpositi, stirpe progenitus, sed ingenij ac morum probitate præclarus. B

Hinc est, quòd cùm idem præpositus, pro more ecclesiastico, manus ei porrigeret, vt sacramentum fidelitatis & subiectionis ei faceret, ille, conditionis suæ non immemor, humilitatis virtute persuasus, ab episcopali cathedra ipsi assurrexerit, dicens non sic fieri oportere, sed potius domino suo subiectionis obsequium debere.

---

C

*De Durando episcopo.*

## CAPVT LXXI.

*Ab Aegidio additum.*

QVadragesimus nonus subrogatus est ei in episcopatum Leodiensem Durandus.

*Durandus ignobilis genere, literarum & ingenij nobilitate viget.*

Hic bona plurima, quæ antecessor eius ecclesiæ S. Laurentij dederat, abstulit, & partim ad mensam episcopalem retinuit, partim militibus beneficiauit. Ipse ignobilis quidem genere, vt pote, ex familia Godeschalci maioris ecclesię præpositi fuit, sed ingenij atq; literarum clara viguit nobilitate. D

Hic ergò Godeschalcus filius fuit castellani de Morelmez, & electus fuerat à Capitulo in episcopatum. Qui cum ad Imperatorem, pro regalibus suis festinaret, obuium habuit dictum Durandum iam ab Imperatore episcopatu donatum. Cumque vidisset Durandus dominum suum prædictum Godeschalcum, voluit ei donum, quod ab Imperatore acceperat, resignare; sed per eundem Godeschalcum firmus in episcopatum promotus est: erat enim vterque religiosus, sed Durandus in vtraque literarum scientia longè satis expeditus.

Qui videlicet Godeschalcus sancti Bartholomæi construxit ecclesiam,

A siam, ex suis sufficienter allodijs duodecim Canonicos instituit, liberalissimo illum Wolbodone consilijs & beneficijs animante.

Sed Durandus, quanquam natus seruiliter, tamen in hoc etiam se commendauit nobiliter, quòd eundem Godeschalcum, nec fidelitatem sibi, vt episcopo mos est, iurare, nec homagium facere passus fuerit, ingenuè morigeratus, qui non attenderet quid tunc, sed antea quid fuisset, nec iam seruus, tamen quasi seruum sese obsequijs Godeschalco exhiberet. *Modestia Durandi.*

Fuit ergò in theatro mundi quasi fabula, quòd suis dominaretur dominis, homo ex tam paupere & humili familia, cùm dominus *pauperem faciat vt ditet, humiliet & sublimet*. *Durandus quasi fabula in theatro mundi* *Psalm. 112.*

B Hunc, propter vitæ modestiam, & scientiæ prærogatiuam, Wolbodo benignus habebat gratissimum, atque adeò Imperatori Henrico, clericum quærenti scientem literaturam, assignauerat eum, & summoperè commendauerat. Quam Augustus commendationem adeo non habuit irritam, vt ipso episcopo decedente, illum cathedra sublimaret Leodiensi. Idem etenim Bauenbergensem ecclesiam, ab eodem destinatus Augusto, doctrinarũ iam pridem & religionis claro sydere illustrârat. *Propter modestiam charus Wolbodoni.* *Commendat illum Imperatori.* *Durandus illustrat ecclesiam Bauenbergensem.*

Sed plerique acceptorum obliuiscuntur beneficiorum, & bonas etiam mentes deprauant aliquando curæ sæculares. Vnde & Durandus misericordis erga se Wolbodonis oblitus, misericordiam elee-
C mosinæ defraudauit, vt præmissum est, quam beato Laurentio ille delegauerat, leue æstimans, si eam, nemine sibi contradicente, tolleret. *Quæ Wolbodo ecclesiæ S. Laurentij donârat aufert.*

Quapropter, visione durissima, semel ac secundò redargutus est, eodem apparente sibi S. Wolbodone, & suam eleemosinã acriter repetente. Quod ille, cum suis, non modicè concussus denarraret, aiebant maximè hi quibus rapta fuisset largitus, non debere illum somnijs attendere, *multas curas sequi somnia*, eum dormientem videre, quod vigilans versaret mente, sapientis esse, vt quasi fumum reputet somniorum phantasias. Canum huiusmodi adulantium linguæ,
D conceptum timoris stillicidium, illius facilè ex animo elambuêre. Venerat quidem Wolbodo semel ac secundò in spiritu lenitatis, sed iam tertiò in virga furoris aderat, comminansque terribiliter quòd apud eum auditus non fuisset, quòd culpam ille non correxisset, ad radices arboris securim iam esse positam dixit. Grauissimè ergò illũ baculo pastorali cæcidit; quem & continuò mortis præuia corripuit ægritudo. *Wolbodo sæpius illi apparet, & increpat.* *Ecclesiast. 5. c.*

Cuius angore nimio & clangore turbata est familia, euocati celerius sunt archidiaconi, nec non & maiores ciuitatis: quæ viderat, quæ audierat, innotuit, & ingemiscens: Ecce (inquit) iam morior. Ad misericordiam Domini mei, S. wolbodonis me perferetis, atq; illius ex opposito, extra ecclesiam scilicet S. Laurentij, secus parietem me sepelietis. *Durandus pœnitentiam agit restituit & petit exhumilitate sepeliri extra ecclesiam secus parietem.*

*Tradit sancto Laurentio prædium in VVasegga.*

*Luc. 19.*

Tradidit denique sancto Laurentio prædium in Wasegga, quod A nuper à Roberto emerat archidiacono quatuor auri marcis sibi tantum residuis, spondens miserabiliter, quòd si spatium sibi vitæ daretur, cuncta quæ abstulerat, ex integro restitueret. Iuxta Zachæi votum forsitan reddidisset ablata in quadruplum; sed non expectatus, obijt decimo calend. Februarij, anno Domini millesimo vigesimo quarto.

Et sicut petierat, extra ecclesiam sancti Laurentij sepultus est. Ibi sub diuo tamdiu iacuit, quousque noua ædificaretur ecclesia, & tūc inclusus muro, atque admissus sub tecto est, lapidemq; sepulchralē, qui nunc vsque cernitur, abbas Stephanus, pro episcopij veneratione, super illum componi, atque hoc fecit epitaphium inscribi: B

Durandus iacet hic, qui paulo plus tribus annis,
  Tungrensem rexit, nobiliter cathedram.
Pauperis in nido patrimonij natus, & altus
  Ingenio, summos euolat ad proceres.
Quos tulerat Dominos hisdem famulantibus vsus,
  In theatro mundi fabula quanta fuit?
Septima lux vrnam fundentis in orbe fluebat,
  Cum faceret rebus triste vale, senior.

*Durandus rexit ecclesiam Leodiensem tribus annis.*

Rexit autem Leodiensem ecclesiam annis tribus & parum, sub a- C postolicis, Benedicto octauo & Theophilo, qui & Ioannes vigesimus huius nominis dictus est, vltimo anno Henrici Imperatoris.

Sed, his omissis, ad quinquagesimum veniamus episcopum Reginardum, de cuius vita & ordinatione, aliqua narrare curauimus.

## ANNOTATIONES.

1. Quadragesimus nonus subrogatus est Durandus.] *Renerus in vita VVolbodonis:* In episcopatum, *inquit*, subrogatus est ei Durandus nostræ satis ecclesiæ durus: *iniuriamq; ecclesia sancti Laurentij per eum factam, quam dissimulauit Anselmus, totidem ferè verbis quibus Aegidius noster, refert.*

2. Sed ingenij atque literarum clara viguit nobilitate.] *Cuius exem-* D *plum enituit in consilio quod Henrico Francorum Regi dedit, cùm contra Berengariū & Brunonem Andegauensem hæreticos procedendum esset: quod quia scitè & elegāter à Baronio, vt cætera omnia, refertur, eius verbis illud referemus:* Quo etiam tempore, *inquit Baronius*, hoc est, anno Domini millesimo trigesimo quinto, Berengarius Turonensis, Andegauensis archidiaconus, cuius error de veritate corporis Christi in sacramento Eucharistię negata, fuerat à Roberto Rege damnatus, vt nedum asseri, sed nec audiri eo viuente permissus sit, eo iam defuncto, liberius absque obice hæresim promulgare atque firmare ausus est, annitente Brunone Andegauensi episcopo, quem in eandem vesaniam, aucta errorū propagine, non solùm decipiendo perduxerat, sed propugnatorem acerrimum

mum constituerat. Cùm verò nefandæ blasphemiæ rumor, iã Gallias vniuersas implêsset, nec non Germanias peruasisset; Henricus Francorum Rex christianissimus, Roberti parentis vt regni, ita & pietatis hæres, eius exemplo ad condemnandum errorem, profligandam hæresim, penitusque obruendam, vt nullatenus amplius audiretur, ocyus exurrexit; quamuis suorum ciuili bello, teneretur iugiter occupatus, probè sciens, tunc reddi sibi Deum propitium, ad debellandos infestos hostes, cùm emergentes hæreses comprimuntur, & Regia potestate, ne vel mutire audeant, continuò strangulantur: reddique tunc pacificum, atque diuina protectione securum regnũ, cùm Rex procurat sollicitè, eius ecclesiam ab omni prorsus hæresis labe impollutam integramque seruare. Quamobrem, paterno exestuans zelo, impiger ad conficiendum monstrum, ab inferis portis nuper emersum, & magna omniũ admiratione, sed maiori detestatione auditum, Regiâ tubâ milites conuocat, cùm videlicet totius regni episcopos ad Concilium vocat. Quoniam autem, sicut periculosum valde est, sine consilio inire certamen; ita sine consilio Concilium agere: ne id tum faceret, suis literis monuit eum, & quidem iusta de causa, atque euidenti ratione, vir discretissimus atque sanctissimus, Durandus Leodiensis episcopus, qui licet humili loco natus, tum literis, tum moribus, nobilem illam suo tempore illustrauit ecclesiam. Cuius epistolam doctissimam quidem, quæ adhuc superest, hîc describere, ad virtutem imprimis intelligendam, necessarium duximus. Sic enim se habet eius inscriptio.

*Ex bibliotheca Martelli Rothomagensis, incipit epistola Durandi Leodiensis episcopi, de corpore & sanguine Domini contra Brunonem Andegauensem episcopum, & Berengarium Turonensem.*

FAma supremos Galliæ fines prætergressa, totam Germaniam peruasit, iamque omnium nostrum repleuit aures, qualiter Bruno Andegauensis episcopus, item Berengarius Turonensis, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, astruãt corpus Domini, non tàm corpus esse, quàm vmbram & figuram corporis Domini; legitima coniugia destruant, & quantum in ipsis est, baptismum paruulorum euertant. Quos ad reuincendum & publicè confutandum, eo zelo, eoque feruore, quo erga sanctam ecclesiam diuina inspiratione plurimum semper ardetis, aiunt vos Concilium aduocasse, vbi tandem illud totius nobilissimi regni vestri, heu nimis turpe opprobrium, de medio auferatis, & in æternum, si fieri potest, ab ipsa omnium hominum memoria deleatis. O pia voluntas, & verè rege dignissima! Quæ vtinam effectum habere posset, vt in tanto sa-

crilegio conuictos (quod certè facillimum est) absque vlla dilatione debita vltio consequeretur. A

Sed desperamus id fieri posse, cùm Bruno existat episcopus: episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam, præter Apostolicam auctoritatem. Igitur, omnes, quicumque sumus filij matris ecclesiæ, in maximo dolore positi sumus: nam plurimum veremur, si illis miserrimis & perditissimis viris audientia sancti Cōcilij (sicut ipsi de pœna securi postulant) permittatur, cùm de tanta præsumptione reuinctos puniri minime cōcedatur, grauissima scādala in omnium fidelium populo generari. Certè, quos videbunt impunitos, & nequaquam à sui gradus honore deiectos, eosdem putabunt ab omni Concilio, aut vinci non potuisse, aut iustificatos esse: eruntque, vt ita dicam, nouissima peiora prioribus. B

Ergò, Majestatem tuam omnes exoratam vellemus, vt interim illorum impiam sacrilegam, & nefariam assertionem audire contēneretis, donec acceptâ Romanæ sedis audientiâ, damnandi potestatem haberetis. Quamquam huiusmodi homines oporteat audiri, neque tàm est pro illis Concilium aduocandum, quàm de illorum supplicio exquirendum. Tunc quippe hæretici audiendi fuerunt, quando hæreses ipsæ, & huiusmodi quæstiones, vtpotè quæ nondum ad vnguem discussæ fuissent, in dubium venire potuerunt, vt per congressum certaminis patesceret, vtra pars staret pro defensione veritatis. Quod idem nunc, profectò, fieri non oportet, quia creberrimis sanctorum patrum Concilijs, tùm etiam venerabilium doctorum clarissimis sententijs, ita omnia sunt eliquata, vt ne minimum quidem resederit de omni fece dubitationis. Sed & nos ex multis, epistolari breuitate cogente, pauca exponemus & proponemus exempla, pertinentia ad corpus & sanguinem Domini. Ait itaque B. Leo papa, &c. *Recitatis enim contra Brunonem & Berengarium sancti Leonis papæ, Cyrilli, Ambrosij, Augustini, Basilij, Eusebij, Hilarij, & Toletani Concilij verbatim sententijs, ita perorat.* Quamobrem, Brunonem & Berengarium iam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est, verè illis Concilij audientia deneganda est, & cum vestris, cumque nostris episcopis (si ita vobis videtur) cum amico vestro Imperatore, cum ipso Papa, quæ vindicta in eos statuatur, deliberandum. Est enim iustum, vt quorum manus sunt contra omnes, omnium manus etiam contra ipsos excitentur. *Huc vsque Durandus. Cuius aureæ planè epistolæ meminit Guitmundus lib. 1. in commentario quem scripsit, De corpore & sanguine Domini. His acceptis Henricus Rex Frācorum literis, benè à tanto antistite persuasus, à cœptis creditur destitisse: non enim ipse dum vixit, aliquod fuisse contra Berengarium & socium impietatis, collectum Concilium memoria reperitur, sicut aliorum Conciliorum, longè minoris momenti. Et paulò post, Baronius, huius Durandi occasione, mirificè ecclesiam Leodiensem laudat his verbis.* Vides lector, prima spicula in virulentum draconem vibrata fuisse à nobilissima ecclesia Leodiensi, Catholicæ fidei tenacissima, in primis verò ab eius episcopo Durando, C D

necnon

A necnon ab eiusdem ecclesiæ scholastico. *Hactenus Baronius. Hic scholasticus, nomine Adelinus, postea episcopus Brixiensis, scripsit epistolam ad Berengarium, de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia, in qua collactaneum vocat, propter dulcissimum contubernium quod cum Berengario adolescentulo in Academia Carnotensi, sub venerabili sene Fulberto iucundissime duxerat. Deinde, obsecrat vt per suauissimam memoriam ipsius Fulberti, catholici & christiani hominis, pacem catholicam diligat, neq; conturbet Rempublicam christianæ ciuitatis, benè compositam à maioribus, pro qua sancti Doctores bella ciuilia ab hæreticis commota, salutaris eloquentiæ fluminibus restinxerunt.*

3. Sed plerique acceptorum obliuiscuntur beneficiorum. ] *Hausit Aegidius ista vel ex Renero, vel alijs qui ante eum scripserunt: sic enim habet Renerus:*
B Durandus factus episcopus, non est sequutus prædecessorem suum, vel alios, qui plantauerunt ecclesias deuotione sua, sed è contrario tulit, & partim militibus dedit, partim ad mensam episcopij retinuit ea quæ beato Laurentio suus prædecessor obtulerat: nam quia necdum positi fuerant, qui in hoc loco Deo militarent, non graue putauit si ea quæ præparata erant, nemine sibi contradicente, tolleret. *Et deinde subijcit duram illi VVolbodonis visionem, ferè totidem verbis, quibus noster Aegidius.*

4. Tradit denique Sancto Laurentio prædium: ] *Reperio quoq; diploma in primo libro chartarum ecclesiæ nostræ, quo bona quædam eiusdem ecclesiæ, ab Henrico Imperatore vsurpata, repetit à Conrardo rege, & obtinet. Quod diploma sic*
C *se habet,*

I*N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis,*

Conradus, diuina fauente clementia, Rex.


Notum esse volo omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, tàm futuris, quàm præsentibus; quoniam Durandus Leodiensis ecclesiæ episcopus, ad nostræ sublimitatis excellentiam accedens, nobisque repræsentans scriptum Imperiali auctoritate subnixum, humiliter deprecatus, iustitiam & misericordiam sibi fieri de Heruuar, de qua Dominus Imperator tertius Otto, pro animæ suæ recompensatione, & domini Notgeri episcopi fideli seruitio, sanctæ Leodiensi ecclesiæ
D firma constipulatione tradidit, & per annos ferè viginti sex, absq; omni contradictione, supradicta ecclesia tenuit, sed per aliquantum temporis, secundum suæ voluntatis arbitrium, dominus Imperator Henricus, eidem ecclesiæ subtraxit.

Ego Conradus, Dei gratiâ Rex, huius confirmationis scriptum, iustæque petitionis eiusdem rei causam recognoscens, nec non & prædecessorum meorum iustam, inuiolatam seruare volens, per antecessoris mei, scilicet, tertij Ottonis, qui hanc concessionem fecit, & orthodoxi Henrici Imperatoris, nec non & coniugis meæ Gislæ, filiorumque meorum commemoratione, consultu & interuentu coniugis meæ Gislæ, ac Ariponis venerabilis Maguntiacensis archiepiscopi, cæterorumque Principum meorum, insuperque Durandi e-

iusdem ecclesiæ venerandi Pontificis iusta proclamatione, idem bonum, scilicet, Heruarde situm, in comitatu Hare, super flumen Was, A
cum omnibus appenditijs, ædificijs, culturis, vijs, & inuijs, pascuis, pratis, syluis, aquis, aquarumque decursibus, & cum omni familia ad eundem locum pertinente, eidem sæpe supra memoratę ecclesiæ S. Mariæ & S. Lamberti martyris, nostra redonatione confirmauimus, vt supradicta ecclesia, sine omni contradictione, teneat & possideat: & hanc concessionem, sic in futuro stabilem, sicque per regalem nostram sententiam esse volumus immobilem, vt si quis eam lacessere præsumpserit, & conatus eius iudiciaria potestate reprimātur, & id quod quærit, nullatenus adipiscatur.

Vt autem secundum votum nostrum id scriptum inconuulsum permaneat, more antecessorum nostrorum, sigilli nostri impressione sigillauimus, & manu propria subsignauimus. B

*Sigillum Domini Conradi Regis inuictissimi.*



C

Vodalricus cancellarius, vice Aribonis archicapellani, recognoui. Datum sexto Nonas Octobris, anno dominicæ incarnationis millesimo vigesimo quarto, indictione sexta, anno gloriosissimi Regis Conradi primo. Actum in Ciuitate Legia fœliciter. *Amen.*

5. Obijt decimo calendas Februarij anno 1024.] *Obijsse decimo calend. Februarij satis certum est ex libro ecclesiæ Leodiensis commemorationum fratrum defunctorū, quæ leguntur in ecclesia ad primam, sub* Pretiosa; *sic enim ibi legimus:* D
Decimo calend. feb. commemoratio Durandi episcopi. *Quòd verò obierit anno Domini 1024, vt asserit hic Aegidius post Sigebertum & Lambertum paruum, non est ita certum, imò falsum existimat Baronius, sic enim ille habet:* Quod ad Durandum episcopum Leodiensem spectat, falli constat Sigebertum, qui eius ingressum ponens anno Domini 1021, rursum anno post millesimum vigesimum quintū, alium in eius locum subrogatum habet Reginardum, cùm tamen ad hæc saltem tempora primordia Henrici regis, ad quem scripsit, peruenisse, nulla dubitatio esse possit,

*De Regi-*

A

### *De Reginardo episcopo.*

## CAPVT LXXII.

HVic defuncto, & in ecclesia sancti Laurentij tumulato, successit Reginardus, qui collateralis Herbero Coloniensi archiepiscopo, eximiæ sanctitatis viro, perfectionem in ecclesiasticis assequutus fuerat disciplinis: à quo & Bonnensi ecclesiæ primò prælatus, eandem iam pluribus rexerat annis. *Reginardus eligitur Herberto Archiepiscopo Coloniensi familiaris.*

B Hic bonus, pius existens, peruersis omnibus se durissimum exhibebat, mitem pauperibus, asperrimum diuitibus iniquis.

Eius diebus, ab orientali plaga emergens turba non modica incendiorum, atque guerrarum infortunio à suis finibus propulsa, Leodium vsque deuenit, qui paruulos suos miserabiliter circumferentes, ab ignotis gentibus, stipem mendicare cogebantur.

Horum quotidie concurrentium turba, cùm grauis esset indigenis, manu & arte victum quærentibus, propter coemendi panis angustiam, qui tantæ plebi minus posset sufficere, compassione tactus episcopus, plebem suam paterna conuenit admonitione, vt vnusquisque pro posse, populo inediâ marcescenti, pietatis intuitu, studeret misericorditer subuenire. Ipse verò, vt cæteris esset exemplo, trecentos ex illa, sua stipe suscepit alendos, vnde & amplius ad similia pietatis opera, reliquos accendit. *Erga exteros aduenas multū misericors.*

C

Hic in ecclesia sancti Bartholomæi, cum duodecim, quos illic inuenerat, canonicos, ex bonis sibi competentibus octo addidit, & pōtem magnum super Mosam suis sumptibus exstruxit. *Creat octo prabendas in ecclesia sancti Bartholomæi. Extruit pontem super Mosam.*

Basilicam S. Laurentij renouauit, prædijs auxit, & triginta monachos illic viuentes regulariter constituit. Quæ etiam ecclesia à Piligrino Archiepiscopo, rogatu ipsius, consecrata, locum ei sepulturæ præbuit.

D

### *De Reginardo episcopo.*

## CAPVT LXXII.

*Ab Aegidio additum.*

IN territorio Coloniæ Agrippinensis, claro Reginardus genere ortus fuit, sed scholis apud vrbem traditus, tam scientiæ, quàm virtutum, initiauit bonos processus. In maiore dehac ecclesia canonicus est factus. Iamque adolescens, *ascensiones in corde suo* secundum psalmistam *disponebat* subire, scilicet gradus, per quos ad videndum Deum *Reginardus genere clarus in literis & virtutibus bonos gressus fecit. Psalm. 83.*

Deum Deorum in Syon ascenditur. Nunc castimoniæ studebat, cæterisque bonis, atque, vt ait quidam: *Syncerum est nisi vas, quodcunq, infundis, acescit*, sobrio ac syncero pectori sacras lectiones, veluti diuinos instillabat fauos. A

*Horatius in epist.*

Iuuenis ergò industriam, & maturitatis decus non minimũ amplectens venerabilis archiepiscopus Heribertus, sibi adhærere, & suum collateralem esse voluit: simul quod non solum spiritu, quin etiam carne suum gratularetur esse proximum, quem & Veronensi ecclesiæ canonicè præfecit præpositum, per singula ecclesiasticorũ ordinum officia iam prouectum.

*Fit familiaris Archiepiscopo Coloniësi Heriberto.*
*Fit præpositus Veronensis.*

Hanc ille solerter œconomiam, vt fidelis & prudens seruus supra domini familiam constitutus, administrabat, cautus in consilijs, æquus in iudicijs, reddens ecclesiæ ecclesiastica, & sæculo sæcularia, scilicet, secundum Apostolum: *reddens omnibus debita*. Nec *munera super innocentem accipiebat*, nec personam diuitis, vt opprimeret pauperem, illud attendens Salomonis: *Abominatio est apud Deum pondus & pondus, & statera dolosa non est bona*. B

*Rom. 13.*
*Psalm. 14.*
*Prou. 20.*

ANNOTATIONES.

1. *Pro* Reginaldus, *quidam legunt*, Raynaldus, *inter quos est Lambertus Paruus.*

2. *Vitam Reginardi scripsit Renerus, S. Laurentij prope Leodium monachus, qua incipit*: In territorio Coloniæ Agrippinensis claro Reginardus genere ortus fuit, sed scholis apud vrbem traditus. *Ex quibus verbis clarè vides Aegidium nostrum non solum materiam scribendi, sed & ipsa verba à Renero mutuasse: quod illi in alijs capitibus describendis vsitatũ fuisse, multis locis ostendimus.* C

---

*De electione eius.*

## CAPVT LXXIII.

*Ab Aegidio additum.* D

DEfuncto interea Virdunensi episcopo, clerus ac populus talẽ sibi virum præfici concorditer insistebat: sed etiam tunc Durandus Leodiensis episcopus decessit vita, & Reginardus, tentatione apprehensus humana (nam in rebus solent humanis appeti meliora) Leodensem, quàm Virdinensem magis cathedram ambiuit.

*Reginardus ambit episcopatum Leodiensem.*

Adijt ergò Imperatorem Conradum, obtinuitque ab eo per pecuniam, quod fuisset obtinendum à Deo per gratiam. Illum deniq; in episcopum sanctus sacrauit Heribertus, & strenuè quidem ac vigilanter pastoris agebat officium, quanquam *ascenderit aliunde, nec intrauerit per ostium in ouile ouium.*

*Simoniam committit.*
*Consecratur in episcopum ab Heriberto archiepiscopo.*
*Ioan. 10.*

Hic

A Hic ecclesiolam in monte publico, iuxta sanctam crucem, ad honorem B. Nicolai Myreorum archiepiscopi, anno Domini millesimo trigesimo vndecimo, Calendis Augusti, dedicauit, quæ fertur prima fuisse fundata in regno Lotharingiæ nomini B. Nicolai: maximè quia quædam pestilentia muscarum, quæ homines infestabant in leodiensi terra, cessauerit ad inuocationem B. Nicolai, pro quo populus ecclesiam iuxta votum consummauit.

Prouidentiam cœnobij S. Laurentij tunc temporis agebat Poppo abbas Stabulensis, ante quadriennium, à Sancto sibi episcopo Wolbodone iniunctam. De cuius statu vel profectu cum iam desperaret, eandem curam Reginardo episcopo resignauit, videlicet, iam exa-B ctis quinquaginta & septem annis, ex quo primum ipsa fundari ecclesia cœpisset, ab Eraclio gloriosæ commendationis episcopo. *Poppo abbas Stabulensis ad ministrat Abbatiam S. Laurentij.*

Interea, noster quidam mansionarius, homo pauper, atque exilis, & naturæ simplicis, testabatur, per nocturnas se visiones, mira quędam audire sæpius & videre: quoniam paruulis magna nonnunquam solet reuelare Deus, *& cum simplicibus sermocinatio eius.* *Prou. 3.*

Vadens itaque per ciuitatem festis diebus, vulgò referebat in publico monte sanctos Laurentium & Wolbodonem commune habere hospitium: totis eos noctibus, suum disponere, ac metiri habitaculum; & quoniam sibi videretur angustum, condixisse quod vetus dirui, & nouum ex angusto deberet ædificari. Simul, dum inquiren-C tibus insinuaret, huc vsque in longum, sic in latum, tanto in altum, suas ipsi lineas tetenderunt: tamdiu hæc stoliditati ac deliramento sunt deputata, donec subsequens probaret effectus, vera. *SS. Laurentius & VVolbodo apparent in visione homini pauperi & simplici, & edificandæ ecclesiæ magnitudinē præscribunt.*

Architectos itaque nostros, Laurentium & Wolbodonem, architectum in se crediderim exhibuisse illū, qui apud Ezechielem, *funiculo vel calamo mensus est ædificium ciuitatis super montem posita, & vergentis ad austrum.* Pariter affuisse & virum, cuius, secundum eundem prophetā, *aspectus erat quasi species æris*, quatenus sonora Dei laude, hunc præsignaret locum, diuinæ laudi dedicandum, mentesque inhabitantium vero accliues austro, id est, spiritui sancto, religionis odorifero habitu perflandas, frigido aquilone exturbato, quemadmodum in canti-D cis canticorum sponsa dicit: *surge aquilo, & veni Auster, persla hortum meum, & fluant aromata illius.* *Ezech. 27.* *Ezech. 40.* *Cant. 4.*

## ANNOTATIONES.

Prouidentiam cœnobij S. Laurentij.] *Hæc, & quæ sequuntur visiones viri simplicis, hausit Aegidius ex Renero in vita S. VVolbodonis.*

*Alm. De consilio*

 A

### *De consilio quod dedit ei Herimannus vir clarissimus.*

## CAPVT LXXIIII.

***Ab Aegidio additum.***

*Comes Herimannus commendat ædificationem Reginardo episcopo*

*Commendat quoque Stephanum Virduni monachum ad regimen monasterij ædificãdi.*

*Reginardus recipit Stephanũ cum sex alijs monachis & illum facit Abbatem.*

*Cant. 4. 2. cor. 15.*

*Cant. 7.*

NAm, veluti præmissum est, postquam Stabulensis abbas, in manu Reginardi episcopi, huius loci remiserat prouidentiam, comes Herimannus prudentia & consilio, vt nobilitate vir clarissimus, qui frater erat Goscolonis Lotharienstum & Mosellanorum ducis, episcopum interpellabat obnixiùs, quo eatenus pupillæ ac desolatæ misereretur, patremque illi & tutorem institueret: B Virduni, in ecclesia Sancti Vitoni esse monachum probatæ vitæ, Stephanum nomine, quondam in ecclesia sancti Dionysij Leodiensis ciuitatis canonicum, sibi optimè spectatum, qui religione & scientia tàm præesse, quàm prodesse domui Dei posset: episcopus se facturum gratanti animo respondit, dummodò ille adesset. At verò comes, qui erga S. Laurentium mira & vnica deuotione ferueret, quantocius deductum à Virduno Stephanum præsentauit, sex etiam monachos secum commendabilis vitæ habentem, quem & in abbatem benedixit episcopus, & huic loco præfecit. C

Igitur, *à nostro tunc horto*, id est, ecclesia, sanctitatis atque virtutum *fluebant aromata*, quoniam Christi *bonus odor, inhabitantes erant facti*. Illorũ, inquã, digiti myrrhâ pleni erant probatissimâ, dũ amaritudinem passionis Iesu Christi, & crucis mortificationem, in suis iugiter corporibus circumferrent, & operibus, iuxta illud quod in canticis canticorum sponsus ad sponsam dicit: *Coma capitis tui, sicut purpura Regis iuncta canalibus.* Comæ siquidem, cogitationes, caput, mens, purpura Regis, passio ritè intelligitur Christi omnia regentis. Purpura ergò iuncta est canalibus; hoc est, fidelibus, quorum videlicet ad mentes, dum fide & amore Christi adhærent passioni, confluunt aquæ viuæ charismatum Spiritus sancti. D

### ANNOTATIONES.

Comes Herimannus, prudentia & consilio, vt nobilitate vir clarissimus. ] *Quæ habet hic Aegidius de Stephano monacho è Virduno ad cœnobium sancti Laurentij euocato, desumpsit ex vita VVolbodonis per Renerum monachum descripta.*

*Quomodo*

A

## Quomodo per sanctum VVolbodonem, in foro Viseti necessaria, quæ fratribus deerãt, receperit.

## CAPVT LXXV.

*Ab Aegidio additum.*

LIcet itaque Stephanus, & qui sub ipso erant fratres, affluerent in spiritualibus, admodùm tamen bonis egebant carnalibus, B scilicet, victu ac vestitu, eò quòd penitus locum negligeret episcopus. Quocirca, & idem pater se quasi exulem mœrebat & desolatum, atque pro filiorũ indigentia, quàm pro sua magis anxiabatur, *perinde vt essent illi dolores, vt parturientis.*

Sed iuxta quod ait de beatis lugentibus propheta: *Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis:* huius consolationis desuper accepit oraculum. Nocte quadam, cùm ad sepulchrum sancti Wolbodonis instaret precum excubijs, essetque gemituum atque lachrymarum iam fessus, inclinato inter manus capite, obdormiuit, & sibi assistere iuuenẽ vidit florido amictu, & facie syderea, dicẽtem se à pio patre Wolbodone transmissum; qui & consolans eum amicabiliter: *Bonum est* (inquit) ô frater, *confidere in Domino, quàm confidere in* C *homine.* Et tu quidem nunc tristitiam habes, sed quia spiritu contribulato nunc vsque ad Deum clamas, te pauperem dolenter congemiscendo, salus Dei te suscipiet, vt in proximo, *tristitia hæc tua conuertatur in gaudium:* sancti namq; Laurentius atque Wolbodo, in suam tuitionem & curam, hunc pariter locum, ante Deum assumpsêre, & quãdiu inhabitabunt qui quærant regnum Dei & iustitiam eius, omnia adijcientur necessaria. Et hoc tibi signum: *Ille qui respicit terram, vt* ait psalmista, *& facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant, cor episcopi* iam respiciet, vt faciat tremere & fumigare ad compunctiones & pœnitentiæ luctum, salubriter pro simoniæ culpa, per quam offendit grauiter: & ipse hoc in loco suæ satisfactionis iaciet *fun-* D *damenta*, quæ per Dei gratiam, sursum *in montibus sanctis* erunt stabilienda.

Denique, frater, quem ad forum Viseti mittitis, quatenus pro comparandis in vsus fratrum vestimentis, mutuum aliquid accipiat, virum inueniet à sancto Wolbodone directum, qui tribuat gratis, quãtum necesse sit. Itaque, expergefactus senior, fratrem Renuardum iam egressum, iam ad forum abeuntem, reuocari citius iubet, visionem coram omnibus aperit, & eundem abire, veluti iam spe accinctum bona, permittit. Venerat Visetum, & stantem in foro interrogat ignotus quidam, cur venerit, quid quærat? Missus sum (inquit)

*Stephanus cũ suis monachis in magna vi-uum paupertate.*
*Hierem. 49.*
*Esa. 26.*
*Stephanus orans ad sepulchrum S. VVolbodonis videt iuuenem se cõsolantem.*
*Psalm. 117.*
*Ioan. 16.*
*SS. Laurentius & VVolbodo coram Deo, assumunt curam monasterij S. Laurentij*
*Math. 6.*
*Psal. 103.*
*Prædicit Stephano conuersionem Reginardi episcopi & eius satisfactionem.*
*Psal. 86*
*Mittunt quoque virum qui fratri Renardo misso Visetum pro emendis vestimentis nu-meret loco pretij sexaginta solidos probatæ monetæ*

quit) à sancto Wolbodone, quatenus emam vestimenta fratribus, A
sed pretium prorsus non suppetit. Gratanter hoc ille accepit, & quã
properè, sexaginta probatæ monetæ solidos euoluit à marsupio, manuque liberali annumerat, & largitur monacho.

Prouerb. 8. Equidem, ô *sapientia, cum qua sunt diuitiæ, opes superbæ, & iustitia, vigilantes ad fores tuas quotidie*, hæc interim donâsti beneficia: obseruantes ad postes ostij tui, hoc subleuâsti munusculo, cuius genimina verè meliora sunt argento electo.

---

*Quomodo Romam adijt pro simonia.* B

## CAPVT LXXVI.

*Ab Aegidio additum.*

IGitur, vt à genimine mercationis malæ, simonia videlicet, Reginardus noster iam iam se faceret alienum, *vt expurgaret*, inquam, *vetus fermentum*, suas die ac nocte lachrymas, sibi fecerat quasi panẽ azimum, & eleemosinis atque misericordijs pauperum operam dando, secundum Apostoli mandatum, *satagebat esse noua conspersio*. Nam sui episcopatus quadriennium iam fluxerat, cum veluti quadriduanum de monumento Lazarum; sic eum de profundo peccati pius euocauit Iesus, & spiritu consilij sancto animauit, quatenus adiret Romam, vt per eum illic solueretur ab institis simoniæ, & cæcæ ambitionis sudario, qui vice Apostolorum ligandi atque soluendi fungebatur priuilegio. C

*1. Cor. 7. Reginardus episcopus deplorat simoniam à se commissam. 1. Cor. 5. Ioan. 10. Vadit Romam, nec erubescit agere pœnitentiam coram magna comitũ multitudine. Math. 18. Pontifex vice Apostolorum fungitur priuilegio ligandi atque soluẽdi.*

Iuit autem cum tanta nobilium pompa, vt expeditio quàm peregrinatio magis putaretur: quibusdam pro honore, quibusdam pro deuotione propria secum euntibus, qui tantum vtique pœnitendi zelum concepisset, vt neque numerosam commilitonum turbam, super eo quod facere intendebat, erubesceret.

Ingressus enim Romam, & principis Apostolorum basilicam, vbi apostolicum Ioannem vidit, tanquam rugiens à gemitu cordis sui, coram suis, coram omni frequentia, illius ad pedes procidit. Moti sunt omnes, tum verò maximè qui cum illo venerant. Motus & ipse apostolicus, causam addiscere expectabat: sed cum singultibus iacentis, verba impediebant lachrymæ. Veruntamen tantæ mœstitudinis vix demum absoluit materiam, scilicet, episcopatum se pecunijs emisse, propter hoc, quasi *tumentes super se fluctus, iram Dei sentire*: vnde antequam iudicetur à Domino, *se ipsum se dijudicare*, & velle honorem periculosè partum, abdicare. D

*Procidit publicè ad pedes Ioannis põtificis. Psalm. 37. Iob. 31. 1. Cor 11. Renunciat episcopatui, & velut grandi exoneratus sarcina gloriatur. 1. Cor. 1.*

Approbat voluntatem apostolicus, & sic expedire illius saluti, pronuntiat. Igitur, pastoralem baculum super altare S. Petri Reginardus deponit, &, velut grandi exoneratus sarcina, *in Domino gloriatur*, innocente

cente iam conscientia, suis admodum turbatis ac mœrentibus.

A Interea, retractans apostolicus cum illo misericordius agendum, quem *nec in gladio, nec in arcu suo* cœpisset, imò qui suum vltrò peccatũ prodidisset, voce, inquam, ac fletu damnasset, tertia eum die ad se iubet reuocari. Quem & benignè colligens: quia (inquit) indignationem Christi & flagellum non expectasti, sed tuam ipse cathedrã euertisti: quia, vt diuinæ satisfaceres columbæ, id est, Spiritui sancto, & beato Petro exhibuisti; ecce, in nomine Christi, ex auctoritate Petri Apostoli, curam accipe & regimen S. ecclesiæ, & in templo Dei sede, non iam vt mercator, sed vt fidelis dispensator & legitimus pastor. *Genes. 48.* *Visa pænitētia Summus Pontifex restituit Reginardũ episcopatui*

B Et quoniam scriptum est: *benè facit anima sua vir misericors*, & *fœneratur Domino, qui miseretur pauperi, nam vicissitudinem suam reddet*; & secundũ possibilitatem tuam, pasce pauperes, necessitatem patientibus assiste, &, si facultas suppetit, alicuius Sancti ecclesiam ædifica, vt cum *defeceris, recipiat te in æterna tabernacula*. Dehinc, baculum ei pastoralem tradit, & benedictione roboratum apostolica, remittit in sua. *Prouerb. 11.* *Prouerb. 19.* *Admonetur vt eleemosinis peccata redimat, & si facultas suppetat ecclesiam ædificet.* *Luc. 16.*

Impletum ergò in eo est illud sancti Iob: *Lignum habet spem, si præcisũ fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant: si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cùm primum plantatum est.* Nam & Petrum te negantem, ô Christe, sed te *respiciente, flentem amare*, in tronum relocâsti Apostolicum. *Iob. 14.* *Luc. 22.*

C Tu idem miserator & misericors, Reginardum pœnitentem, cathedra redonâsti pontificali: *nec enim in perpetuum irasceris, nec in æternum comminaris, dissimulans peccata propter pœnitentiam.* *Sap. 11.*

---

*De reditu eius.*

## CAPVT LXXVII.

*Ab Ægidio additum.*

D REdijt ergò prosperè Leodium Reginardus, ad *arcam veri Noë*, id est, ecclesiam Christi, vt illa quondam in diluuio columba, *portans ramum oliuæ*, virentibus folijs, pacem scilicet, qua inter sæculi fluctus, virere, frondere, & fructificare haberet in doctrina & operibus bonis. *Gen. 8.*

Itaque, cùm per publicum montem iam descenderet, atque ecclesiolam hic sitam prospectaret, Herimannus comes, de quo præmissum est, secretorum illius non nihil conscius, accessit propius, & ecce (inquit) dñe, sanctus Laurentius, quem si patronum parare studueris, adiutorem in oportunitatibus fidum habebis, & apud Deum quantæ sit gratiæ, experieris. *Herimannus comes consulit sana Reginardo episcopo.*

In amorem martyris ac deuotionem, miro statim modo præsul incanduit; quoniam quidem in cordibus timoratis, facilè claram suscitare flammam solet oleum piæ adhortationis. A

*Audit consilium & amplectitur.*

Igitur, dum à clero & populo fuisset honorificè exceptus, & in pace essent illius omnia in vna dierum, iuxta quod ait Salomon: *benè consurgit diluculo, qui quærit bona*, auroræ exortu, ascēdit ad locum istum, habitacula inspexit, fratres visitauit, pauperculumque consolatus est Stephanum, prospera repromisit & læta, secundum quod eidem abbati angelicum, vt supra dictum est, prænunciârat oraculum.

*Prou. 11.*

*Reginardus episcopus consolatur Stephanum abbatem S. Laurentij.*

---

B

## *De inchoatione ecclesiæ.*

## CAPVT LXXVIII.

*Ab Aegidio additum.*

ERat Nouembrij mensis dies secundus, ideoque propter instantem hyemem, suum implere propositum distulit. At verò, *necdum plenè hyems transierat, necdum imber abierat & recesserat*; cum tamen præ desiderio inchoandæ domûs tuæ, ô sancte Laurenti, sibi iam viderentur *verni flores apparere, vineæ florentes odorem dare*: & ecce, tertia die Februarij mensis, aurora vixdum erumpente, numerosos artifices misit, qui ecclesiæ culmen conscendentes, tectum dissipare, murum subruere, ingenti alacritate & gaudio cœperunt, vt abbatem Stephanum, atque fratres, adhuc quiescentes, reique tam subitæ ignaros, fragor ille quasi stupidos reddidit. Ita *vox turturis*, vox, inquam, id est, operatio Reginardi, bonos pœnitentiæ gemitus ædentis, quamprimum *audiri cœpit in terra nostra*, videlicet, hoc in loco nostro. C

*Cant. 2.*

*Die 3. Feb. inscijs abbate & fratribus Reginardus incipit exiguum templum demoliri*

*Cant. 2.*

Adiutores autem, atque cooperatores, in hanc ædificando ecclesiam fuêre, Olbertus S. Iacobi & sancti Petri Gemblacensis abbas, & Huneco frater eiusdem episcopi: Meinerus quoque, istius ciuitatis tunc aduocatus: viri, quos, secundum Apostolum, iure dixerim *agriculturam Dei*.

*Cooperatur in ædificationem noui monasterij abbas Olbertus S. Iacobi & S. Petri Gēblacensis abbas. Huneco frater Reginardi & Meinerus aduocatus.*

*1. Cor. 3.*

Nec verò est inconsequens referre, quòd arbuscula quædam, quæ vulgò salanga vocatur, extra fundamentorum fuerat ambitum relicta. Hanc præmemoratus somniator, longitudini ecclesiæ includendam pœnitus asserebat, sic Laurentio & Wolbodoni placere, sic perspicaces geometras illos fuisse permensos, atque suos eotenus tetendisse funiculos. Iam verò, murorum parietes non parum surrexerant à fundamentis, & ille in sua nihilominus assertione durabat, cùm prædictus episcopi frater venit, & opere inspecto, improbare non minimum cœpit, dicens displicere sibi mensiones longitudinis, non posse dominum suum multò melius consummare, quod cœperat ædificare. D

*Impletur visio pauperis & simplicis viri de magnitudine ædificandæ ecclesiæ S. Laurentij.*

Tum

A Tum operarijs confidenter præcipit quadraginta pedibus augere in longum parietes, proprijs sese sumptibus augmentum illud suppleturum, si episcopus illud noluisset. Sic illa Laurentianæ terminalis arbuscula, geometriæ muro inclusa est, & suus ille vates arridens, his à quibus fuerat irrisus, quasi sententiæ compos insultabat, planè vt de hoc sentiatur pauperculo, illud Salomonis: *voluntas Dei in his qui simpliciter ambulant.* *Prou. 11.*

*De dedicatione ecclesiæ sancti Laurentij.*

B

## CAPVT LXXIX.

*Ab Aegidio additum.*

DEo igitur prosperante, perfectum est opus, consummata est ecclesia, ad nihilum deducta est hominum malignitas peruersorũ, qui, vt Samaritæ muros olim Iherusalem; ita diu multúmque impedierunt huius exstrui domûs ædificationem. Ad cuius scilicet consecrationem, episcopus voluit apostolicæ sedis adhiberi C auctoritatem: & missus à Ioanne Papa Ioannes Portuensis episcopus, cùm Pelegrino Coloniensium archiepiscopo, ingenti eam honore & gaudio dedicauit, anno dominicæ incarnationis millesimo trigesimo quarto, indictione secunda: anno autem episcopatus Domini Reginardi, decimo.

*Neem. 4.*

*Sũmus pontifex mittit Ioãnem Portuensem episcopum qui cum Pelegrino Coloniensi Archiepiscopo dedicent ecclesiam S. Laurentij.*

Martyris ergò merita, toti ex tunc ciuitati sole clarius illuxerunt: superioribus namque annis, quousque ecclesia vetus hîc in negligentia, & quasi pupilla stetit, tanta in martyrio eius aëris, fiebat turbatio, vt præ tonitruis ac nimijs chorus cationibus, ipsa quoque terra commoueri, & contremere putaretur, procul dubio malignis spiritibus, ad obtenebrandum celebritatis eius splendorem, etiam elementa horrende concutientibus. Nam teterrimi nebulones, quan- D tâ in Laurentium torqueantur inuidiâ, quantum victoriosæ abhorreant ignes craticulæ, nos quoque aliquoties experti sumus, tùm verò maximè, dum millesimo centesimo octuagesimo secundo dominicæ incarnationis anno, vndecimo calend. Aprilis, subito, & pauendo nubium fragore, fulmen prope nos cecidit, atq; per maius ostiũ, ecclesiæ ingressum, diuino permissu ac iudicio, discurrit vsq; ad maius altare, & nihil aliud penè tangens, aut vstulans, ipsum altaris sigillũ in frustra cõminuit; miro vere miraculo, quãdoquidem sudarium quo idem sigillum tegebatur, mansit illibatum. Et quidem tale fuit incendium, vt de loco veraciter isto quis dicat illud in Zacharia dictum: *nunquid non iste torris est erutus de igne?* Sed huic modò materiæ supersedendum est, quoniam aliàs inde disseriui vberiore opusculo. *Zach. 3.*

*Merita B. Laurentij martirio.*

Solemne.

Solemne igitur est clero ac populo huius ciuitatis, ad hanc, cum letanijs ecclesiam conuenire, quoties vel intemperie aëris, vel incómodo, exortæ fuerint quælibet tribulationes: cuius merita illis nonnunquam subuenisse haud dubium est. Patuit autem hoc euidentius, qua die Godefridus, maioris ecclesiæ præpositus, vir genere ac religione conspicuus, apud Leodium reliquias eiusdem martyris, ex vrbe Romana detulit, sicut postea, suo loco dicemus. A

*Frequentes cleri & populi ad monasterium S. Laurētij processiones & supplicationes.*

ANNOTATIONES.

1. Ingenti eam honore & gaudio dedicauit.] *Vetustus codex M. S. monasterij sancti Laurentij, De gestis pontificum Leodiensium agens, de dedicatione ecclesiæ sancti Laurentij, narrat oblationem quam in summo altari fecit Reginardus, his verbis:* Ipse Reginardus, in die dedicationis ecclesiæ, obtulit beato Laurentio, ac monasterio ipsius, in Wasagga centum mansos, cum omnibus vsuarijs & appenditijs suis: in Hers viginti duos mansos, cum integra ecclesia, & alijs sibi pertinentijs: Euhaliæ sexdecim mansos, & dimidium, cum dimidia ecclesia, & alijs appenditijs suis: prædium quoque, quod est in comitatu Louaniensi positum, cum sua ecclesia, & filia, cum decimis, & campis, & omnibus redditibus suis. In Mosmale tredecim mansos, cum alijs appenditijs suis: in publico monte, qui ipsi ecclesiæ adiacet, sex mansos, cum vsuarijs suis: in Vietha decem mansos: in Bubaris, sex mansos, cum appēditijs suis: in Eunacis, decem mansos, cum appenditijs suis: in Auroto quatuor mansos, cum integra ecclesia: in Maswic, quinq; mansos, cum tertia parte ecclesiæ: in Helecines, quatuor mansos, cum quarta parte ecclesiæ. Inter quas possessiones, tradidit ad altare beati Laurentij, integras ecclesias de Fexhe, & de Liers, & de Bosliers, cum omnibus terminis & appenditijs suis. Item adhuc dedit S. Laurentio, crucifixum aureum, cum pede aureo: item crucifixum argenteum, cum pede argenteo: calicem aureum, cum patena & fistula aurea: item calicem argenteum, missale auro tectum, situlam argenteam, cappas nouem ex pallijs optimis, casulas quinque, historiam integram, missale vnum, cum euangelijs, epistolis, & antiphonario: expositionem Hieronimi in duodecim prophetas, librū euāgeliorum, librum de ordine episcopali, Gregorium Turonensem, librum canonum, & psalterium, & adhuc plura alia. B C D

2. Exortæ fuerint quælibet tribulationes.] *Codices omnes veteres M. S. habent:* Exorti fuerint cuiuslibet tribulationis, *vitio amanuensium,*

*De miseri-*

A

## De misericordia eius erga pauperes.

### CAPIVT LXXX.

**Ab Aegidio additum.**

IGitur, pactum Domini erat cum Reginardo, vitæ & pacis, quoniam quidem, secundum prophetam, *dederat illi Dominus timorem & timebat eum, & à facie nominis eius pauebat*: potissimumque insistebat eleemosinis ac refrigerijs egenorum, recogitans Christum in iudicio dicturum: *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* *Malach. 2. Reginardus in fisiis eleemosinis pauperum. Math. 25.*

B

Tunc ergò validissimæ famis angustiâ hanc regionem premente, mille & ducentos pauperes quotidiana stipe sustentauit, trecentos Leodij, trecentos Hoy, trecentos Dionanti, trecentos Fossis, simulque eos, quos verecundia mendicare prohibebat, in opera, pretio conduxit; sicut ille propheta, *qui prophetas Domini per quinquagenos & quinquagenos pauit*, cùm illi abstrusi essent, *eò quòd adorare renuerent vitulos aureos, quos fecerat Ieroboam.* *Tēpore famis sustentat 1200 pauperes. 3. Reg. 18.*

Beato Bartholomæo Apostolo sese liberalem exhibuit ac deuotissimum, quatenus ad duodecim canonicos illi eatenus seruiētes, octo adijceret, conquirens allodia, quorum reditus, in eorum vsus præficerentur.

C

Denique, super fluuium Mosam, difficili admodū, atque sumptuoso labore, pontem maximum exstruxit, vlteriusq; post insulas, locis palustribus, duos pontes lapideos: tertiumque nihilominus, super Ourtam fluuiū, in via paludum & aquarum voraginem quibusque commeantibus, reuera vtilius consternendo, & itinera coëquando, quomodo coëquauit voraginem ciuitatis Dauid patris sui *Salomon, dum ædificaret Mello.* *Pontem super Mosam, & alios albi exstruit. 3. Reg. 9.*

Numerosa etiam multitudo diuersi sexus & ætatis, in hanc vrbem, de partibus Occidentis tunc confluxerat, rerum inopiâ, & bellorum quassationibus, à suis sedibus exturbata: cui tam profusæ liberalitatis & misericordiæ, porrigebat episcopus manum, vt alterum putares de Alexandria Ioannem eleemosinarium. *Numerosam hominum multitudinem à suis sedibus bello exturbatam pascit.*

D

Erat denique tam ingenuæ discretionis, vt eos qui mendicare erubescebant, conduceret in opera. Misericordiarū ergò faciens odoros atque imputribiles fructus, *sicut cedrus libani multiplicabatur*: et iuxta quod in apocalypsi legitur, *folia eius*, id est, benefacta eius, *ad sanitatem gentium*, quandoquidem miserendo, totum se miseris impenderet, subiectosque ad idem instantissimè admoneret, detestans omnimodis *auaritiam, quæ*, secundum Apostolum, *est simulachrorum seruitus.* *Psalm. 91. Apoc. 22. Reginardus alter Ioannes eleemosinarius. Coloss. 3.*

A

## *De pugna ipsius.*

## CAPVT LXXXI.

***Ab Aegidio additum.***

*Odo Lotharingiam vastat.*
*Psalm. 79.*

TVnc temporis, Odo Campaniæ comes, auxilijs Francorum atque Burgundiorum fretus, Lotharingiam igne & ferro grauiter incursabat,& diuina æque habẽs vt humana, tanquã *aper de sylua*, ecclesiarum Christi *vineam exterminabat*, & tãquam *singularis ferus*, *eam depascebatur*. Denique, castrum Barense expugnauit & cœpit. B Vrbem Leucorum, quam Tullum vocant, valida obsidione circumdedit, episcopatum prædis & incendijs circumquaque vastans: cui tunc præerat Bruno, vir sanctitate, scientia, & genere clarissimus, qui papatu Romanæ vrbis postea insignitus,cùm Leo huius nominis nonus dictus sit, vestigia *Leonis de tribu Iuda*, pietatis atque humilitatis fortitudine, imitari studuit.

*Apoc. 5.*

Cur autem in tantam Odo tyrannidem irruperit, absoluam paucis. Rodulphus Burgundiæ Rex,diu multumque insolentijs Burgundiorum affectus & irritatus,diademate abdicato,Imperatori Conrado regnum tradidit, quod à tempore Arnulphi Imperatoris, per annos plusquam centum triginta, Reges suæ gentis tenuerant, sicque in Prouinciam rursum Burgũndia est redacta. C

Sed prædictus Odo, ab Imperatore suo, videlicet nepote, regnum auunculi repetens, vt Burgundiam sub ipso regeret, magnoperè efflagitabat, nec impetrauit. Vnde & contra Imperium niti & grassari adorsus est. Cuius insolentem nimis arrogantiam, Gozelo dux Mosellanorum atque Lothariensium non ferens, Leodium venit,& aggregato inde exercitu, episcopum, quòd erat magnanimus, & rerum perspicax disponendarum,pro fidelitate Imperij, ac defensione ecclesiarum, expeditionem inire secum admonuit. Ille, paratus *reddere Deo quæ essent Dei, & quæ Cæsaris Cæsari*, nequaquam, vt *filij Effrem intendentes & mittentes arcum, conuersus est in die belli*; sed ascendit ex *aduerso, & opposuit se murum pro statu* ecclesiæ & regni, & cum delecta equitum ac peditum manu,in castra se contulit. D

*Gozelo armat se contra Odonem.*
*Petit auxiliũ à Reginardo Episcopo.*
*Math. 22.*
*Psal. 77.*
*Ezech. 13.*
*Reginardus ponit se murũ pro domo Dei.*

Primis pugnæ congressibus, hinc & inde plurimi concidêre: inter quos etiam Albertus Comes Namurcensis, dum perrumpere cõfertas hostium turmas conatur. At Lotharienses, strage suorum accensis vehementius animis, vt mori quàm vinci mallent, adeò in Francos cædibus grassati sunt,vt Odonem ipsum,cum omnibus penè nobilibus prosterneret, ignominiosâ cæteri fugâ sibi consulerẽt.

*Odo cum omnibus pene suis nobilibus prosternitur.*

Dux magnificè victor reuersus est apud Imperatorem & aulicos, non minimam victoriæ partem episcopo Leodiẽ attribuens: qui & pro-

A pro animabus suorum eo in prælio peremptorum, per cunctas episcopatus ecclesias, supplicationes agi, & sacras offerri hostias instituit, vt *stans olim Aaron inter mortuos ac viuētes*, non affectuosius pro Israël Deo supplicauerit, vel thymiama obtulerit. *Reginardus preces & sacrificia pro defunctis fieri iubet per omnes sui Episcopatus ecclesias. Num. 16.*

---

## *De obitu ipsius.*

## CAPVT LXXXII.

B *Ab Aegidio additum.*

IPse, quod ait Apostolus: *non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*, meditās die ac nocte oībus votis ad supernā suspirabat Hierusalē, *vbi est longiturnitas vitæ & victus, vbi est lumen oculorum, & pax.* Igitur, decimo tertio sui præsulatus anno, temporalis vitæ subtractus est luci, & ductu Laurentij, à valle lachrymarum ascendens, *intrauit in gaudium Domini sui*, millesimo trigesimo sexto quidem dominicæ incarnationis anno, indictione secunda, Nonas Decembris, anno autem tam regni quam Imperij, decimo quinto Conrardi. *Heb. 13. Baruch. 3. Reginardus moritur anno Domini 1036. Math. 25.*

Subijt mortem, sed memoria eius penes nos semper viuit, quan-
C doquidem in ecclesia sancti Laurentij, quam exstruxit, eam sibi elegit in requiem, & ante maius altare sancti Laurentij, spectabili & operoso conditus est sepulchro, scilicet, ad ipsos sanctuarij gradus assiduè, spectatur à filijs, & quasi viuens eos admonet, vt assiduis orationum munijs, diuinæ illum commendent propitiationi. *Cuius & ossa, cum duodecim Prophetarū ossibus pullulant*, vt scriptum est, *de loco suo*, quatenus confinito mundi termino, supernū cunctis illuxerit regnum, angelicæ nouitatis floreat luce, resurgens nouus homo. *Amen.* *Sepelitur in ecclesia S. Laurentij à se extructa. Eccles. 49.*

Sepulchrū eius præclaro insigniuit & opere & decore Dominus abbas Euerlinus, pijs scilicet ossibus, pietatis exhibens officiosum
D munus, atque hoc epitaphium, ab ipso compositum, auratis circa literis insribi fecit, antistes tibi reuerende præcordialiter deuotus. *Abbas Euerlinus exornat sepulchrum Reginardi epitaphio.*

Flos, decus, ecclesiæ præsul, speculumque sophiæ,
Hic Reginarde iaces, corpore iam cinis es.
Nos quia frumenti satias pinguedine dulci;
Pascua sint cæli centuplicata tibi.
Te rapit à tenebris mundi, lux quinta Decembris,
Splendeat in requie, sol tibi iustitiæ. *Amen.*

Abbas Stephanus, secundum quod ait Dominus per prophetam: *Ecce, excoxi te, non quasi argentum elegi te in camino paupertatis*; defuncto præsule, quasi pupillus absque patre, pauperem degebat vitam. *Stephanus abbas affligitur. Esa. 48.*

 Siquidem,

Siquidem, multi viri nobiles, illum non minimè afflixerunt, iura quædam infringere volentes circumiacentis terræ, quam venerabilis Reginardus, liberam ab omni exactione, ecclesiæ sancti Laurentij delegauit. Tamen, Stephanus à Deo sustentatus, ædificia claustri & officinas consummauit, & circumquaque succisis nemoribus, quæ propter insidias latronum omni erant transeunti noxia, elaborauit atque excoluit. A

*Stephanus abbas moritur anno regiminis sui 33.*

Obijt autem idem venerabilis abbas Stephanus in senectute bona, postquam præfuerat eidem ecclesiæ triginta & tribus annis, secundum nomen suum, quod Normalis interpretatur, vel Coronatus fœlicis normæ, id est, iustitiæ, laborumque suorum percepit à Christo coronam, anno episcopatus domini Theoduini, tertio decimo. B

Sepultus est autem in cripta eiusdem ecclesiæ, ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, ad pedes scilicet domini Wolbodonis episcopi.

*Comes Hermannus fit monachus Virduni in ecclesia sancti Vitoni.*

At verò nobilissimus comes Hermannus, qui & Hezelo, sæculi quæ sunt renuncians omnibus, Virduni, apud ecclesiam sancti Vitoni, monachicum suscepit habitum, & viuens monasticè vsque in finem, bonorum meruit aggregari collegio sanctorum monachorum.

ANNOTATIONES. C

1. Tamen Stephanus à Deo sustentatus.] *Codex sancti Laurentij, de quo supra*: Abbas, *inquit*, Stephanus huius loci primus, à Deo sustentatus, ædificia claustri & officinas, cum ecclesia parochiali sanctæ Gertrudis, consummauit.

2. Intrauit in gaudium Domini sui, anno 1038.] *Lambertus Paruus*: obijt, *inquit*, Raynardus episcopus Leodiensis, anno 1038. succedit Nittardus.

## *De Nithardo episcopo.*

## CAPVT LXXXIII. D

*Cuius aliquot partes ab Aegidio additæ sunt.*

*Nithardus episcopus præfuit 4. annis.*

HVius loco successit Nithardus, custos ecclesiæ maioris, iuuenis ætate, sed maturus moribus, quatuor circiter annis pontificij fretus honore.

*Additio Aegidij.*

Huius auunculus fuit prædecessor suus Reginardus episcopus. *Hactenus Aegidius.*

*Magnum ornatum acquirit ecclesiæ, & in ea sepelitur.*

Hic in tam breui vitæ suæ tempore, magnum ornatum, quem hactenus possidet, nostræ acquisiuit ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam voluit habere.

*Additio*

A *Additio Aegidij.*

Insignis præsul, claris natalibus ortus
Nithardus, custos, deuoto fine quieuit.

Obijt autem anno dominicæ Incarnationis, millesimo quadragesimo primo, calend. Augusti, sub Benedicto Papa, huius nominis nono, tam regni quàm Imperij Henrici filij Conradi Imperatoris, anno secundo. *Moritur & quando.*

ANNOTATIONES.

1. Successit Nithardus.] *Ita legunt codices, Aureæ vallis, Capucinorum, & Groesbekanus, & ita video legi: aduerto tamen quosdam legere* Richardus, *vt* B *Kratepolius, & alij, literis N & R mutatis in H. & C. Quod certum euadit, ex scriptione nominis eius in lamina plumbea, quæ in tumulo eius reperta fuit, anno domini 1567. quam penes nos habemus, sic enim verbatim & literatim habet:* Anno Incarnationis Dominicæ, M. XLII. Indictione decima, VIIII. KL. Septemb. obijt Nithardus Leodicensis episcopus. *Ex quibus nota quoq́; errorem Aegidij de die obitus. Est verò locus sepulturæ Nithardi in naui ecclesiæ Leodiensis, ante ostium chori: vbi sepultus fuit eodem anno 1567. vir Illustris D. Arnoldus à Bocholt, tunc præpositus Leodiensis.*

2. Hic in tam breui vitæ suæ tempore, magnum ornatum.] *Reperio etiam libro primo chartarum ecclesiæ ab Henrico comitatum vnum acquisiisse, vt ex* C *subiecto diplomate lector videre poterit, quod sic se habet:*

IN *nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*
Henricus, diuina fauente clementia, Rex.


Si fidelium nostrorum voluntati ac petitioni nostrum assensum, pium ac beneuolum, adhibere curamus, quin ipsi nobis in futuro, multò fideliores; & ad omne nostrum seruitium promptiores sint, minimè dubitamus.

Quapropter, omnibus diuini nostrique nominis amatoribus, tàm futuris quàm præsentibus, perspicuũ esse volumus; qualiter Nithardus, sanctæ Leodiensis ecclesiæ venerabilis episcopus, nostram regalem adijt sublimitatem, humiliter deprecans, vt inprimis, causâ D diuinæ retributionis, ac ob remedium animæ pij geniteris nostri, Conradi Imperatoris, à nobis, dum vixerimus, nunquam obliuiscendi; nec non ob humilem interuentum fidelium nostrorum, Brunonis sanctæ Wirceburgensis ecclesiæ, & Thietrici Metensis, venerabilium episcoporum, ac pro suo assiduo & fideli seruitio, quo patri nostro, nobisque multum fideliter seruiuit, comitatum Arnoldi comitis, nomine Haspinga, in pago Hispangowi situm, cum tali iure, talique districto, quale parens noster, aut nos hactenus in illo visi sumus habere, in moneta vel telonio: imò cum omni vtilitate, quæ scribi aut excogitari potest, prædictæ Leodiensi ecclesiæ, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, ac prætiosissimi martyris Lamberti, qui ibidem corporaliter requiescit, constructæ, ea lege in

proprium concederemus, vt hanc proprietatem, quam hactenus in illo habuimus, præfatus episcopus Nithardus, suique successores, ab hinc potestatiue habeant. A

Et, vt hæc nostræ concessionis auctoritas, stabilis & inuiolata omni permaneat æuo; hanc chartam inde conscribi, eamque manu nostra propria, vt subter videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione præcepimus insigniri.

*Sigillum Domini Henrici Regis inuictißimi.*



B

C

Theodericus cancellarius, vice Burdonis archicapellani, recognouit. Datum nono calend. Februarij, indictione octaua, anno dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo: anno domini Henrici tertij ordinationis duodecimo, regni verò primo. Actũ Vlmæ fœliciter. *Amen.*

*Codex quoq; monasterij sancti Laurentij, de quo supra cap. 79. mentionem fecimus, dicit hunc Nithardum ædificasse duas ecclesias parochiales, sancti Thomæ, iuxta S. Bartholomæi collegiatam ecclesiam, & sancti Remigij: dicit quoq; construxisse castrum in Dionanto, in eoq; ædificasse capellam in honorem sancti Benedicti. Verum, quod de constructione castri dicit, non sic intelligo, quasi illic nullum ante castrum fuisset, nam antea ex Molano recensui inter alia patrimonialia bona S. Monulphi episcopi, quæ ecclesiæ Leodiensi dedit, etiam castrum Dionantense numerari: puto ergo Nithardum non tàm construxisse castrum illud, quàm ornasse & reparasse.* D

3. *In eodem codice reperio & hanc annotationem:* Nec defuerunt, *inquit*, dicto abbati Stephano *(loquitur de primo abbate S. Laurentij, de quo ante aliquoties dictum est)* hostis insidiæ, quia Nithardus, nepos prædicti Reginardi, in episcopatũ succedit, qui penè totam supellectilẽ, & aurũ, & argentum, quod suus antecessor Reginardus S. Laurentio thesaurizauerat, totaliter abstulit.

De D.

A

### *De D. VVazone episcopo, & qualiter in scholarum magisterio, seu in decanatu se habuerit.*

### CAPVT LXXXIIII.

POst istum, Wazo maximus, canonicè electus, episcopali cathedræ intronizatur. *VVazo maximus.*

Hic primùm sub Nothgero præsule capellanus existens, *Fuit capellanus sub Notgero.*
B postea ab eodem scholarum donatur magisterio: in quarum studio, tàm morum quàm literarum vigilãtissimam exercuit disciplinam. *Fit magister scholarum.* *Vigilantissimã exercet disciplinam.* Scholares claris pollentes moribus, licet minus literatos, scientiæ suæ vanitate inflatis anteponebat. Venientibus ad se de diuersis terrarum partibus, plerisque difficiles quidem sui præbebat accessus: si quos autẽ vere ob studia venisse cognouisset, gratãter suscipiebat, secumque detentis, victualium & vestitus necessaria ministrabat. *Ex diuersis terrarũ partibus venitur ad scholam VVazonis.* Discedebant alij, literis, moribus, & religione instructi; accedebant alij nihilominus instruendi. Cerneres quasi ex diuersis aluearibus apes, ad hanc florigeram arborem conuolare, vt inde, suis quæque cellis referret, vnde arescentibus fauis, nectar melliflui roris posset
C infundere. Haud aliter ex ignotis & notis regionibus, ad virum bonos Christi odores spirantem, vndique studiosorum confluebant agmina; & alter quodammodo Salomon, ad se videndum, & desideranter audiendum, religiosos cuiusque generis inuitabat. *3. reg. 3. Math. 12.*

Et cùm multi, exemplo Reginæ austri, pretiosissima quæque Ierosolimam conferentis, ne immunes apparerẽt, huic suo Salomoni spõtanea offerebant xenia, ille tamen, vt *gratis daret quod gratis acceperat*, ita manus suas ab omni munere studebat excutere, sicut è contrario solent fœnoris exactores, debita cum vsuris extorquere. *VVaso manus excutit ab omni munere.* *Math. 10.* *Esa. 33.* Munificentiam in eo laudare superfluum iudicamus; qua ita erga peregrinos & hospites sedulus erat, vt potentes ac ditiores se, frugalitas eius in in-
D uidiam concitaret. *Est munificus vsque ad inuidiam potentiũ & ditiorum.*

Postea, cùm sub pontifice Baldrico, etiam decanatus sublimaretur honore, ita se modestum exhibere studebat, vt & in subiectos mansuetissimus appareret, & contra superbos erectus, virtutis instantiâ, cõtumacias eorum supprimeret. *Fit Decanus ecclesiæ Leodiensis.* *In subiectos mansuetus in superbos erectus.* Probat hoc subscripta eius epistola, Ioanni præposito, in superbiæ fastum, ob vanum præpositi nomẽ, elato, directa, quod & tyrannicam potentiam, in disponendis iniustè rebus ecclesiasticis, sibi arrogauerit.

Inuectia

A

*Inuectio ipsius in Ioannem præpositum.*

## CAPVT LXXXV.

FRatri Ioanni, secundum sua merita, non suus wazo.

In veteris amicitiæ memoriam cogor te, frater, adhuc compellare, quamuis apud nos, nil dignum merearis gratiæ. Hactenus te venustabat scientia literarum, aliquantulum efferebat etiam, in construendis negotijs, rationis iustitia: nunc, quoniam bonâ fortunâ vteris, priora præsentibus confundere mihi videris. Quicquid boni prius habueras, adiudicamus simulationi: quia fortuna bonis superueniens, solet meliores efficere. Enimuerò, diuitias per se nullas æstimamus, nisi à possessoribus suis hac translatione probentur: archidiaconatus enim, cæteraque mundi vanitas, suo contagio te non infecit, sed quàm versipellis prius latebas, suis operibus exposuit. B

*Ioannes præpositus accusatur simulationis*

*Confidit singulari potentiæ. Multa in Ioãne correctione digna.*

Vltionem malè viuendi forsitan reformidares, nisi plurimum sæculari potentiæ confideres. Cumque multa in te punienda possim recensere; vnum, quod me contingit, volo, si queam, refellere.

*Vult negotia claustralia sine consilio decani & capituli administrare. Dicit se potenter esse constitutũ præpositũ*

*Heb. 6. Esa. 5. Ioan. 14.*

Dicis te præpositum potenter esse constitutum, claustralia negotia domi, sine consilio decani, fratrumque, sicut volueris, dispensaturum. Cum gladio non vtaris; cur, potenter, & non, regulariter, dicis? Si tua dignitas est à Deo, cur illam non defendis scripto? In cõfusionem meam, prælatum & præpositum vnum esse dicis, obuiare veritati, gratiæ deseruiens minimè revereris. Quid est, quæso, aliud veritatem scienter fraudare, quàm Christum patenter denuò crucifigere? *Ve qui dicunt malum bonum & veritatem commutant in mendacium.* Ergò, cùm veritatem se Christus esse dicat; quisquis veritatem lædit, Christum procul dubio sauciat. C

Sancti patres, zelo iustitiæ feruentes, claustralem regulam, diuinitus illustrati, conscripserunt, nihil superfluum addentes, vel necessarium subtrahentes, neque ad dextram, neque ad sinistram declinãtes. Prælati & præpositi, tulerunt omnem controuersiam, si tibi ambitionem, mihique lenieris inuidiam. Dic, quæso, dic, si regula sigillatim titulat episcopum, prælatum, præpositum, cantorem, cellerarium, portarium, vsque ad pistores & coquos! Si prælatus & præpositus vnum est, quare prætermittit decanum? Irrationabiliter ergò regula videbitur esse composita, si non exequitur omnia claustralia secundum propositum necessaria. Sed quis sanũ sapiens audebit hoc asseuerare, cùm *Spiritus sanctus*, auctor regulæ, *fictum effugiat disciplinæ*? Non, frater, noli interpretari male scripturam regulæ sufficientem. D

*Prælatus in regula alius est à præposito.*

*Prælatus & decanus idem sunt.*

*Sap. 1.*

Prælati

Prælati & præpositi, velis, nolis, necessariam tene distinctionem: A quia si prælati & præpositi vnum essent subiectum, potius vnum, quàm duo, scriberetur capitulũ, vt sicut præsulis & episcopi, duûm nominum fit vnum capitulum; sic prælati & præpositi fieret, si essent vnum. Quia ergò duæ personæ intelliguntur in prælati & præpositi significatione, meritò duas sententias placuit regulæ scriptoribus annectere.

Præsertim nomen decani, quod regula non ponit, minimè te moueat, quod solùm militaris disciplina, regula S. Benedicti, à decem militibus vel monachis literis sacris tacentibus frequentat: quoniam quidem cùm regularis diligentia, triginta, sexaginta, vel his amplius canonicos simul admittat, nomen decani, quia super denarium res B agitur, rationabiliter ponere deuitat. *Quare regula non ponat nomen decani.*

Erit igitur prælatus secundum spiritualis vitæ administrationem, prior in claustro; & consequenter, præpositus, propter exteriorum procurationem, ordine secundo: spiritualia namque sæcularibus dignè præponũtur, quantum stolido corpori, rationalis anima principatur. Hãc institutionem immobiliter seruant occidentalia claustra, & monachorum quotquot sunt vbi vbi cœnobia. Sed quia pluris existimas opes religione, veneraris præpositum, suppressa decani celebri statione: quoniamque gloriaris te prępositum esse, præsumis claustralia negotia fratribus inconsultis dispensare, non vt vtiliores fratres ad hæc promoueantur; sed qui gratiâ tuâ solummodò C participantur. Hinc religionis diuinæ, proh dolor, ruina suboritur, literalis disciplinæ studium penitus destruitur. Hanc institutionem *pater cœlestis non plantauit*, mater ecclesia scriptis suis non animauit: necesse est ergò spirituali cultro, spuria succidere vitulamina, & regularibus monitis, ascensum præbere per omnia: præcipit namque regula, præpositum sub prælato agere, iniuncta sibi, fratribus humiliter fideliterque, cum bonæ conuersationis exemplis, administrare. Si is resultauerit, ab officio remoueri, aliumque loco eius aptiorem constitui. *Decanus prior præposito in spiritualibus.* *Incommoda, quæ eueniunt si præpositus præsumat inconsultis decano & capitulo administrare. Math. 15.*

Ad hæc, frater, vide, quæso, subiectionem præpositi: vide fidelitatem, humilitatem, periculum quoque ministerij. Quod si claustralia bona præsumis, fratribus inconsultis distribuere; vbi est subie- D ctio debita, vbi fidelitas, vbi humilitas obedientię? Si enim Pontifex ipse, cui singulariter istud competit, non potest ecclesiastica bona, sine cleri consensu, disponere; quomodò subiectus minister, audebis bona fratribus communia, pro tuo libitu, dissipare? Iubetur abbas, cœnobialiter in consilium totam congregationem conuocare, eorum consilio cuncta diffinire; tu dedignaris confratres tuos super communibus bonis consulere? Iubetur etiam inter plures monasterij bona diuidere, ne præpositus solus tenens omnia, possit superbire: alioquin, si licenter id feceris, iam non præes canonicis, sed seruis & eleemosinarijs tuis. Quis, rogo, sufficiens erit vtcumque viue-

re, qui dignetur in eleemosinæ tuæ stipendia transire? Vt quid fratribus cõmuniter à Christi fidelibus conferuntur dona possessionũ, si tu singulariter super his tibi vendicas dominium? Hactenus eramus etsi pauperes Christi; liberi tamen matris ecclesiæ filij: reliquum est, famulemur tibi serui emptitij. Desine, desine insolenter agere, officijque tui modum humiliter recognosce. A

*Præpositus debet secundum regulã alijs canonicis se conformare & alijs exemplo prælucere.*

Vide etiam si non secundum monita regulæ, incumbat præposito, canonicæ conuersationis exemplo subditos illustrare. Ergo si regulare mandatum est canonicos, chorum, dormitorium, refectorium frequentare; quare non etiam te, cùm non secernaris ab hac societate? Cùm sis sanus & validus, plerumque otiosus, erubescis esse religiosus; à mane vsque ad vesperam, non pudet te sæcularibus insudare, & semel per hebdomadam, aut mensem, choro confunderis interesse. B *Qui non laborat, nec manducet*, scribit Apostolus: tu nihil, vel parum laborans, omnia colliges solus? Si otiosis etiam cibus interdicitur naturalis; quid tu negligens præpositus, opibus laborantium dominaris? Ecce, per Apostolũ derogatur tibi vitæ cõmunio, vnde tibi tantæ dominationis abusio? *Si de altari viuere debent, qui altari deseruiunt*, cõsequenter qui non seruis, nil debes accipere. *Qui parcè seminat, parcè & metat*: & *vnusquisq; propriam mercedem. secundũ suum laborem, accipiat.*

*2. Thess. 3.* *1. Cor. 9.* *2. Cor. 9.* *1. Cor. 3.*

Porrò, si religiosissimus esses, per humilitatem hanc, dominationis ambitionem cauere deberes. Si Paulus, *plus omnibus laborans*, profitetur se minimum & abortiuum; cur tu, nihil laborans, è contrario singulare præoccupas dominium? Si sententia Pauli per omnia est laudabilis, vniuersaliter præsumptio tua fit detestabilis. Potentem te dicis esse præpositum, bona claustri sine consilio prælati & canonicorum, in domo tua, pro libitu, dispensaturum: *quem te ipsum facis? Quid habes quod non accepisti?* Non te metiaris adulantium linguâ; quid sis, non quid voceris, diligenter examina. Si Deus homo venit *ministrare, non ministrari*, cur tanto fastu quæris dominari? Cùm Deus esset, *semetipsum exinaniuit, formã serui accipiẽs*; tu puluis exiguus, cõtendis vocari præpositus potens? Enimuerò, nequaquã poteris eius esse discipulus, nisi prius deposito superbo dominandi fastu, paruulus efficiaris. C

*1. Cor. 15.* *Ioannes ambitiose se vocat potentem præpositum.* *1. Cor. 4.* *Math. 20.* *Philip. 2.* *Math. 15.*

Si nullus claustralis præpositus, nisi ex regulari canone debet ordinari; profectò non debes esse præpositus, nisi canonicam claustri ducas vitam. Distat igitur inter clericum & canonicum, quod non clerico, sed canonico debetur claustrum: omnis enim canonicus, clericus, sed non conuertitur. Ex canonico autem, non ex clerico, regulariter constituitur præpositus: & ideò necesse est, si præpositus es, in choro, in refectorio, in dormitorio, nisi per licentiam, sis assiduus. Quapropter, ut cum præpositura habebis religiositatem, vel præpositurae dignitas, vertetur in villicationem. Non erit autem necesse constitui ex canonico præpositum, si idem ministerium possit æque ministrari per laicum. Sis ergò, consulo, præpositus, cum religione, vt saltem velis religiosos amare: quia nimis prophanum con D

*Præpositus ex canonicis eligitur regulæque sicut alij canonici subijcitur.*

stat

A stat vtrumque, hinc te religiosum esse, hinc etiam religiosos vexare.

Quicquid in ministerio tuo iustè superfuerit, in vita tua teneas; nec tamen fratribus hoc palàm facere, ne furti arguaris, obmittas. Sic ego, in duabus villis mihi inuito commissis, coquorum, mansorum, seruitium iusta ratione superlucratus, fratribus intimaui, & statim seruitium feci: quantoque me in gaudium pro fidelitate intrare sperabam; tantò tribulationibus, inuidiæque magis succubui. Seruus euangelicus talentum duplicans, à domino collaudatus, meruit donari: ego quadruplicans multis modis, impetitus & circumuentus, addictus sum paupertati. Ergò, frater, oēs in cōmune accīgamur humilitati, fidelitatiq; regulariter, & res claustri, sicut oportet, tractemus ir

*Debent canonici fideliter bona clai stralia ministrare.*

*Math. 25.*

B reprehēsibiliter. Quāto maiores sumus in sæculi dignitatibus, tantò nos humiliemus in oībus. Auaritiæ, dominationisq; altitudinē fugiamus studiosè, quæ religionis disciplinā, naturaliter solēt propulsare.

*Eccl. 3.*

Instruat saltem nos Coloniensis disciplina claustri: vbi præpositus & prælatus, in choro primi stantes, officiose satagunt, ne quid difficultatis proueniat, seu negligentiæ. Disciplina claustri specialius ascribitur prælato; nec tamen deest inuitatus præpositus, instante scrupulo. Stipendium quotidianum cum cæteris officialibus exhibet præpositus: si quid defuerit, sine inimicitijs exigit prælatus. Cellerarius annonā, vinū, pulmēta suscipiens à præposito, prælati, seniorūq; dispensat mandato. Liber est præpositus ab expensis quæ dede-

*Officium præpositi & prælati Coloniæ.*

*Ad prælatum seu decanum pertinet correctio seu disciplina canonicorum.*

*Officium præpositi officium cellerarij.*

C rit cellerario, cellerarius ab his ęquè, quibus paruerit pręlato. Sic concordia prælati & præpositi, in claustri ædificationem cooperatur: quia non ambitiosa charitas, quæ Dei sunt, non quæ sua, rimatur.

*Concordia quo modo seruāda inter Decanum & præpositum.*

Lugēda nobis esset acriùs claustri nostri recēs oborta discordia; nisi in sanitate corporis cōualesceret etiā ægrotantia mēbra. Et, ne tibi paternæ cōsolationis pœnitus munia subtrahā; precor, archidiaconatus tui moderare gloriolā: quia diuina bonitas, pluribus te bonis ditauit, quibus rationabiliter honoreris; in archidiaconatu decretis ecclesiasticis instituto quid extolleris? Si diaconus es, dic vnde tibi cognomen archi? Si non potes; vlterius desine gloriari. Coēpiscopos

*1. Chor. 13.*

*Paterna consolatio.*

*Rogat ne vane glorietur nomine Archidiaconi.*

D & archidiaconos, ob insolentiā remouit ecclesia: vnde & his caret, vsq; in præsens Metropolis Colonia, & tota prouincia. Canon vetat diaconū ante præsbiterū iniussū sedere; tu præsbiteros præsumis iudicare, aut etiā verberare? Tantā habes auctoritatē in iudicādo, vt nulla scriptura, nulla possit resistere ratio? Quoniā quidem voluntās tua necessariò nobis est lex & regula; quæso per Deum, dirigas eam semper cum iustitia.

*Ecclesia pro tempore propter insolentiā remouit coēpiscopos & archidiaconos.*

*Admonet vt auctoritatem in iudicando moderetur ratione.*

Cùm me in nullo, exceptis peccatis meis, quæ nimia sunt, possis legitimè redarguere; quare in augmentum maleuolentię tuæ, me soles iracundum vocare? Si *ira viri iustitiam Dei non operatur*; vel iniustitias meas dic, aut veritas tua cassatur. Sed quia negotia mea lege delecta, tuis prauis consilijs, ne confundar, nolo communicare, imputas hoc mihi agere iracundiæ obstinatione. Sed malo à te

*Ioannes præpositus VVasonē accusat iracundiæ & male.*

*Iac. 2.*

dici, nec esse iracundus, quàm tuorum cõsiliorum semper alumnus. A
Ista, frater, in pristinæ familiaritatis recordatione meditanda, tibi liberali studio delegamus: &, ne quid dictum sit in gratiæ detrimentum, quia sic ratio poscebat, optamus.

ANNOTATIONES.

Hac translatione probentur:] *Ita legunt Codices, Groesbekanus, & Capucinorum: alij, Aureæ vallis, & cruciferorũ legunt:* Hoc translatiuè promamus.

---

## *Quid à rusticis sit perpessus.* B

## CAPVT LXXXVI.

HEc scribens procul omni inuidia & odio, dum vnum hominẽ à tortitudine morum, ad rectitudinis tramitem reuocare studuit, omnibus præpositis, formam iustioris vitæ, cui imprimi debeant, exhibuit.

*Præpositis forma viuendi proposita.*

Præpositus autem ille Ioannes, cui scripserat, dum corrigi debuit, maioris inuidiæ stimulo tactus, persuasibilibus terrenæ sapientiæ verbis, episcopi, cæterorumque maiorum animos, in eius odium accendit; sed & ruricolas eius, ac vinitores, directis nuntijs, in eius rebellionem, pariter ac debellationem animauit. C

*1. cor. 2.*
*Ioannes præpositus episcopi cæterorumque maiorum animos accendit in VVazonem, nec non rusticos in rebellionem.*

Rustici autem, conspecto quod, pro cautissima sui procuratoris instantia; in defraudandis fratrum bonis nulla superesset eis oportunitas; ad instigationem Ioannis, in tantam proruperunt audaciam, vt domum in qua quiescebat decanus ipse, nocte circumgirantes, armati concremare niterẽtur. Sed qui sperantes in se non deserit omnipotens Deus, iustitiæ cultorem mirabiliter ab hoc periculo liberauit: nam amissa licet vestium, aliarumque rerum diuersa supellectile, cum multa vini copia, quam inferiori eiusdem domûs parte, ad opus fratrum prouidus contraxerat; nec vnus quidem ex hominibus, Deo donante, crepitantibus vndique flammis succubuit. D

*Rustici nituntur concremare domum VVasonis.*
*Deus iustitiæ cultorem VVasonem liberat.*

At vir Dei tanta aduersitate nequaquam frangitur, sed potius boni propositi tenacior efficitur.

---

## *Quod capellanus Imperatoris est effectus.*

## CAPVT LXXXVII.

SEd cùm quidam eius necessarij periculi pondus attenderent; veriti satis, ne solus non posset sufficere ad resistendum diu æmulorum suorum inuidiæ, quatenus Imperialis auctoritas fœlicibus actibus

*VVaso, consilio amicorũ cedit inuidiæ aduer-*

A actibus contra inuidos esset tutela; hoc apud Imperatorem Conradum efficiunt, quatenus eum ab episcopo Reginardo expetitum, sibi faciat capellanum. Sic tandem aduersariorum, ad tempus cessit inuidiæ, non quòd aduersitati succumberet, sed vt bonæ intentioni vires interim repararet.

*fariorum & fit capellanus Imperatoris.*

Igitur, ex consensu præsulis, & totius Capituli, in decanatus officio substituto sibi vicario, Imperatorio se confert obsequio: vbi breui exacto tempore, pro suæ sanctitatis merito, non solum ab ipso Imperatore; sed etiam ab archiepiscopis & episcopis, tantam consequutus est gratiam, vt in soluendis scripturæ sacræ quæstionibus, aliarumque causarum enodandis disceptationibus, doctorem præcipuũ B haberent: præ cæteris tamen Aribo Moguntiacensis, & Pelegrinus Coloniensis, tanta eum veneratione præferebant, vt ei vicissim assurgentes, in tractandis negotijs aulicis, collateralem sibi eum sessorem effici cogerent.

*Est in gratia Imperatoris & episcoporũ propter eruditionem & sua merita.*

*Et precipuè Aribonis Moguntiacensis, & Pelegrini Coloniẽsis episcopi.*

---

## *Quod Iudæum disputando deuicit.*

## CAPVT LXXXVIII.

C EO tempore, Iudæus quidam, arte medicinali peritissimus, & ob hoc Imperatori satis charus, in paternæ legis traditione ferebatur esse perfectus.

Is aliquando veteris legis quæstionibus, dominum Wazonem sollicitãs, eo vsque contra ipsum litigando progressus est, vt si pignoris loco vini poneret amam; ipse contra, dextræ manûs digitum, præberet abscidendum, si eius proposito, scripturæ confutaretur testimonio.

Quid multis immorer? Venitur ad veteris historiæ codicem, proponit ille sententiam è vestigio testimonijs quampluribus. Wazo disertissimè confutat propositam, ita vt ipso fatente aduersario; di- D gitus victori adiudicaretur abscidendus: qui cùm à deuicto sponsore negari non posset, subridens Wazo, Iudæi manum inuasit: tenensque digitum, quousque eum repetere vellet, fidei eius custodiẽdum commisit.

Sicque bellator Christi, nouum christiano nomini, à præcipuo doctore gentis Iudaicæ, gloriose retulit trophæum, habitumque est celebre in regis curia, Iudæum sapientiâ famosum, à wazone esse deuictum.

*Quod præpositus efficitur.*

## CAPVT LXXXIX.

*Ioannе præposito mortuo nõ recedit ab Imperatore, donec alius sit electus*

INterea, cùm fama diuulgante percrebuisset vbique, Ioannem obijsse præpositum, Wazo venerabilis, etsi curiales tumultus euadere, & claustrali quieti reddere se desideranter optaret; reditum tamen ad suos adhuc distulit, vsque dum successorem accepit idem Ioannes, ne cupiditatis notam apud inuidos incurreret. B

*Acclamatur præpositus & ab episcopo Renardo fit archidiaconus.*

Susceperat autem præposituram vnus ex archidiaconis, Lambertus nomine: qui post domini Wazonis reditum, paruo superstes tempore, cùm morti proximus existeret, testamenti sui præfatum decanum constituit dispensatorem: sicque vita decedens, acclamatione pariter & electione totius cleri, per episcopum Reginardum, ipsum accepit in præpositura, simul & archidiaconatu successorem.

*Præpositus factus vt se habuerit, & qualiter exteriora administrauerit.* C

## CAPVT XC.

*Eccl. 3. Detestatur imprimis superbiam & rerũ Ecclesiasticarum rapinam.*

INter hos nimirum ascensionum gradus, ita vir Dei studebat humilitatis scalas in corde disponere; vt quantò videretur maior, tantò secum esset humilior: & cùm se à cunctis generaliter vitijs irreprehensibiliter custodire niteretur; ea tamen potius cauebat, quæ prius humiliori in loco positus, in suis maioribus reprehendebat, superbiam videlicet, & rerum ecclesiasticarum rapinam.

Humilitatis virtute non solùm coëqualibus, sed & minoribus se conformabat: misericordiæ visceribus, Christi benignissimus imitator, afflictis compatiebatur. D

*Præbendas canonicorũ pauperes, opulẽtissimas reddit.*

Quid de dispensanda Christi familiæ annona dicam, cùm fratrum suorum, scilicet, ecclesiæ maioris canonicorum, præbendas vsque ad id tempus pauperes & exiguas, panis & vini, indumentorum redditibus sufficienter amplificauerit, & de multa inopia, opulentissimas reddiderit? Nam cùm per dies singulos, vnicuique panis vnus tantum in stipendio quotidiano tribueretur; iste candentis simile quinque libras appendentem, singulis distribuẽdum adiecit panem: & in potu vini, centum quadraginta vecturas, singulis annis ecclesiæ suæ filijs prouenturas, hac videlicet ratione, vt ex eo quod prædictis

dictis fratribus superesset, aliarum ecclesiarum quibus vinum non esset, consuleretur inopiæ: decentissimum aiens fore, vt ex ecclesiæ maioris abundantia, minorum suppleretur indigentia. *2. cor. 5.*

A

Duodecim pauperibus vel peregrinis, coram fratribus in refectorio reficiendis, alimenta sufficientia constituit: & hospitale, quo de episcopij culturis decimæ conferuntur, cùm ipsius esset creditum prouidentiæ, tanta fidelitate ordinauit; vt inde triginta pauperes, per anni circulum largè sustentarentur, & ex ecclesia, quam dudum Baldricus pontifex viginti quatuor eleemosinarijs sustentandis destinauerat, duodecim supra reficiendi adijcerentur: omnes peregrini sine equis peruenientes, sine repulsa reciperentur: qui autem cum equis venissent, episcopali relinquerentur excellentiæ. *Constituit alimenta pro duodecim pauperibus. Varijs modis consulit pauperibus & peregrinis.*

B

Interea, corpori frequentes indicuntur abstinentiæ, pauperibus Christi largiores augentur impensæ. Recreantur quotidie vtrique assidentes lateri, hinc clericorum, hinc laicorum pauperum catervæ. Referuntur ab eius mensa, tàm interioris quàm exterioris pabula hominis: ipseque hilaris conuiua parcissimè refectus, imò penè ieiunus, esuriens semper & sitiens iustitiam, diuitias suas communi vtilitati, quam propriæ deseruire malebat, quas in omnia pietatis opera inflectere satagebat. *Vt ipse hilaris conuiua parcissime reficitur.*

C

Sentiebant eius humanitatem, ægritudines decumbentium, labores exulum, senio confecti à diuitijs in paupertatem delapsi, indesinenter sunt eius suffragio suffulti. Sic vir Deo deuotus, omnibus omnia factus; oculus erat cæco, & pes claudo. Hunc pupilli parentem, hunc inuenêre viduæ maritum, & prouisorem. *1. cor. 9. Iob. 15.*

Hæc de exteriorum administratione.

---

*Qualis interius fuerit.*

## CAPVT XCI.

D

INterius autem subditos, regularibus institutis, vt charissimos fouebat filios: rebelles verò disciplinæ flagello seuerissimè corripiebat, in vtrosq; tamen pietatis seruans viscera, dum hos ad meliora proueheret, illos verò à prauitate compesceret.

Nec timebat miles Christi, ne tenacioris iustitiæ rigore, hominem offenderet, dummodo superni iudicis æquitatem sectando, gratiam obtineret.

Vnde contigit, vt defensione veritatis feruens, quorundam mundi huius potentium, offensam frequenter incurreret, in tantum, vt ei multimodæ sæpius tenderentur insidiæ, & de vitæ eius periculo agere, nulla putaretur iniuria. Sed quia, ex sententia Salomonis, *Pro defensione veritatis multorum offensam incurrit.*

*frustra*

*Prouerb. 1.*

*frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*; iste, ceu pennatum Dei animal, A minas & pericula, postremò omnia virtuti obsistentia, liberò volatu euadebat tentamenta: primò quidem, æquanimiter ea tolerando, suo autem tempore & loco, eadem rationabiliter confutando, vti semper spiculo rationis, aduersariorum confodere solebat pectora.

*In quacunque controuersia rationis ope munitus victoriã assequitur.*

Erat enim hoc in eo tàm laudabile quàm mirabile, quòd in quocumque negotio contra quemlibet controuersiam sumeret, inexpugnabili rationis ope munitus, assequeretur victoriam. Et hoc ideò, quia circumspectus omni parte, oculos in intentionem boni direxerat: in cuius custodia, sese cùm veritate & ratione ita defixerat;

*Nec odio nec gratia mouetur.*

*Aen. 6.*

vt inde nec odio moueretur, nec gratiâ, ac si videas contemnere ventos, saxa, rhodopes, aut ceu procellis obstet marpesia cautes. B

*Est cõtinuus in Dei laudibus.*

Vitam Deo suam sibique notam ita dispostierat; vt noctes atque dies, aut psallendo, aut legendo, aut rationalibus ex causis disputando, nisi cùm somno reficeretur aut cibo, in Dei laude continuaret.

*Omnibus conuenienter consulit.*

*Nec pretiosis, nec admodum vilibus vestibus vtitur.*

*Subijcit corpus disciplinæ & flagellis.*

*Media via incedit.*

Raró, aut nunquam aliquis eum consulturus accessit, qui non ætati & naturæ suæ congrua retulerit condimenta. Lacte potabat infirmos, cibabat pane validos. Vestibus, nec pretiosis, nec admodum vilibus vtebatur, satius ducens imperio potentis animi, quàm cilicij asperitate corporis membra domari. Certis diebus, nudato dorso, disciplinari virga flagellandum se præbebat, districtè contestans percussori, vt nec in feriendo parceret, nec secretum proderet. In tanto igitur virtutum culmine, studebat semper præcipuo dis- C cretionis speculo, mediocritatem tenere, viamque regiam inter læuum dextrumque mediam, vitæ suæ lucernâ, præmonstrabat incedendam.

*Reginardus episcopus moritur.*

*VVazo recusat episcopatum.*

*Eligit Nithardum custodem in episcopum.*

*VVazo 14. ãnis fuit præpositus*

Interea, pontifice Reginardo decedente, maxima pars filiorum ecclesiæ, in eius electionem vociferando consurgit: quorum ille vt à se amoueret intentionem, vehementer culpabat præsumptionem, dicens sibi magis, vtpote maioris ecclesiæ præposito, competere quòd ipsi iniuste nitebantur vsurpare, in electione pôtificis, primam se vocem ab antiquis legibus habere. Cumque huiusmodi pia inuectione, voces illorum suppressisset, Nithardum custodem, in episcopum elegit, electum nominauit, electionem eius, totius capituli consensu confirmauit, Imperialique potentia, simul & auctoritate D roborauit. Sic venerabilis præpositus, timens externis honoribus proficere, quibus interius morum ruina potuisset deficere; ei cui ante prælatus fuerat, gauisus est subesse, & per quatuordecim circiter annos, præscripto modo administrauit officium præpositurae.

Quod

A

## *Quod volente Conrado episcopus efficitur: & qualiter electus sit.*

### CAPVT XCII.

NOuissimè tandem, tantæ sublimitatis virum, in humilitatis suæ latebris esse noluit Dominus occultum: sed quem intra claustri vnius septa dederat esse perfectum, quasi in certaminis cāpum prodire iussit militem strenuum, vt tempore oportuno, laboranti populo esset solatio, & famis, belliquę tempestate, solus foret remedio periclitanti patriæ. *Nithardus moritur.*

B

Defuncto siquidem post annos quatuor Nithardo, à clero pariter & populo, in episcopum rapitur potius quam eligitur: quippè qui simili qua pridem cautela, ab ipso timebant illudi. Reluctatur ille totis viribus, obtentu diuinæ pietatis, misericordiam sibi impendi precatur. Sed nec renitentis exauditur sententia, nec precanti impenditur misericordia. Trahitur ad cathedram piâ coactus violentiâ: &, ne diutius verbis irretiar, mittitur Radisbonam electus noster cum conuenientibus ecclesiæ, simul & populi ciuitatis personis, & cum eo baculus pastoralis: vbi fortè Henricus, tunc Rex, postea Imperator, Boëmiam cum exercitu aggressurus aduenerat. *VVazo à clero & populo, potius rapitur in episcopum quam eligitur.* *Mittitur Radisbonam ad Henricum Regem pro confirmatione.*

C

Literæ deprecatoriæ Leodiensis ecclesiæ præsentantur: res in crastinum agenda differtur. Postero die, à Rege cogitur Concilium, cum episcopis & proceribus palatinis. Nec defuère maleuoli, qui electionem sine regio nutu factam, dicerent fore cassandam: ex capellanis potius aliquem, qui Regiam frequentassent curiam, debuisse eligi: Wazonem palatinis nunquam intendisse negotijs, idcircò rudem animo, & actibus incompositum: hactenus extitisse superioribus contumacem, inferioribus infestum: non expedire Regi, vt virum promoueat, quem possit aliquando reperire contra se obstinatum. Quorum hortatu facilè persuasus iuuenilis Regis animus, barbarum, nescio quem Leodiensibus intentabat præferre; *Praesentantur Regi literæ deprecatoriæ.* *Maleuoli quidam electionē sine regio nutu factam, cassare volunt.*

D

cùm subitò duo tantum ex illius Concilij tota concione, diuina inspiratione in bono mutati, Hermannus scilicet, archiepiscopus Coloniensis, & Bruno præsul Wirzeburgensis, sententiæ tam inutili, consilio saniori ausi sunt obuiare, nec prius à cœpto desistunt veritatis assertores inuicti, donec multâ laboris instantiâ, vix tandem Regiæ Majestati, electum nostrum conciliant, & procerum animos ad consentiendum sibi reducunt. Sed manet adhuc constantissimos adiutores nostros, labor longè operosior. *Opponunt se Hermannus archiepiscopus Coloniensis & Bruno præsul VVizeburgēsis.*

Nam, ac si de immanissimo monte columnam excidere conarentur: haud aliter insistunt elaborare, quatenus vir iste virtutis, imponi sibi consentiat onus ecclesiæ. Perstat fixum diu pectus illud pietatis in proposito humilitatis: sed iuxta Gregorium, *VVazo recusat episcopatum.*

*Perflat in humilitate, sed tandem vincitur pietate.*

*Accepitat episcopatum.*

profectò pectus pietatis esse non posset, quod pietas non vinceret. A
In hoc siquidem pietatis pectus vicit pietas, quòd ne alterius tyrannica barbarie depopularetur potius quàm regeretur Leodiensis prouincia; ad petitionem suorum, importabilis ferè ponderis, quod hactenus horruerat, maluit onus portandum subire, tandemque fieri consensit rector ecclesiæ.

*Consecratur Coloniæ solemni admodum ritu*

Igitur, cum suo comitatu Leodium regressus, vt decebat honorificè suscipitur, & in sedem episcopalem solemniter intronizatur. Regresso postea ab expeditione Coloniensi archiepiscopo; ipse, comitantibus diuersorum ordinum clericis, consecrationem suam expetiturus, Coloniæ se præsentat: quam post triduum, solemni admodum ritu consequutus est, & ex bono filio, in sponsum suæ matris assumptus. B

---

*Episcopus factus religiosè vixit.*

## CAPVT XCIII.

*Cuius posterior pars ab Aegidio addita est.*

*Esa 40.*

IAm verò explicari non potest quàm arduum sanctitatis montem euangelizaturus Syon arripuerit, quanta seruitute, spiritui corpus subegerit: imò, quanto annisu, totus in Dei laudem excreuerit. C

*Episcopus humilia peragit officia. Ipse Theologus maximus de Donati & Prisciani regulis interrogare nõ dedignatur.*

Abiectus secum, inter humiles & subiectos, episcopũ se esse nesciebat, singulorum explorãdo studia, scholas frequentabat, quæstiones proponendo, rationaliter vinci, quàm insolenter vincere, malebat. Et qui diuinæ legis arcana, excellentis ingenij prærogatiuâ, noscet rimari, de Donati vel Prisciani regulis scholares adolescentulos non dedignabatur interrogare: quos & vicissim desideranter cupiebat audire, eos qui rectè sensissent, laudibus efferre, tardiores increpare & corripere, superiorum exemplis, ad studendum prouocare. D

*Frequentat diuina & nocturna in choro officia.*

In diurnis etiam ac nocturnis officijs in choro celebrandis, ex cæteris fratribus nemo illi prior occurrebat, nemo deuotiùs intererat, nemo serior absedebat, nisi fortè contigisset, eum aliquando ecclesiasticis occupari negotijs.

*Magna vitæ austeritas.*

Quadragesimali tempore, vel à choro, vel ab aliquo fratrum contuentu separari nolebat, secretum cubiculi præter ecclesiam, penitùs ignorans, saxeo sedili pro lecto, matula vtens pro lectisternio, pane auenaceo cum faua modica prægustata, senilem sustentabat imbecillitatem, in potu sumens cereuisiam, sæpius aquam puram.

Additio

A *Additio Aegidij.*

In tanto abstinentiæ rigore, nec facies macie conficiebatur, nec roseæ conspersionis gratia imminuebatur, adeò *virum desideriorum*, Danielem videlicet nostrum, quem voluntas propria crucis instar affligebat, diuina pietas, interna dulcedine satiabat. *Abstinentiæ rigore non fit macilentior nec deformior Dan. 1.*

---

## *Qualiter fuerit largus tempore sterilitatis.*

## CAPVT XCIIII.

B PRimo statim sui episcopatus anno, cùm fames præualida cœpisset oriri, quæ per sex ferè continuos annos, Galliæ simul & Germaniæ noscitur populos oppressisse; huius nostri Ioseph industria, vndique frumenta congerens, tutis apothecis curabat recondere, vt oportuno tempore, esurienti Christi familiæ, fidelis dispensator, cibos posset distribuere. *Fames opprimit Galliam & Germaniam per sex annos. Gen. 42. VVaso recondit frumenta.*

Taceo de quotidiano pauperum stipendio, pro quibus, quotidie denariorum expendebatur libra: sed & de occultis egenis, quos verecundia, mendicare publicè non sinebat: quibus itidem pro vniuscuiusq; necessitate, & domesticæ curæ grauedine, frumenta per occultos nuntios mittebat: alij denos modios, alij vicenos, alij tricenos, C alij sexagenos, alij centenos. *Distribuit pauperibus pro vniuscuiusque necessitate.*

Sed & quorundam nobilium inopiæ, quos in regendis domorum suarum familiolis, dura famis necessitas, sua expendere coëgerat, excellentis viri non defuit largitas; ita vt prædia, domos, vel agros eorum distrahere, nulla coëgerit necessitas. *Succurrit nobilibus egētibus.*

Ruricolarum quoque suorũ pius pater, laboriosam non despexit inopiam: quibus, ne pro instante angustia boues vendere cogerentur, ideoque terra inculta relinqueretur, singulis in hebdomada, toto famis tempore, binos constituit dari denarios. *Suis quoque ruricolis.*

---

D

## *De bello & charitate Virdunensibus impensa.*

## CAPVT XCV.

SVccessit huic malo pestis alia æquè intolerabilis, bellum videlicet, quo Godefridus in Virdunensem grassari permissus est vrbem. Quam dum præualido vastans incendio, etiam genitricis Dei ecclesiam, & ornatu prius spoliasset, & postmodum funditus subuertisset; venerandus pontifex, dirutæ vrbi non distulit esse leuamini, & quinquaginta argenti libras, fratribus ecclesiæ occultè dirigens, in hæc verba donari mandauit. *Godefridus Virdunensem Vrbem, & ecclesiā incendio funditus subuertit. VVaso quinquaginta argēti libras mittit Virdunum in reparationem ecclesiæ.*

Ecclesia Leodiensis tantillum munus Virdunensi mittit ecclesiæ, A
vt pars dimidia canonicis æquè dispartiatur, pars residua ad reparationem ecclesiæ reseruetur. Hoc primum in sua destructione Virdunenses canonici percepêre remedium: ideò, ne largitori essent ingrati, generales de cætero orationes, tàm viuenti quàm defuncto, in sua ecclesia fieri decreuerunt.

*Pro VVazone viuente & defuncto instituũtur preces Virduni.*

---

## *Quod belli tempestatem maxima ex parte sedauerit.*

B

## CAPVT XCVI.

HAc itaque bellorum tempestate, inclitâ periclitante Lotharingiâ; nouum Iosuæ Dominus, ecclesiæ videlicet Leodiensis præsulem, ad resistendum hostibus, suo spiritu animauit, & ad defensandas iustitiæ partes aduersus factiosos, destinauit,

*Periclitatur Lotharingia.*

Iam immanissimi prædones de bonis ecclesiæ Leodiensis multa inuaserant: iam regionem circumquaque quampluribus cladibus oppresserant: iam prædia ecclesiastica in perpetuum tenenda sibi vsurpauerant; cùm ecce, Christi bellator inexpugnabilis, loricâ iustitiæ munitur, gladio spirituali accingitur, cruce Christi præuia in periculis, pro lancea vtitur. C

Succēditur ergò egregius æmulator pietatis & iustitiæ, eo nimirũ zelo, quo Mathatias, ob æmulationem paternæ legis, præuaricantem Iudæum, in ipsis aris obtruncare non abhorruit: & cessantibus vndique ducum & comitum armis, sola virtute gratiæ cœlestis adiutus; sibi & ecclesiæ, paucos satellites sacramento confirmat. Primi siquidem bellorum successus, & ad modicum prosperantes, multos militum nostrorum, in aduersam partem rapuerant, frustra arbitratos esse, si se noui flagitij complices esse contingeret, per vim beneficij, imò totius episcopij, pro libitu potituros. Sed cùm res illis in contrarium cesserit, nos propugnatoris nostri industriam prosequamur. D

*VVazo aduersus prædones zelo pietatis & iustitiæ, succēditur. 1. Mach. 2.*

Vrbem, pro tempore & loco munitam, per statutos in arce vigiles, & claustra portarum iugiter obserata die noctuque, ab incursu hostium tutam reddidit: domos tam clericorum quàm laicorum, armis refertas esse: ciues nonnunquam in armis esse, præcepit: ipseque assiduus exhortationi, & solitæ intentus religioni, per gnaros indices, hostium machinamenta explorabat, contra quæ omnia, se suosque, scuto prudentiæ satagebat protegere. Instar nimirum argi, ita si fabulosis licet vti exemplis, oculatis artubus, exteriora mala prouidè coërcebat, bonis interioribus inuigilabat. In quo solo erat cernere animum diuisum ad plura, nec tamen apparere minorem ad singula, sed integrum semper & potentem ad omnia. Et cùm ab amicis,

*VVazonis industria.*

*Animus ad plura diuisus nec minor ad singula.*

A cis, etiam longè positis, per epistolas moneretur, quatenus relicta ciuitate, munitissimo Hoyensis castri loco se conferret; charitatis erga filios catenâ deuinctus, ab eorum diuelli consortio non poterat.

*Monetur castrum Hoyense ingredi, sed amore ciuium Leodij manet.*

## *Quod castella prædonum euerterit.*

## CAPVT. XCVII.

B Sed cùm tādem ruricolarum miserabilis emergeret querimonia, quòd non solùm terras eorum, sed & ecclesiarum, seu militum conquirerent sibi prædia, vt post totius terræ desolationem, facilius aggredi possent ciuitatis mœnia, etiam ad materialia fugere cōpulsus est arma.

*Armatur contra prædones.*

Fecerant siquidem in paludibus & in altis rupibus, firmissima sibi receptacula: quibus freti, aliena circunquaque prædia subtraxerant, incolas possessionibus priuatos, miserabili seruituti addixerant, & in omnem circa regionem, intolerabili vastitate sæuiebant. Hæc omnia castellula, ab antiquis quidem diebus compatriotis infesta, sed nunc amplius multò damnosa, propugnator fortis aggreditur, impugnare, armatoque sibi iuncto milite, nunc illud sigillatim, nunc
C istud cingere pergit obsidione.

*Castella à prædonibus capta obsidet.*

At interiores latrunculi, paludibus & locorum angustijs confisi, metum quidem primò dissimulare, periculum contemnere, obsessoribus probris insultantes, stultissimo dicebant eos illudi labore, qui domos naturali situ munitas, venissent impugnare. Obsessores è contra, sui ducis monitis instigati, vimineas certatim crates contexunt: alij fasces ex virgulis comportantes, per inuia, machinis nouum iter conficiunt: sicque rem naturâ difficilem, deuicit in breui laboris improbitas cum industria: fit solum, palus ranis ac reptilibus assueta, portatque exitialem latrunculis machinam, quibus tutas præbuerat hactenus latebras. Quæ vbi eo loci appulsa est, vnde
D certis ictibus illa latronum spelunca posset feriri: dies atque noctes, sine interstitio æquè aduersas, habuêre scelerati prædones, dum succedentes sibi vicissim ad laborem nostri, creberrimis saxorum nimbis, atria, domos, omnes prorsus intestinas hostium latebras, quassare non cessant.

Quid plura? Godefrido frustra nitente ad auxilium suis venire, obsessi de vita & membris paciscuntur, castellum captum funditùs euertitur. Inde aliud atque aliud castellum impetentes, simili strage demoliuntur.

*Obsessi paciscuntur. Castella capiuntur & euertuntur.*

ANNOTATIONES.

Oculatis artubus. ] *Ita legunt codices Aureæ vallis, & Cruciferorum, & Groesbekanus,* artubus: *Capucinorum legit,* artibus.

### *De gratia huic homini collata.*

## CAPVT XCVIII.

*Quam discreta vicissitudine vtitur gratijs sibi à Deo collatis.*

LIbet in hoc homine, diuisiones gratiarum à Deo sibi impensarum intueri, quas adeò discreta studiorum vicissitudine nitebatur administrare, vt cùm vni intẽtus esset negotio, alijs itidem obnoxius nisi sciretur, nullo modo crederetur.

Nam si episcopum respicio; videor mihi videre supparem Gregorio. Si militaria agentem; non imparem contemplor esse Machabeo. B Hunc in sapientia Salomonem, in disputando accipio Augustinum. Continentiæ & vigiliarum asperitate, pauper spiritu, quendam sanctorum Anachoritarum repræsentabat. Necessitate magis quàm voluntate, sic agebat ea quæ sunt sæculi, vt omnimodò caueret displicere Creatori.

*In tot virtutũ officijs causatur desidiosam & inutilem suam canitiem. Iob 7. Psalm. 41. Philip. 1. Obijcit se cateruis hostium solam crucem manibus præferens. Manifestum diuinæ subuẽtionis inditium.*

Suam quoque creberrimis suspirijs, causabatur desidiosam & inutilem nimis esse canitiem, sentiens cum beato Iob, *tentationem esse vitam hominis super terram.* Vnde & familiare habebat psallere cum beato Dauid: *quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* Desiderium quippè habens *dissolui, & cum Christo esse*, corporalem hanc vitam in tãtùm fastidiebat, vt quotiescunque pro tuitione suorum, tyrannicis obuiaret insidijs, quamuis armatorũ fortissimis vallaretur cateruis; C solam crucem manibus præferens, hostium furentium se atrocitati ingereret, &, si voluntas Dei foret, pro tuendis ouibus occumbere gauderet.

Sed, vt omissa repetamus; tanta nostri propugnatoris virtute, externa aduersariorum paulatim defecit insania. Et audi manifestum diuinæ subuentionis inditium. Vt enim ex ipsorum relatione postea patuit, quoties efferatis animis in nostros durius grassari voluissent, directis in vrbem aspectibus; mox vt sanctorum oratoria conspexissent, mentis subitò mutatione confracti, lachrymari potius quàm malum inferre libebat. Vnde contigit, vt qui pro rapiendis alienis venerant, suorum corporum incolumitate gratanter retenta, cum rerum propriarum detrimento, redirent ad sua. D

### *Quod Imperatori iniustè suspectus fuerit.*

## CAPVT XCIX.

POst hoc, aliud, dissimile tamen, huic viro venerabili cõtigit incõmodũ; quòd scilicet apud Imperatorem Henricũ, à malignis delatus

A delatus sit, cum præfato Godefrido contra Imperatoriam conspirasse Majestatem, & occulto iuramento, belligerandi dedisse confidentiam.

Sed quàm fuerint hæc à veritate aliena, probant alia facta eius venerabilia. Sed quia difficile est, vt mentis oculus, hinc varijs dispensandæ Reipublicæ curis, hinc mille adulantium linguis distractus, à veritatis luce non caliget: persuasum est Imperatori à deferentibus, quòd in his quæ fideliter episcopus gesserat, non communis commodi, seu Imperatoriæ fœlicitatis gratiæ; sed ex contentionis vsu, propriæ inseruierit arrogantiæ. Accessit ad suspitionem, libera sacerdotis auctoritas, quæ à veritatis tramite declinare non nouerat, B quæ pro veritate agendo, cuiuscumque nullam timuerit incurrere offensam: & inde potissimùm Imperiali deseruierit iniuriæ, quòd super ecclesiasticis ordinibus, episcoporum causas, nequaquam illi, vtpotè laico, sed summo pontifici iudicasset assignandas.

*Oculus mentis varijs Reipublicæ curis & adulantium linguis distractus, facilè à veritatis luce caligat.*

*VVazo quare suspectus Imperatori.*

---

## *Quid in causa Rauennatis episcopi senserit.*

## CAPVT C.

C CAnonicus quidam Coloniensis, genere clarus, Wigerus nomine, Rauennates archiepiscopus ab ipso Imperatore Henrico constitutus, ante consecrationem suam, iam per biennium, in ornatu archiepiscopali, missales celebrauerat exequias. Qua de re citatus ad palatium ab Imperatore, quòd insipienter egisset impetititur. Ille verbis vtens excusatorijs, ignoranter se deliquisse fatetur.

*Rauennates episcopus citatur ad Imperatorem.*

Consuluntur super hoc episcopi præsentes: quibusdam ad voluntatem Imperatoris iudicantibus, quibusdam verò hæsitantibus. Cõsulitur tandem Leodiensis episcopus, & respondere cunctanti quid D super hoc agendum censeat edicere, districtâ obedientiâ imperatur. Ita coactus respondere: in sæcularibus (inquit) negotijs, Imperiali Excellentiæ debemus fidelitatem: in ecclesiasticis verò excessibus, Apostolicam tantum præstolari debemus ordinationem: ideoque quod iste contra ecclesiasticum ordinem deliquit, Apostolicâ tantũ censurâ discutiendum, iudico: sin autem in sæcularibus à vobis illi creditis, repræhensibiliter gesserit; vestro debere stare iudicio.

*Causa eius ab episcopis variè discutitur.*

*VVazo liberè veritatem profitetur.*

Consentientibus huic sententiæ cæteris episcopis; Imperialis ille discussionis iudicium prorsus euasisset, si non vltrò baculum pastoralem, cum annulo reddidisset.

*Qualiter*

### *Qualiter à comitiſſa montis caſtrorum tentatus fuerit.*

## CAPVT CI.

DVo quædam præterea hic eſſe cenſeo referenda, in quibus diſſimiliter eſt iuſtitia viri Dei comprobata: nam in altero quidem, quaſi pro Imperatore fideliter acturus, vt contra Deum & Chriſtianam religionem nequiter ageret, eſt prouocatus: in altero autem, licet aliquantulum ab ipſo Imperatore læſus extiterit, ipſi tamen probatus eſt fuiſſe fidiſſimus. B

Contigit aliquando Hermannum Montis (qui caſtrorum locus dicitur) comitem, cum Balduino Flandrenſi, iure iurando fœdus inire; cuius vxor, magis ex animi muliebris inſtabilitate, quàm iuſtarum partium ducta fauore, ſimulata virum ſuum à periurio velle ſoluere, re autem vera ſe eiuſdē mariti ſui proditione polluere, Dei ſacerdotem huius ſceleris conſenſu conata eſt maculare: mandans ei per nuntium, quod ſi Imperatori gratus eſſe velit, cum armatis veniat: locum & tempus, vbi & quando maritum eidem Imperatori præſentandum capiat, ſollicitè perquirat. Attonitus ille tanti facinoris nouitate: hactenus (inquit) nec fama, nec lectione compertū habuimus, vxorem aliquando maritum prodidiſſe. Ita vir Domini, ſpecie virtutis palliatam, linceis prudentiæ proſpiciens oculis nequitiam, virus lætiferum, quod per conſuetum ſuæ fraudis vaſculum malignus hoſtis propinare parabat; mellifluo affatim ſapientiæ condimento, ore conſtanter amouit. C

*Inauditum mulieris facinus.*

*Magna VVazonis prudētia*

Nimirum, pugilem ſuum Dominus hoſtes mutare, & per duros certaminū labores, virile pugnatoris robur ſpectatoribus exponere voluit, dum multiformes antiqui illius ſerpentis facies, tantò durius calcaneo eius inſidiari permiſit, quātò ipſe impotentior hactenus, caput dānabile bellatoris huius, pedibus ex diuino auxilio ſubdiderat. D

*Gen. 3.*

### *Quod ſollicitatus ſit per literas, vt Imperatori reſiſteret.*

## CAPVT CII.

ALio itidem tempore, cùm offenſum ei Imperatoris animum, fama diſperſiſſet in populos; occultè viro venerabili, neſcitur à quo, directę ſunt literæ: quarum pronunciabat ſeries, præſentium directorem, eius pauori multùm cōdolere, ab inſtanti guerrarum pondere, vehementer ei metuere, vtili conſilio vehementer

eum

A eum indigere: idcircò, pro antiqua communi amicitia, non negligendum ei præbere consilium, quatenus armatorum cętum, in vrbis suę & oppidorum reliquorum munitionibus recipiat, & de multis iniurijs, sibi ab ipso Imperatore illatis, per ipsos sufficienter vlcisci debeat. *Consilium prauum vt vindicet se de iniurijs ab Imperatore acceptis.*

Ille ad hæc faciem dirigens ad suos, hilari facie subridens: quid (inquit) vos datis consilij, vel quid confertis auxilij? Ecce multa mihi suppetit belligerandi facultas. Nunquid & vobis insistentibus, dominum meum impugnare aggrediar? Cumque vnus ex secretioribus eius confabulatoribus, ex ausu familiaritatis suggessisset, canos eius ad id ætatis à primis adolescentiæ annis, sine querela perductos, B nequaquam ad hoc deuolui oportere, vt iam sub ipso vitæ termino, talibus applicaret animum consilijs: nemo (inquit) aliud mihi quàm quod suades, animo esse credat. Domino Imperatori semper & vbique fidelem me fore promitto, & quomodocunque tracter ab eo; eius tamen vtilitatibus & commodo deseruire, quantum iustitia exegerit, non cunctabor. *Wazo probos habet consiliarios.* *Wazo semper fidelis Imperatori.*

Quæ cùm ita sint, sileat cum Iudæis Christo derogantibus, improba detrahentium Wazoni lingua, mireturque cum bonis, neminem nostri temporis episcopum, in sancta religione vigilàtius desudâsse, neminem ducem, marchionem, comitem, pro Romani Imperij fidelitate, pro patrię salute studiosiùs decertâsse.

C

---

*Quod Regem Francorum ne Aquisgranum inuaderet, per literas absterruerit.*

## CAPVT CIII.

SEd ecce, dum breuitati studens, materiei succumbere timui, multa dicenda præteriui, ex quibus est vnum, quod multis arbitror esse cognitum.

Rex Alemannorum Henricus, necdum Imperator effectus, ad D perquirẽdum sibi ex more cum apostolica benedictione Imperium, Romam profectus fuerat, totius ferè Germaniæ & Alemanniæ ducum vel comitum, cæterorumque nobilium robore comitatus. Interea, videntes Franci totius patriæ robur hac occasione fuisse imminutum, suæ cupiditatis explendæ tempus oportunum nacti se reperisse, Regi suo suggerunt Aquense oppidum quondam sui iuris extitisse: in requirendo nullam difficultatem modò prępedire: Regem & principes, cum omni ferè militia abesse: superstites vniuersos nil contra moliri posse; idcircò in perficiendo instanter negotio, nulla tardare debeat dilatione. *Rex Henricus maximo nobilium Germaniæ comitatu Romam proficiscitur.* *Franci occasionem nacti, armant se vt oppidum Aquense inuadant.*

Protinus ad Regis iussum, principum coguntur Concilia, proponuntur edicta, proceres præparantur, exercitus vndiq; contrahuntur, potentes armantur, tota postremò Francia commouetur.

*VVazo quod non potest viribus, ingenio & ratione per literas obuiam vadit.*

Pauet, audito patriæ periculo, sancti patris sollicitudo; cui, quia per vim resistendi copia non fuit, ingenio potius & ratione obuiandum fore intellexit. Mittuntur ad Regem supplices ab eo literæ, antiquas vtriusque regni commendantes concordias, memorantes regum ad inuicem amicitias: duo hæc regna, si sibi fuerint inuicem pacata, cunctis terrarum nationibus formidanda; proinde pacem communem necessariam fore: concordiâ res augeri minimas, dissensiones verò dilabi maximas. A

*Rex Galliæ despicit literas VVazonis.*

Despiciuntur à superbo Rege, beati antistitis literæ; Rex Lotaringus accusatur perfidię: regnum & palatium, ab antecessoribus hæreditario iure sibi debitum, velle die præfixo vindicare.

*Secūdo scribit sed mordacius in hæc verba.*

Contemptus itaque supplicans humiliter episcopus, denuò mittit epistolas, scribens mordacius in hæc verba: complaceat tibi, omniū principum inuictissime, mutare propositum iniustum cōsilio saniore: quoniam indignum valde est regali excellentiæ, seipsum, cum sua deinceps posteritate, improperij sempiterni contagio maculare, si fortè contingat Regem Franciæ, more furis, alienam domum latenter suffodientis, vt spolia non sua sibi præripiat, longè absentis comparis sedem & regnum velle furari. Quin potius, si quid fortiter, si quid potenter contra nos agere disponis; quatenus id decentius fiat, expectetur reditus regis nostri, vt honorabilius quod tibi competere dicis, exquiras in eius præsentia, quod inhonestius præripere gestis in eius absentia. Sin autem id quod mente concepisti, persistis explere, eos qui tibi obsistant, scias omninò non defore: quin potius omne Moguntinorū, Coloniensiū, Leodiensiū, aliarūq; multarū vrbium robur, ad repugnandum noueris occurrere. Heu, heu, quot hominum millia, congredientibus hinc inde partibus, crudelissima strage cōtinget occumbere! quot animas æterna morte certum est interire! Quis horum omnium, seu animarum, seu corporum reus habeatur, à tua prudentia iudicetur. Certissimè siquidem ipse nosti, quòd si imminentis cladis auctor & causa fueris; vniuersorum tàm corporum quàm animarum sanguis, & perditio, in te redundabit. Qua de re, princeps gloriose, terreat te iudiciorum Dei iusta seueritas; &, ne in articulo tuæ mortis, à iusto iudice immisericorditer iudiceris, procul à corde tuo, pellatur tanti sceleris immanitas. Neque enim populorum expedit rectori, vt militari superintendat leuitati; sed religiosorum potius pontificum vel abbatum, quorum tibi sæpissimè præsto est venerabilis frequentia, melius acquiesceres consilio saniori. B C D

*Rex Galliæ sanam amplectitur VVazonis consilium.*

Quâ sententiâ præsulis auditâ, tyrannica rabies confestim est sedata, & subitò Rex mente mutatus, episcoporum iubet adesse cœtum, epistolam sancti patris, mandat coram recitari. Post recitationem verò, tanti viri laudibus effert prudentiam, nec minore admiratione laudat charitatem: hunc rectè dici sacerdotem: hunc meritò vocari pontificem, qui sibi, licet incognitus extraneo, ta-

*Mirè commendat VVazonem*

men.

men præ cunctis etiam sibi adhærentibus, dedisset salubre consi-
A lium.

Nesciens fortassis Rex iste, imitatus est Imperatorem Theodosiũ, qui publicè arguentem se & excommunicantem, beatum reuerebatur Ambrosium: cui etiam exhibendæ amplioris reuerentiæ, reperit occasionem ex ipsa sua contumelia, regia dignitate sublimior nobilissima cordis humilitas.

Ita certè facinus, ad quod multa satellitum millia rapinis inhiantium, fluctuantem impellebant Regis animum, vnius hominis longè positi literæ, Deo inspirante, dissuadere potuerunt. Quæ eò vsque pacis amorem in ipsius reformauerunt pectore, vt nil vltra tale concipiens, Imperatori mox ex Italia reuerso, in reliquũ dexteram cum
B sacramento dederit & receperit.

*Pax inter Regem Galliæ & Imperatorem.*

---

*Episcopus Catalaunensis eum per literas consulit, quid de hæreticis censeat agendum.*

## CAPVT CIIII.

NEc silendum puto, quod apostolica dignitas præsulem nostrũ, crebra literarum visitatione dignata est honorare: quas ille reuerenter excipiens, si quæ forte per easdem interrogaretur,
C humiliter respondebat.

*Summus Pontifex crebro VVazoni scribit.*

Diuersi etiam, pro diuersis causis, egregium hunc symmistam sapientiæ, consulendum frequentabant episcopi per epistolas, quibus ipse continuò singulis super inquisitis, congrua responsione satisfaciebat.

*Episcopi per literas eum consulunt.*

E quibus Catalaunensis episcopus, pro periclitantibus quibusdam suæ diœcesis hominibus, eum cōsulere necesse habuit, significans ei per literas, rusticos quoddam Manichæorum dogma sectates, furtiua sibi frequentare conuenticula, obscœna, nescio quæ, sua quadam solemnitate actitãtes, & per sacrilegam manuum suarum impositionem, dari Spiritum sanctum mentientes, & hæresiarcham suum Ma-
D nen, ipsum Spiritum sanctum esse, falsissime dogmatizantes. Hi, tales quos possent, in suam cogebant transferri insaniam, nuptias abhominantes, esum carnium deuitantes. Si quos verò idiotas & infacundos huius erroris sectatoribus adiungi contingeret; etiam loquacissimos catholicæ fidei viros in verbis superare constabat in breui.

*Catalaunensis episcopus consulit VVazonẽ an materiali gladio procedere debeat cõtra hæreticos. Describuntur hæreses Manichæorum.*

Quid igitur de talibus esset agendum, an materiali gladio sit in eis vindicandum, consultus episcopus, rescribens tale dedit responsum.

Qq2 Responsio

## *Responsio eius super hoc: & de hæreticis non interficiendis.*

### CAPVT CV.

*Manichæorum error luculenter à SS. patribus est confutatus.*

DE quibus mihi scripsistis, eorum quidem error manifestus, à sanctis patribus dudum est ventilatus, & luculentissimis eorũ sententijs confutatus.

*Manichæi male intelligunt præceptum Non occides. Exod. 20.*

Sed, vt omittamus insanissimas, quibus de Spiritu sancto sibi mentiuntur blasphemias; notet dilectio vestra, quantis se rerũ importunitatibus implicare studeant, male intellecto Domini præcepto, quo in veteri lege dicitur: *Ne occidas.* In quo, nisi solam hominis occisionem prohibitam esse intellexerint; simili modo vsum eorũ, quibus se licitè vesci existimant, qualia sunt, frumentum, legumina, & vinum, sibi videant interdictum: quæ vt essent, ex traditis terræ seminibus, sua viuendi specie coaluerunt: & nisi à suæ viriditatis vita interfecta fuissent, humanis vsibus seruire nequirent. Vnde dicit Dominus in euangelio: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Sic & Apostolus: *quod seminas* (inquit) *non viuificatur, nisi prius moriatur.* Necessariò igitur confitebuntur vixisse, quæ accidentibus ex causis constat interisse. Eligant ergò quod voluerint, aut cum catholicis de solo homine scriptum esse credant, *Non occides:* & nobiscum mactandarum pecudum copiâ licitè vtantur: aut si hãc refutare voluerint, etiam panis ac leguminum semina ne occidant, iactare prohibeantur.

*VVaso conuincit eorum errorem euidenti argumento. Ioan. 12. 1. Cor. 15.*

B

C

*De tolerandis hæreticis VVasonis opinio.*

*Math. 13.*

Sed licet hæc prorsus abhorreat christiana religio, quodammodo tamen iubemur tolerare tales, saluatoris exemplo, qui mitis & humilis corde, non venit animas perdere, sed peccatores iustificare. Et parabolã proponẽs zizaniorũ, nequaquã iudicauit zizania in herbis eradicanda, sed vsque ad messem esse toleranda. Cur hoc? Ne fortè in collectione zizaniorum contigisset eradicari simul & triticum: etsi enim zizania nequam sunt filij, præstante Dei gratiâ, ante tempus messis in bono possunt mutari. Huius, profectò magni patris familias seruum vos esse, ardens in pectore vestro pro animabus Diabolica fraude deceptis, spiritualis zeli feruor indicat; quo, ne à malis boni corrumpantur, iudicij sarculo, triticeam segetem, zizanijs purgare quæritis. Quod tamen ne à vobis ante tempus fieri debeat, diuinæ potius est obediendum sententiæ, ne, dum iustitiam in puniẽdis præuaricatoribus nos exercere putamus, ex impietate, speciè seueritatis velata, ei præiudicium faciamus: qui non vult mortem peccatorum, nec lætatur in perditione morientium, sed per patientiam nouit peccatores ad pœnitentiam reducere; quia aliquos eorũ, quos mundi huius ager zizania habet, messis illa forsitan triticum inueniet:

D

*Ezech. 18.*

A inueniet: & quos in via Dei nunc aduersarios habemus, possibile omnipotenti Deo est, in illa cœlesti patria, nobis facere etiam superiores.

Hæc autem dicimus, non quòd hæreticorum pertinaciam tutari velimus; sed quia hoc in diuinis legibus nusquam sancitum nouerimus.

Hæc vir Domini tantoperè studebat inculcare, vt præcipitẽ Francigenarum rabiem, à crudelitate refrænaret: audierat enim eos solo pallore notare hæreticos, quasi quos pallere constaret, hæreticos esse certum esset: sicque per errorem, simul & furorem, dum hæreticos punire voluissent, etiam catholicorum multos sæpissimè B trucidassent.

*Galli ex pallore indicabant quem esse hæreticum.*

---

*De eligendo Papa quid sibi videatur, per nuntium Imperatori respondet.*

## CAPVT CVI.

C Contigit post hæc, vt in obitu Papæ Clementis, ex episcopo Bauenbergensi in apostolica sede sublimati, Imperator de subrogando illi alio, consilium eius expeteret.

Ille autem, vt erat in omnibus, & in talibus maximè, scrutator studiosissimus; vigilanter cum alijs, quibus laboris huius partes expetierat, hinc gesta Romanorum Pontificum, hinc eorum decreta, hinc authenticos canones diligenter reuoluens, nihil aliud, quàm summum pontificem, cuiuscunque vitæ fuerit, summo honore debere attolli; à nemine prorsus debere iudicari, nullius inferioris gradus accusationem, aduersus superiorem debere recipi, inuenire potuit.

*Consultus ab Imperatore, quàm vigilanter scrutetur quid respondeat.*

*Summus pontifex cuiuscunque vitæ fuerit summo honore extolli debet.*

Et quoniam in hac electione agendà, natalis Dominici dies fuerat constituta; audacissimus puræ veritatis assertor, responsalem suum, D cum suis literis illò transmisit, hæc continentibus.

Recogitet Serenitas vestra, domine mi, ne fortè sedes summi põtificis, iniustè à quibus non debuit depositi, ipsi diuinitus sit reseruata, cùm is quem vice eius intronizastis, vitâ decedens, priori adhuc superstiti restituendam reliquerit. Et quoniam vobis complacuit nostram super his efflagitare sententiam, liceat, quæso, pace vestra, omnium ecclesiasticorum doctorum sententijs instructo, proferre quod iustius esse perspexero. Cum enim Iudæ traditoris loco, legamus Apostolos, absque vlla sæculari potentia, Mathiam Apostolũ ordinâsse; credimus hoc exemplo, per ecclesiasticos ministros, absq; potentia sæculari, electiones & promotiones Apostolicorum fieri debere.

*Responsio VVazonis.*

*Act. 1.*

*Electiones ecclesiasticorum ministrorum absque sæculari potentia fieri debent.*

Sed & hoc liceat audacter protestari, electionem apostolicam, seu pro- A
motionem ecclesiastico ritu legitimè celebratam, ordinatione diuina constare muniri. Quapropter, vt vestræ saluti, pariter & honestati congruum vobis præbeamus consilium; desinat Sublimitas vestra, huic qui superstes est, alium superordinare pontificem, ne repugnare videamini ordinationi diuinæ: quia contestantibus tam diuinis legibus quàm ecclesiasticis decretis, à nemine, nisi à solo Deo, iudicari debet Petri Vicarius.

*A nemine, nisi à solo Deo debet iudicari Christi Vicarius.*

Proficiscitur itaque responsalis ad Curiam Imperatoris, cum episcopalibus literis, & inuenit Poponem Brixionensem episcopum iam in summum pontificem electum, quem postea Romani Damasum appellauerunt. B

*Popo Brixionensis episcopus electus in Summum Pontificem.*

Incertus ad hæc ille quid faceret, Imperatorem simul cum nouo electo exasperare metuens, accessit tamen, & episcopi Leodiensis se responsalem esse depromens, quædam, vt nouerat, quàm facetè profert Imperatori mandamina. Post quæ omnia: adhuc, inquit, vnum superest, quod dominus vobis intimari mandauit episcopus: sed quia iam re peracta, nulla de cætero superest causa loquendi, reliquũ pandere vobis reor esse superfluũ. Tum ille curiosius insistẽs, à legato illo multum excusante, rem propensius nititur extorquere. Respõsalis autem ex industria moras redimere, & quasi inde diuerticula quærere, & tacitè quodammodo virum potentem prius irretire nitebatur, vt sicut bene nouerat, rerum anticipatione, si qua subinde in corde suboriri posset, frangeret iram. C

Quid plura? Spondet Rex, quicquid ille nuntiaret, pacato se animo suscepturum; & sic tandem, quæ iussus fuerat nuntius, exequitur: quæ quantò vera, tantò forsitan homini voluntatem suam iuxta potentiam metientis, essent odiosa, si prælibatæ pactionis præoccupatio, non obstitisset.

*Tandem certa lege responsio VVazonis indicatur Imperatori.*

---

### *Insimulatus ab Imperatore quid fecerit, quidue responderit.*

## CAPVT CVII. D

Alio quodam tempore, cùm edictum fuisset, vt gens Frisonum, quæ Duce Theodorico Imperatori repugnabat, bello nauali vndique impeteretur, episcopus, paterno affectu timens militiæ, huiusmodi prælijs necdum assuetæ, ne hostium illuderentur insidijs, ne tantis periculis se vel suos exponeret, residendi consilium habuit.

*Mandat Imperator gentem Frisonum armis impeti. VVazo non iudicat expedire.*

Itur in Frisiam, & reditur ab exercitu naualibus bellis instructo, cùm non multò post, pontifex ad colloquium accersitur, transgres-

sionis

A sionis Imperatorij edicti arguitur. Sed cùm se purgaturus, quod non contẽptus vel obstinationis typho peccâsset, satisfacere paratus fuisset; negatâ sibi excusandi copiâ, succlamante hinc Regiæ partis adulatorum fremitu, hinc episcoporum adhortante cœtu, soli in tanto turbine depræhenso, diutius reniti Imperiali potentiæ, nequaquam constantia fuit. Tandemque, quia potentis indignatio non aliter visa est posse leniri, ad pedes eius acquieuit incuruari, & quasi pro culpis redimendis, quæ non erant, trecentas argenti libras coactus est polliceri: quod tamen, omni postea vitæ suæ tempore, pœnituit eum fecisse. *Accersitur tanquam violator edicti Imperatorij.* *Procidit ad pedes Imperatoris & trecētas argenti libras pollicetur*

Et licet Imperator postea placatus, omnia illi cum gratia donauerit; B semper tamen in se redarguebat, cur talis culpæ suspicionem constantissimè, etiam vsque ad sanguinis effusionem, à se non remouisset. *Toto vitæ tempore pœnituit fecisse.*

Sed licet episcoporum consilijs obtemperans, in hac parte quodammodo succubuisse videretur; sacerdotalis tamen reminiscens auctoritatis, principisque bestialem stoliditatem publicè feriens: hactenus (inquit) tecum disceptanti, nullam mihi iam senio confecto sedendi copiam indulsistis; quiescente tandem tumultuantium fragore insano, saltem nunc Maiestas vestra cōcedat, imbecillia membra quiete modica recreari. Nam etsi Wazonis persona forsitan indigna est honorari; C sacerdotalis tamen gratia, per inunctionem sacri chrismatis à Deo mihi collata, non deberet inter populares turbas tam inhoneste fatigari. *Publicè arguit principis stoliditatem.*

Ad hæc Imperator indignantis typho respondens: similiter (ait) & ego oleo sacro, datâ mihi præ cæteris imperandi potestate, sum perunctus. At venerabilis præsul, iustitiæ tactus feruore, superbientem Regem paucis corripuit: hactenus (inquiens) vobis incognitum puto, quia quantùm vita est morte præstantior, tantùm nostra est inunctio à vestra inunctione præstantior: vobis siquidem criminosos alligandi, & eorum corpora perimendi reuera est collata potestas; nobis peccatores absoluendi, & eorum animas, ab æterna morte resuscitandi, concessa est dignitas. *Differentia inter potestatem episcopi & Imperatoris.*

D Talibus fluctuantis mundi iactatus procellis, peritus nauta, nauim suam odoris virtutum pomis refertam, ad innocentis vitæ reflexit portum, & fortis in aduersis, humilis in prosperis, sicut sæculi lenocinijs nequiuit frangi, sic nec terroribus valuit concuti. *Wazo fortis in aduersis, humilis in prosperis.*

Quales

A

### *Quales prabendarios constituerit: & de impendijs ab eodem ad ædificia datis: & vitæ eius perfectione.*

## CAPVT CVIII.

REgressus igitur tandem ad sancti martyris Lamberti ecclesiam pastor bonus, ad æterna pascua dominicas oues agere contendebat, & in huius interim vitæ via, multis difficultatum B asperitatibus consita, tota cordis intentione, *quod in eis confractum fuerat, alligabat, quod infirmum, consolidabat, quod firmum & forte, custodiebat.*

*Ezech. 34.*

*Quindecim prabendas adijcit ecclesiæ S. Bartholomei.*

Ecclesiæ sanctæ Crucis in Leodio, quindecim canonicos adauxit: ecclesiæ beati Bartholomæi, decem nihilominus suppleuit, quibus etiam victualia sufficienter, ex bonis sibi competentibus, in perpetuũ prouidit, summoperè efflagitans, vt religiosis moribus ornati, Deo seruitium deuotè reddant, & per sanctæ conuersationis studiũ, ei omnimodis placere contendant.

*Exemplo VVazonis multi ad meliora studia conuertuntur.*

Talibus pietatis eius beneficijs, ad amorem studij accenduntur plurimi, multosque vidimus à reprobis moribus, ad meliora studia conuersos: vnde & à tanto largitore, canonicam eos ecclesiæ stipem, constat esse consequutos. C

*Opem fert ædificantibus.*

*Auctor ædificans accipit à VVasone octo libras.*

Iam verò, si cui ex clero, aut ex vulgari populo, ædificia struere incumberet; largitor hilaris, sufficienti munere, cooperatorem se laboris esse volebat: ita quoque, vt me, seruulorum eius exiguum, in simili opere occupatum, octo librarum profitear ab eo meruisse beneficium.

*VVaso nudis pedibus in frigore & pluuia visitat ecclesias & SS. patrocinia implorat.*

*Exquisitiores cibos dat pauperibus.*

Et, vt aliqua de beati huius perfectione commemorem, certis in hebdomada ferijs, & maximè ieiuniorum diebus, nullâ, seu frigoris, seu pluuiarum præpeditus molestiâ, ex consuetudine, Sanctorum patrocinia nudipes circuibat, pauperum quos in via contigisset occurrere, multis eleemosinis releuans inopiam. Refectionis autem D horâ, quæcumque parata essent, ac si epulaturo pulmenta, cum exquisitioribus cibis omnia pauperum alimentis insumebantur. Sicque manus eleemosinarum, cum ieiunij votiua castigatione, charitatis igne concremata, ad cœlos orationum, leuabat aromata.

*Abstinentiâ & vigilijs studet se irreprehensibilem exhibere.*

*Nullum tempus, sibi aut suis ab opere vacuum esse patitur.*

Quotidianam sanè conuersationem suam, perseuerantiâ & temperamento iugis abstinentiæ, potentiâ vigiliarum, & cæterorum pro Christo laborum, irreprehensibilem coram Deo & hominibus, exhibere curabat; nullum sibi, vel suis familiaribus, vacuum ab opere Dei tempus esse patiens, quo non aut psalleret, oraret, aut legeret, aut de aliqua vtilitate conferret, aut certe de sacræ scripturæ quæstionibus disputaret: in quibus soluendis, quàm alacer, quàm efficax,

A cax, promptus erat & facilis: Sed quis omnia dicta eius, vel facta memoratu digna, narrare sufficiat? Quod si cuncta vitæ eius enumerare velimus insignia, non iam breuiarium, vt polliciti sumus, sed maximam voluminis incurrimus quantitatem.

---

*De imminente eius dissolutione.*

## CAPVT CIX.

B His igitur de fœlicibus actibus vitę eius prælibatis, nunc ad gloriosum eius transitum referendum properemus.

Sextum ab ordinatione sua, in episcopali regimine agebat annũ; cùm superueniente Apostolorum Petri & Pauli solemnitate, vigilijs iocundus interfuit, missisque in singulorum ecclesijs die primo, ac sequenti solemniter celebratis, ad mensam rediens, inter prandendum gelido primùm tremore, deinde graui tactus est calore, & postmodum, maximo toto corpore confectus est dolore. *VVazo sex annis rexit episcopatum.* *Febri corripitur.*

Et cùm de cætero, nec chorum frequentare, nec dilecto sibi fratrum conuentui, ingrauescente passim doloris molestia, præualeret interesse, intra domus suæ penetralia psalmodiæ, seù lectionis dulC cedine, inuictissimum reficiebat spiritum. *Non valens chorum ecclesiæ frequentare, intra penetralia psalmodiæ dulcedine inuictissimum reficit spiritũ.*

Ita ingrauescẽte morbo, spiritu tamen robustus & integer, vsque ad quartam protelatus est feriam, in qua scilicet apostolicæ festiuitatis octauæ celebrantur. Cuius diei diluculo iam apparente, eum qui erga ecclesiastica excubare solitus fuerat, iubet accersiri præsbiterũ, & inunctionis sacræ sibi poscit impendi viaticum: abbates, & præsbiteros, & inferioris ordinis clericos, in capellam quæ cubiculo contigua erat, recipi iubet; vt eis præsentibus, de rebus ecclesiæ disponeret, confessionem suam, ipsis testibus Deo offerret, orantibus eis & psallentibus, vnctionem sacram perciperet. Ipse, cum duobus tantùm secreti huius arbitris, in solam spem beatæ resurrectionis, D lauat corpus, ob reuerentiam sanctæ vnctionis. Post hæc, albis indutus vestibus, expectantibus se in prædicto oratorio, præsentat fratribus sedili locatus, cui insidens psalmodiæ vel lectioni vacare consueuerat, missam audit: Sacro sancto dominici corporis viatico, fœlicem animam permunit. *Petit per presbiterum inungi.* *Lauat corpus ob reuerentiam sacræ vnctionis.*

Interim, res ecclesiæ disponuntur, quarum partem vnam successori suo, alteram pauperibus & Deo seruientibus, fidelis testator delegauit, cognatis omnibus ab ipsa delegatione semotis. *Munit animã viatico Dominici corporis. Condit testamentum.*

ANNOTATIONES.

Res ecclesiæ disponuntur.] *Alius Codex habet:* Res eius ab eo disponuntur.

A

## *De confeßione eius, & inunctione, & obitu.*

## CAPVT CX.

*Cuius posterior pars, ab Aegidio addita est.*

DIspositis igitur prudenter omnibus, abbas Gemblacensis Otbertus, ab ipsis pueritiæ annis coëuus illi & collega, sed & cõsecretalis, & diuinæ legis meditator, ad peragenda circa eum B sanctæ vnctionis obsequia, sacerdotali veste induitur. Quo propinquante, beatus Christi sacerdos, licet carne premortuus, mente tamen & spiritu viuidus, & virtute diuina suffultus; quantulo valuit annisu, e lectulo surrexit, coram altari genua fixit, & audientibus qui aderant, confitendo peccata sua cum summa cordis contritione, replicauit.

*Confitetur peccata, omnibus qui aderant audientibus.*

Cumque de cunctis, quorum reminisci potuit, coram Deo se reprehenderet peccatis, suggerit abbas reuerenter, vt si quid aliquando in Imperatorem deliquisset, confiteri non omitteret. Respondet ille, securum se prorsus esse, Imperatori nunquam nocuisse; sed in C hoc solo se esse culpabilem, quod cùm esset à culpa immunis, humiliatione iniusta, se pedibus eius aduoluisset; insuper & sacerdotalem dignitatem, laicali personæ subiicere non timuisset.

*Suggeritur ei ab Otberto abbate vt confiteatur si quid in Imperatorē deliquit.*

*Digna tanto pontifice responsio.*

His dictis, si quid contra eos, qui presentes essent fratres, deliquisset, veniam precabatur. Sed assistentis cleri deuotio, nullam reminiscens ab eo aliquando pertulisse calumniam, in lachrymas resoluitur, & à Domino Deo, pontifici suo, peccatorũ omnium veniam deuotè precatur.

*Si quid in fratres peccauit, veniam rogat.*

Sic tandem eo, post actam confessionem, à peccatis absoluto, solemniter cum psalmis & orationibus ad id officij pertinentibus, sacer præsul à præfato abbate, per sacram vnctionem, in viam pacis & beatæ quietis dirigitur.

*Inungitur cum magna solemnitate.*

D

Ita singulis redeuntibus in sua; sic manet in lecto decubans sanctus episcopus, corpore quidem, ingrauescente molestia, magis ac magis deficiens, sed pro sui exitus expectatione, intentissimè Domino supplicans.

*Intentißimè pro exitu suo Deo supplicat.*

Sequenti post octauam die, cùm iam imminens exitus putaretur; regressis ad eum cum abbate fratribus, vt morientium more, solo decessurum submitterent: nolite (inquit) hodie circa me frustra fatigari, sed die crastino, occurrite discessuro.

*Prædicit se crastina die moriturum.*

Ad hanc vocem, abbas Gemblacensis Otbertus, in lachrymas resolutus, leuatisque oculis cum manibus ad cœlum: potentissima (inquit) Dei pietas, non me sinat post te septem dierum spatio, in hoc morari

*Otbertus abbas petit statim*

A morari corpore. Cuius petitionis verba, vt probauit rei exitus, diuinæ miserationis percepit auditus. Defuncto siquidem die sequenti pontifice, post solemnem exequiarum celebrationem, mox ad beati Iacobi secedens monasterium (quod simul cum Gemblacensi regebat cœnobio) febrili repentè cœpit vrgeri molestia, donec inualescente in dies incommodo, die septima post beati præsulis obitū, sicut præoptauerat, Domino reddidit spiritum: vt constaret hóc mystico dierum numero, ob æqualis vitæ meritum, ambos à mundi huius voragine, in vnam sempiternæ beatitudinis requiem esse receptos.

*mori post VVazonem, & a Deo obtinet.*

*Moritur septimo post VVazonis obitum die.*

Migrant igitur, migrant ad suum factorem fœlices iustorū animæ, B multiplici studio pietatis exercitatæ: *lapides* vtique *viui*, ad cœlestis Hierusalem ædificium colliguntur, alter inter nos corona clericorum, alter decus monachorum: ambo diuinâ simul & humanâ sapientiâ eruditi, robustissimæ in templo Dei columnæ.

*1. Petri. 2.*

*Laus VVazonis & Olberti*

Sub tantis tuta custodibus, tantis communita propugnatoribus, intra honestissima bonarum artium quiescebas otia, nec clandestinas latronum insidias, nec apertè impugnantium formidabas incursus, fœlix hactenus Legia: sed tanta perdita fœlicitate, nunc inconsolabiliter deflenda. Equidem si posset ipsa lapidum duritia lachrymas fundere; nec sic tamen dignè plāgi posset, ablati Wazonis damnum irrecuperabile: quippè cuius virtutum fulgore illustrata, ad tantam sublimis tui nominis profeceras prærogatiuam, vt inter C maiores circumquaque vrbes, sapiētiæ fons appellareris. Quæ enim regio tam abstrusa in terris, quam, peruolitante fama Wazonis, Legiæ nomen non penetrauerit? Parum est quòd trifida, te celsam tāto patre, nouit Gallia: te Alpina gerens corpora, nequaquam ignorat Germania: experimentum acceperunt gloriæ tuę, simul Pannonij & Hiberi: nec latet extremo diffusos orbe Britannos, Aquitanos, cum Aruernis, tanti rectoris auctoritate, quàm altè caput extuleris. Tibi cædūt præ pontificis virtute, circum circa nobilissimæ vrbes. Sed nec Roma præpotens, indignum ducit tuâ se superari gloriâ, quæ moderno tempore, orthodoxorum neminem, huic tuo parem habuerit superstitem.

*Morte VVazonis Legia magnum damnum patitur.*

*Legia virtutibus VVazonis longe lateq; illustrata, fons sapientiæ appellatur.*

*Legiæ cedunt nobilissimæ vrbes præ virtute VVazonis, & ipsa vrbs Roma VVazo non habuit parem episcopum suo tempore.*

D At nunc, eheu, tanto pastore viduata, stas magni nominis vmbra; & adhuc prioris famæ tenore, multos studij amatores, ad opinatum disciplinæ inuitas gymnasium, sperantes se cum liberali studio, victus & vestitus solatijs gratuitò sustentari: ea enim spe patriæ finibus excitos se autumant, credentes illis referētibus, qui talia præsentes apud nos experti fuissent. Qui plerumque literarum exercitio non frustra expetito, cùm solus Waso omnes recipere solitus esset, & in omnibus necessarijs prouidere, adeò nunc pietatis opera in te sunt imminuta; vt quę vnus indeficienter agebat, cuncti pariter exercere, etsi volumus, non possumus.

A

*Additio Aegidij.*

Obijt idem venerabilis & sanctus episcopus wazo, anno Domini millesimo quadragesimo octauo, Idus Iulij, sepultusq; est ante maius altare in ecclesia sancti Lamberti. Huius sepultura nostris temporibus ignota erat hominibus, sed post concremationem ecclesiæ, dum cymentarij foderent fundamenta noui operis, inuentum est eius corpusculum in sarcofago marmoreo, habens titulum in hunc modum desuper scriptum:

Ante ruet mundus, quàm surgat Wazo secundus.

B

Post hæc, translatæ sunt eius reliquiæ, & in eadem ecclesia, iuxta S. Andreæ altare, temporibus Domini Hugonis episcopi, decēter sunt reconditæ. *Hactenus Aegidius.*

Age ergo nunc, ô dulcis Legia, si qua tibi cordi est aut pietas in Deum, aut honestatis amor ad seculum, ardentissimè quæso, religionis antiquæ saltem vestigia, resumere contendito: quia etsi orbata es *patribus, pro ipsis tamen nati sunt tibi filij*, quos omnipotēs Deus, licet adhuc teneros & rudes, exemplo bonorum patrum, ad sanctæ religionis culmen, potens est informare.

*Psalm. 44.*

Admonenda etiam es, ne dona Domini tui, si quæ tibi sunt, meritis tuis arrogare præsumas; sed potius temet, æstimatione infirmitatis tuæ, omnium ecclesiarum pedibus substernas, & maximè matris tuæ sanctæ Coloniensis ecclesiæ: quam Dominus, tum infinito sexus vtriusq; martyrum, seu confessorum numero; tum iucundissimè distinctâ sanctæ religionis coronâ, dignatus est insignire. Hanc tu venerare seu matrem, vt te dignetur agnoscere filiam, quatenus te pro humilitatis, illam pro charitatis remuneratione, æthereus ille clauiger, primus dux ambarum & patronus, ad gaudia sui domini victuras semper intromittat, & *ad videndum Deum Deorum in Syon*, in cœlestis Ierusalem mansionibus deponat, præstante ipso Domino Deo viuo & vero, qui vnus in Trinitate, & trinus in vnitate, solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, viuens & regnans in sæcula sæculorum, Amen.

C

*S. Petrus æthereus clauiger primus dux & patronus ecclesiarum Coloniensis & Leodiensis.*

D

ANNOTATIONES.

1. Obijt anno Domini millesimo quadragesimo octauo.] *Idem affirmat Lambertus Paruus.*

2. Octauo idus Iulij.] *Consonat liber ecclesiæ Leodiensis, ex quo leguntur commemorationes fratrum & omnium fidelium defunctorum ad primam, sub* Pretiosa. *Sic enim ibi legimus,* Octauo idus Iulij, commemoratio D. Guasonis *siue VVazonis*, qui dedit nobis quartam partem de Flerus, & quicquid habemus apud Tieclech.

Cæremoniæ

A

*Caremoniæ & processiones ecclesiarum secundariarum apud matrem ecclesiã S. Lãberti, in maioribus festis & solemnitatibus.*

## CAPVT VLTIMVM.

*Ab Aegidio additum.*

OPeræ pretium dignum duximus, in fine huius operis inserere obsequium, quo honorare debent quinque ecclesiæ, S. Martini scilicet, & sancti Pauli, sanctæ Crucis, S. Ioannis, & sancti Bartholomæi, matrem ecclesiam, scilicet, S. Mariæ sanctique Lamberti. *Obsequia quibus Clerus secundarius debet honorare ecclesiam sanctæ Mariæ sanctique Lamberti.*

B

*In quibus festis tenentur ecclesiæ venire cum pleno choro & schola ad vesperas.*

IN natiuitate Dñi, primis & secundis vesperis, in eadem nocte, duabus nocturnis missis: & in pascha, primæ & quartæ feriæ vesperis: & in penthecoste, primis & secundis vesperis: & in festiuitate S. Lamberti, & in dedicatione eiusdem ecclesiæ, primis & secundis vesperis, debent plenarium chorum cum pueris suis, ita vt debiles admodum pauci in sua remanentes ecclesia, ibidem expleant obsequia.

C

*In quibus festis debent venire cum dimidio choro.*

IN purificatione autem S. Mariæ: & secunda & tertia feria paschæ: & in ascensione Domini: & in festiuitate omnium Sanctorum, primis & secundis vesperis, debent dimidium chorum, cum pueris suis. Quartâ autem feriâ paschæ ideò vesperis intersunt, quia primis vesperis paschæ non interfuerunt. Secundâ & tertiâ feriâ ideò, quia in ramis palmarum, primis & secundis vesperis defuerunt.

D

*In quibus festis debent venire cum toto choro ad processionem & ad missam.*

IN die autem natiuitatis Domini ad missam: & in purificatione S. Mariæ: ramis palmarum: & in die paschæ, ascensionis, penthecostes, ad processionem, & ad missam. Et in festiuitate S. Lamberti: & dedicationis: & omnium Sanctorum, ad missam; ita omnes de septẽ canonicis ecclesijs cõuenire debent cum scholis suis, vt nullus desit. Psallent autem in medio monasterio singulæ processiones, in die paschæ, ascensionis, penthecostes, præ cæteris festis.

*In quibus festis tenentur mittere duos canonicos cantores ad matutinas.* A

IN matutinis etiam natiuitatis Domini, paschæ,& festiuitatis S. Lãberti & dedicationis,mittent septem ecclesię,duos cantores canonicos,singulæ.

In festiuitate autem præsbiterorum, diaconorum, subdiaconorũ, duos sui ordinis canonicos, in tabula sancti Lamberti conscriptos, mittent,qui omnibus eiusdem festiuitatis nocturnis, siue diurnis officijs intererunt.

*De ecclesijs sanctorum Petri & Dionysij,ad quæ teneantur.* B

IN vesperis autem, vbi quinque ecclesiæ debent integrum chorũ vel dimidium,cum scholis suis,debent etiam duæ de S. Petro scilicet & S.Dionysio,similiter integrum chorum vel dimidium,sed sine scholis suis.

Pręterea,in octauis natiuitatis Domini,& secunda,tertia,& quarta feria paschæ & penthecostes, & in assumptione S. Mariæ, & in octauis S.Lamberti,mittãt etiam ipsæ duæ ecclesiæ,sex canonicos singulæ, vt intersint earundem festiuitatum vesperis, matutinis,& missis. C

Præterea, in scrutinijs debent ipsæ singulæ septem ecclesiæ, singulos præsbiteros indutos, cum diaconis & subdiaconis, & duos pueros cum cereis & thuribulis indutos.

Ad fontes autẽ,& ad missam,debent ecclesiæ septem, quatuor canonicos, in nocte paschæ & penthecostes.

In cœna autem Domini, debẽt omnes ecclesiæ venire ad cœnam celebrandã, quã episcopus siue absens, siue præsens, olatis,& nebulis,& pomis,& vino debet cõficere.Si autem pręsens fuerit,debet ecclesiæ S. Lãberti triginta solidos probatæ monetæ dare, & vnicuiq; ecclesiæ quindecim solidos.Si autẽ pręsens fuerit episcopus & missã celebrauerit, debent quinque ecclesiæ, quinq; diaconos, & totidem subdiaconos indutos in die natiuitatis ad missam: & in die absolutionis ad recipiendos pœnitentes, & ad missam:& in die paschæ ad processionem & ad missam,& ad vesperas ipsius diei,& ad vesperas quartæ feriæ ipsius paschæ: & in die penthecostes ad processionem & ad missam: & in festiuitate vel dedicatione sancti Lamberti ad missam. D

Duæ autem reliquæ, sancti Petri videlicet & sancti Dionysij,debent duos diaconos,& totidem subdiaconos indutos,in secunda nocturna missa natiuitatis. Et in circuncisione Domini ad missam, & in purificatione sanctæ Mariæ, & in palmis,& in sabbatho sancto paschæ vel penthecostes,& secũda vel tertia vel quarta feria paschę & penthecostes, & in ascensione Domini, & in assumptione sanctæ Mariæ

A Mariæ, & in octauis sancti Lamberti, & in festiuitate omnium Sanctorum ad missam, & in secunda & tertia feria paschæ ad vesperas.

### *De his ad quæ tenentur abbates in solemnitatibus episcopo præsente.*

SI episcopus affuerit in die palmarum, in die natiuitatis, in die paschæ, & in die penthecostes; abbates de sancto Iacobo & sancto Laurentio, duces eius erunt ad missam. In festiuitate autem sancti Lamberti, & in dedicatione, omnes abbates Leodiensis parochiæ, debent adesse, & ad missam vicissim episcopum deducere.

B In letanijs autem omnes processiones conuenient ad loca constituta. Nec solum in his; sed etiã si pro aliqua necessitate nimiæ siccitatis vel pluuiæ, vel cæterorũ huiusmodi, vel ad suscipiendos cum processione episcopos, vel sæculi principes, indictum eis fuerit à decano S. Lamberti, conuenient.

Item, si qua querela inter eos fuerit vel culpæ vel præbendæ, quæ maiori egeat audientia, non prius ad episcopum deferetur, quàm in capitulo S. Lamberti fuerit ventilata.

### *De his ad quæ tenetur maior ecclesia alijs ecclesijs pro obsequijs supradictis.*

C PRo huius autem obsequij vicissitudine, debent confratres sancti Lamberti fraternitatis charitatem eis rependere, pro posse suo, protectionem contra damna vel iniurias exhibere, in exequijs mortuorum fratrum suæ, vel ipsorum ecclesię, per omnia communes & æquales esse, & in festiuitatibus eorum, quatuor canonicos, si petierint, ad missas eorum celebrandas mittere.

In die autem natiuitatis & paschæ, & penthecostes, pastum plenarium in refectorio S. Lamberti, omnibus canonicis, vel canonicorũ vicarijs dare.

In die autem palmarum, decem tantum canonicis vniuscuiusque ecclesiæ, similiter pastum exhibere.

D Ministris quoque ipsorum qui his quatuor refectionibus ciphos ad potandum, manutergia etiam & pelues deferunt ad aquam manibus dandam, & ante & post prandium, refectionem dare.

Quam quidem aquam à suis ministris, vnaquæque ecclesia, ante & post prandium recipiet: exceptis illis de S. Martino & S. Paulo, quibus solis hoc priuilegium episcopus Euradus obtinuit, vt eis aquam fraternitatis S. Lamberti suis manutergijs, & peluibus, & ministris post prandium ministraret.

*Quod decanus sancti Lamberti debet & potest corrigere canonicos secundariarum ecclesiarum, si circa officium faciendum in ecclesia vel aliàs in congregatione ecclesiarum, vbi ecclesia maior interfuerit, deliquerint: & probatur hoc iure, priuilegijs, rationibus & exemplis.*

A

QVod si in aliquo de supradictis debitis excesserint, vel in conuentibus quibus ecclesia S. Lamberti interfuerit, contentionem & rixas, vel officiorum suorum negligentias fecerint, decano S. Lamberti iudice, in Capitulo S. Lamberti, iudicio confratrum eiusdem ecclesiæ S. Lamberti, emendabunt. B

Quod iure, necessitate, & auctoritate, & priuilegio matris ecclesię, statutum obtentumque est.

Iure, quia ipsa fundamenta septem ecclesiarum, in fundo sancti Lamberti locata sunt. Ipsæ quoque ecclesiæ, bonis ipsius matris ecclesiæ, tam in ecclesijs quã prædijs, dotatæ sunt & ditatæ. Vnde etiam meritò debent ei subiectionem, à qua fundamenti & possessionis acceperunt originem.

Necessitate autem ideò factum est: quia cùm decani vniuscuiusque ecclesiæ non semper præsto adesse possint, vt & in ecclesia sancti Lamberti, & in sua, suis possint prouidere canonicis, præsertim cùm aliquando dimidius chorus, aliquando sex, vel quatuor, vel duo tantum canonici mittantur ab eis (duobus enim choris eodem tempore prouidere non poterant) difficultas hæc remissa est à decanis cuiusque loci, & attributa decano sancti Lamberti, vt suo loco, sicut suis, sic disciplinã exhiberet extraneis, quia & semper hoc præsens melius posset facere. C

Et auctoritas etiam canonica in hoc videtur consentire: præcipit enim vt *crimina, vbi orta fuerint, ibi terminentur*. Et alibi, *omnia in suo foro agantur*: quæ ergo est ratio, vt in loco principali, vbi religionem debent habere maximam, ibi absentes magistri, minimam habeant disciplinam? Cur etiam quod ibi delinquitur, alibi puniatur, cùm etiam iure sæculari ibi attineat debiti excusatio vel iudicium? D

*Can. 1. & 17. 3. q. 6.*

Vt ergo hanc prælationem firmius sibi retineret mater ecclesia, prædecessorum suorũ antiquissima auctoritate sibi obtinuit, vt sicut extrinsecus in parochianis fraternitatibus, decanos quidem ex ipsis parochianis constitueret, sed archidiaconos ex principali ecclesia prærordinaret: sic & in canonicis fraternitatibus, decanos quidem ex ipsis, sed præpositos ex principali ecclesia præficeret.

Sed opponunt: quia vna ecclesia non debet habere duos decanos; quare ergò in duabus ministrant ecclesijs? Ne longè petantur exempla:

A exempla: si consensu episcopi factum fuerit, vt aliquis duabus ministret ecclesijs, videlicet Traiectensi & Leodiensi; nonne idem canonicus in priori ecclesia habebit suum, & in hac noua recipiet iure alium decanū? Sic ergò cùm duos decanos habuerit in loco hoc, huius, in illo, illius iudicium subibit. Sicut ergò in diuersis ecclesijs; sic & in diuersis fiet choris, vt idem canonicus, in choro sancti Petri, chori illius decanum habeat; & in choro sancti Lamberti, chori illius decanum sustineat: quos enim vnum facit vnitas chori & officij, non debet diuidere diuersitas prælati. Et reuera quod fit in symbolica fraternitate; cur non fiat in canonica? Cùm enim aliquis in canonicatu suum habeat decanum, in symbolica fraternitate B recipiet alium. Et quod ibi delinquit, ibidem sub ipsius iudicio corrigit.

Sed opponit: quare eos prælatos habebimus, à quibus nihil possidemus? Quod quàm falsum sit, superius ostendimus. Nunc, quàm friuolum sit, videamus: vt enim multi sunt, à quibus habemus terrena stipendia, nec tamen eis spiritualiter subiecti sumus; sic quamplurimi & ferè omnes prælati sunt, à quibus nihil possidemus, tamē eis spiritualiter obedimus. Quid enim à pontifice Romano? Quid à Coloniensi Metropolitano? Quid insuper ab ecclesiæ nostræ decanis, vel præpositis obtinemus, quibus tamen subiectionem nostrā C negare non possumus? Non enim indicit nobis obedientiam mundana possessio; sed pro salute animæ, subiectionis professio.

Cùm ergò maternæ prælationis priuilegium ecclesia S. Lamberti, septem filias suas, non modò triginta vnum annis (cuius temporis vsurpationem inconuulsam deinceps canonica censet auctoritas) sed insuper à centenis annis obtineat; quomodo illi de S. Petro, subiectionem illam à se volunt, vel possunt excutere, quam tanto iam tempore, quasi hæreditario iure sustinent, ab antecessorum suorum successione?

Multas enim huius iuris inuestituras beati Lamberti ecclesia retinet, quibus non solum auditu, sed etiam visu prælationem D suam astruere potest. Giso enim de sancto Bartholomæo, in capitolio suo rebellis factus præposito suo Wederico, ad Capitolium sancti Lamberti deductus est, ibique iudicio eiusdem capitolij, non solum in claustrum, sed etiam in carcerem ibidem, vsque ad satisfactionem retrusus est.

Item inter illos de sancta Cruce & S. Ioanne, apud S. Lambertum, in letaniarum vltimo die, de ordine standi, rixa magna orta est. Hæc causa in Capitolio sancti Lamberti ita terminata est, vt scholasticus Alcoldus, ad scholas sancti Lamberti, suos culpabiles pueros, & decanus sanctæ crucis, maioris ordinis canonicos, ad satisfactionem, in Capitolium S. Lamberti adduceret.

Item Franco de S. Cruce, ob negligentiam cuiusdam sui officij, in Capitolio S. Lamberti, vsque ad satisfactionem iudicatus est.

Item Godeschalcus de S.Dionysio, quia rebellis fuit decano suo claustrali, ei corporali sententia satisfecit. A

Item pueri de S.Martino ibidem rixam fecerunt,& iudicio fratrũ S.Lamberti, Heribertus scholasticus,eosdem pueros ad scholas sancti Lamberti deduxit, ibidemque puniuit.

Similiter Azo de sancto Paulo, in præsentia & iudicio Henrici decani adhuc superstitis, corporali & claustrali sententia satisfecit.

Quod si dissimulant præterita recolere;cur saltem quotidiana negligunt attendere, in quibus ad ostendendam matris ecclesiæ prælationem, saltem assiduis horarum canonicarum signis,suæ subiectionis cognoscere possunt ordiném? Cùm enim nullis horis signa sua pulsare debeât, nisi signo S.Lamberti ante pulsato, quid aliud innuitur, nisi quod alia signa quasi huic obediunt signo,vt ostendant alias ecclesias in suorum officiorum exequutione & ordine, quadam sua obedientia,reuerentiam priuilegij matri ecclesiæ seruaturas? B

*Cap. 9. de confirm. vtili vel inutili.* Cùm ergò præcipiat canonica auctoritas vt *vnicuiq; ecclesia sua iura seruentur*: & iterum:*vsus ecclesiasticus* si non sit conrra fidem & bonos mores,*pro lege tenendus est*, cur saltem, vt superius dictum est, præceptum Domini dicentis:*honora patrem tuum & matrem tuam*, non seruatur? *Exod. 1.*
cùm enim, vt ait Innocentius, *nihil præposterum, nihil inordinatum debeat esse in ecclesia*, necessario aut caput erunt, aut membra, aut omnia capita. Ergò, vt ait Apostolus, vbi corpus? Ergò Leodiensis ecclesia non erit ordinata, sed monstruosa multorum capitum,vt fabulosus cerberus aut larua: quia scismaticum priuilegium nulla auctoritate sibi possunt defendere;cùm nedum in episcopali cathedra,sed etiam in rusticana qualibet parochia,illud ius sibi mater ecclesia defendat, vt in maioribus solemnitatibus, filiarum suarum frequentiâ visitetur,& honoretur. Quod si neglectum fuerit, iudicio suorum synodalium in sua Synodo vindicetur. C

Sed huius priuilegij reuerentiam illi de sancto Petro,in sancto die palmarum neglexerunt: cùm enim refectionem plenariam in refectorio S.Lamberti sumpsissent, post prandium, aquam manibus non à suis, vt debuerant, sed à nostris ministris quæsierunt. Quod cùm illi iure negarent, non expectauerunt vt vinum post aquam acciperent, vel saltem gratias de perceptis beneficijs canonice referrent, & sic nobis querimoniam, si quid læsi essent à nostris,facerent: sed subitò inordinatè, imò furibunde,ante tantum Leodiensis ecclesiæ conuentum; alij mensas & mensalia conculcantes,de ipsis mensis, in medium refectorium saltum dederunt: alij more fugientium, irreligiosè nimis exierunt. D

Nos è contra id ægrè quidem pro eorum irreuerentia, sed tamen modestè,pro Dei timore ferentes, ne tunc temporis plus ebrietatis quàm iustitiæ suspicione notaremur, distulimus vsque in secundam feriam.

Et tunc

A Et tunc missis fratribus nostris Arnulpho & Rembaldo, mandauimus decano & fratribus de S. Petro, vt feriâ tertiâ, horâ capitolij, ad nostrũ Capitoliũ venirẽt, ibiq; videntibus cõfratribus totius ciuitatis, prius de nostris, si quid ab eis contra eos peccatum esset, iustitiã acciperent, postea, pro perpetrata irreligiositate, Deo & nobis satisfacerent.

Feriâ tertiâ, horâ capitolij, cùm decani & confratres totius ciuitatis adessent, ipsi adesse noluerunt: quod cùm etiam ipsis indignum videretur, à nobis confratres ciuitatis petierunt, vt sub eadem hora, eis daremus inducias. Quod & factum est. Illi statim venerunt, sed intrantes claustrum nostrum, in quodam angulo eius resederunt.

B Cum autem mandaremus per nostros, & per ipsos confratres ciuitatis, vt Capitolium nostrum intrarent, supradicta conditione satisfactionis nostræ & suæ; remandauerunt, vt si vellemus ad eos venire, non iure, sed fraterne tantùm loquuturi veniremus: si autem aliud vellemus, ipsi capitolium nostrum non intrarent.

Acceptâ autem tantâ iniuriâ, nos tamen sententiam aduersus eos præcipitare nolentes, datis indutijs quadraginta dierum & iterum quadraginta, interim per decanos & confratres ciuitatis sæpissimè, & ad vltimum per duos fratres ecclesiæ nostræ, Remboldum & Nicolaum, sub prædicta conditione eos remandauimus, donec tandem C per duos fratres suos, Richardum & Albertum, nobis remandauerunt se non esse venturos ad Capitolium nostrum, quia id non posset diffiniri apud . . . . eos, vt hoc fieret aliquâ concordiâ fratrum suorum.

Tunc demum intellectâ eorum pertinaciâ, vtpotè qui tot canonicis legatis admoniti, ad vltimum per suos nuncios se venturos esse negauerunt; Capitolio nostro congregato, & admonito nostro decano, iudicauimus, quia simplicia monita aliorum legatorum toties & tamdiu neglexerunt, nunc saltem præpositus eorum Andreas, sub testimonio quatuor fratrum eiusdem loci, decano S. Petri per obedientiam indiceret ex parte decani S. Lamberti, vt sicut iure debe-D bat, irreligiosos canonicos, suo die certo, ad Capitolium adduceret: quod si esset rebellis, ipsis etiam canonicis, per obedientiam hoc indiceret: quod & factum est. Decanus ipse, obedientiam ei contradixit, nec ipse, nec fratres, per obedientiam admoniti, die constituto venerunt.

Hoc audito & viso, iterum iudicatum est, vt quoniam decanus S. Petri obedientiam ei contradixerat & rebellis erat; ipse præpositus Capitolium apud S. Petrum indiceret: & qui præceptum hoc audire subterfugiebant, ipse sub testimonio quatuor fratrum de S. Petro, & iterum decano, si adesse vellet, & postmodum ipsis culpabilibus canonicis, nominatim per obedientiam indiceret, vt venirent. Quod certo consilio factum est: quia cùm certissimè deprehensum esset ipsos ex industria præceptum subterfugere, ibi dari iussum est, vbi canonice

nonicè conuenire & obedientiam deberent accipere. Sed decano A
subterfugiente & quibusdam reis, nominatim eis qui affuerunt & qui non affuerunt, obedientia iniuncta est certo die veniendi.

Quod cùm neglexissent, admonuit decanus S. Lamberti fratres suos, vt quid amplius de eis esset agendum, decernerent: illi contra, illos non amplius esse admonendos iudicauerunt, qui vel toties audientes neglexerunt, vel etiam audire refugerunt, tantummodo illud requirerent iudicium, si inobedientes & rebelles habendi essēt, qui toties sua præcepta contempserunt.

Cùm ergo decanus eos super hoc iudicio admoneret; illi attendentes iudicio culpabilium fratrum illorum, condemnationem imminere, cùm statim eos inobedientes & rebelles, vt erant, iudicare B
possent, pietatis tamen causâ, quadraginta dierum inducias sibi petierunt, vt interim, si vellent, illi resipiscerent.

Computato igitur quadraginta dierum numero, dies perficiendi iudicij contigit in vigilia assumptionis S. Mariæ, & in Capitolium S. Lamberti conuenerunt archidiaconi, præpositi, decani, & reliqui maiores septem congregationum.

Tunc ad Capitolium S. Lamberti, decanus & decem fratres de S. Petro culpabiles redierunt, & ibidem tam ipsi quam suus etiam decanus, in pleno conuentu, iudicio Capitolij S. Lamberti, humiliter satisfecerunt: & canonicè præsidente S. Lamberti decano, hac causa, vnanimiter renouatum & confirmatum est priuilegium matris ecclesiæ, coram septem filiabus. C

De omnibus autem congregationibus quæ fiunt in Leodiensi episcopatu, debent adesse canonici in missa S. Lamberti & dedicatione, prout numerus fraternitatis fuerit, & omnes parochiani decani canonicè induti, vt sint in choro & refectorio.

## ANNOTATIONES.

*Totum hoc vltimum caput, desumptum fuit ab Aegidio, ex primo libro chartarū ecclesiæ Leodiensis, sed valde corruptè; pluribus enim in locis quædam desiderabantur, quædam abundabant, quædam non suo ordine posita erant, quæ omnia ex dicto libro restituimus.*

D

# APPENDIX
## QVATVOR AVCTORVM
### PRÆCIPVORVM,

QVI

Gesta sancti Lamberti martyris, vigesimi noni episcopi Leodiensis, seorsim scripserunt,

*Godeschalci diaconi & canonici Leodiensis:*

*Stephani* 39 *episcopi Leodiensis:*

*Nicolai canonici Leodiensis:*

*Reneri ad S. Laurentium prope Leodium monachi.*

Qui omnes ante quingentos annos floruerunt.

*Studio & industria* R D. *Ioannis Chapeauille, Canonici & Vicarij Leodiensis typis primùm excusi.*

A

# PRÆFATIO

B

## AD LECTOREM.

VT ad calcem tomi huius eos auctores qui separatim vitam beati Lamberti martyris, vigesimi noni episcopi Leodiensis, scripsêre, per modũ appendicis adijcerem; duo me, amice lector, præcipuè impulerunt.

C Primũ, vt pijs multorũ doctorũ virorũ votis satisfacerem, qui cùm ex lectione Baronij & Molani aduerterent, plures veteres scriptores, & nominatim quatuor hic adiectos, illustris martyris Lamberti, gesta literis commendâsse, nec tamen ex iis, nisi vnius Stephani scripta, eaque mutato stylo, typis euulgata esse; magno, vt fieri solet, scriptorũ eiusmodi veterum, in puritate & simplicitate sua videndorum, tenebantur desiderio. Quocirca, & Sigebertum monachum de eiusdem B. martyris gestis, vt ipse profitetur, scribentem, si mihi reperire licuisset, libenter D annexuissem; longè ab opinione eorum alienus, qui sacros veterum scriptorum labores, boni publici causâ susceptos, domi, quasi carcere clausos, retinent, & priuatæ suæ vel curiositati, vel vanæ & puerili gloriolæ, vel inuidiæ, & prauo genio seruientes, à tineis corrodi, & perire sinũt; siquidem *sapientia absconsa, & thesauri inuisi, quæ vtilitas in vtrisq;?*

*Ad Martyrol. Roma & Vsuardi die 17. Septemb.*

*De viris illust. cap. vlt.*

Alterum me in hanc adduxit sententiam, nunquam à nobis satis celebratus martyris huiusce patroni nostri honos: qui hoc in loco, Leodio inquam, humili & ignobili quondam vico, san-

Heb. 12. guinem suum pro veritate & iustitia fudit, qui *melius clamãs ad Deum quàm sanguis Abel*, non vindictam tantùm contra impurum crudelemque Dodonem, & complices, sui interfectores promeritus est: sed tantam & benedictionem, & claritatem; vt vicus ille exiguus, & ferarum magis quam hominum habitationi idoneus, mox in vrbem, summis vicinarum omnium prouinciarum æquiparandam, excreuerit: in qua singulari eius beneficio patrocinioque non tantùm degimus, sed supra meritum huc vsque, cæteris vndequaque vrbibus turbatis, pacificè quieteque viuimus, & quod summum est, in fide religioneque catholica, quam is hic viuens & moriens plantauit, *expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, conquiescimus. Pro quibus eximijs, salutaribusque beneficijs, decet profectò, vt ab eius laude & gratiarum actione nunquam cessemus. Nam, vt nos piè diuus Ambrosius docet: *cum omnium sanctorum martyrum deuotissimè natalem celebrare debeamus; tum præcipuè eorum solemnitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domicilijs, proprium sanguinem profuderunt: nam licet vniuersi sancti vbique sint; & omnibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interueniunt qui & supplicia pertulêre pro nobis. Martyr enim, cum patitur, non sibi tantùm patitur, sed & ciuibus: sibi enim patitur ad requiem, ciuibus ad salutem; exemplo enim eorum didicimus Christo credere, didicimus cõtumelijs vitam æternã quærere, mortem didicimus non timere.* Nos igitur veterũ horum auctorũ scripta, quantumuis verborum cultu & ornatu destituta, arborum fructus, non folia aspicientes, meritò amamus & exosculamur: atque ab obliuionis temporumq; iniurijs, eò studiosius hac prima æditione vindicare conamur, quò manifestius eiusdem B. martyris vitæ, rerumque gestarum encomia elucescant.

Tit. 2.

Serm. 77. in natali Taurico rum martyrum.

Tu interim fac, obsecro, ô beate martyr, vt horum scriptorum lectores, illo igne quo tu ardebas, dum nocte tota, hyeme intempesta, sub dio, solo cilicio tectus, niuibus ventisque expositus, alacri animo voceque psalmos pœnitentiales, inimitabili exemplo decantabas, ad Dei, tuique amorem magis ac magis, accendantur. Fac quoque, vt sicut ego, seruulorum tuorum

rum

A rum minimus, ſacras corporis tui reliquias, virtutes & illuſtrem martyrij triumphum colere, venerari & celebrare in pręſenti vita geſtio; ita à præſentia ſocietateque tua in futura nunquam ſeparer. Salutatus à me in Chriſto, beneuole lector, vale. Ex domo clauſtrali eiuſdem ſancti Lamberti martyris, anno Domini 1611. die B. Luciæ virgini ſacra.

B

*Renerus Benedictinus S. Laurentij prope Leodium monachus, cap. vlt. vitæ S. Lamberti.*

VItam sancti Lamberti primus, iussu Agilfridi episcopi, scripsit Godeschalcus diaconus, ipsius congregationis clericus, qui fuit tempore Pipini & Caroli Magni: & gesta quidem eius veraciter prosequutus, de causa martyrij, parum libero ore loquutus est.

*Aegidius Aureæ vallis, in additionibus ad Anselmum cap. 32.*

AGilfridus, primus vitam sancti Lamberti, per quendam clericum, Godeschalcum nomine, scribi fecit.

*Molanus ad Martyrologium Vsuardi die 17. sept.*

VItam & passionem sancti Lamberti, primò scripsit Godeschalcus, diaconus ecclesiæ Leodiensis, tempore Caroli primi, & Agilfridi sui episcopi.

*Baronius ad Martyrologium Romanum eadem die.*

ACta sancti Lamberti, à pluribus auctoribus scripta reperiuntur, ac primùm omniũ à Godeschalco, ecclesię Leodiẽsis diacono.

*Desumpsimus hæc scripta Godeschalci ex duobus vetustissimis M. S. Codicibus, vno ecclesiæ S. Lamberti Leodiensis; altero monasterij S. Laurentij prope Leodium nulla styli mutatione facta.*

A # GESTA S. LAMBERTI
## PONTIFICIS ET MARTYRIS.

Floruit hic Godeschalcus, anno Domini 770.

### PROLOGVS.

*SI pagani, per figmēta sæua & nefanda, plurima mēdacia codicibus suis commendare student, vt eorum qui narrant, & de quibus narratur, vana gloria discurrat; cur* B *nos Christiani, salutifera taceamus, per sanctos suos, gesta miracula Christi, cùm, vel tenui sermone, eorum possimus pandere virtutes? Et quamuis tantæ rei narratione, id est, vt sancta viri Lamberti pontificis opera loquamur, indigni videamur; tamen Charitas poscit, vt conuersationem vitæ eius, quæ ab adolescentia suæ plurimis comperta fuit, & per viros prudentes cognita firmatur, Deo adiuuante, narrare conemur.* Cōuersatio S. Lamberti à plurimis comperta, a prudentibus viris confirmatur.

*Plenissima igitur deuotione, & multorum precibus coactus, non leporem animosi sermonis inquirens, sed in publicum sine verecundia,* C *incultum sermonem promens; cursum vitæ eius, & gloriosam martyrij palmam, sicut per fideles viros, & idoneos testes, ad nostrum peruenit auditum, effari tentabo: vt cuius vita est cum Christo in cælis, eius memoria celebretur in terris; præsertim cùm traditione ecclesiastica, & apostolica admoneamur auctoritate, vt sanctorum vitas iustas, & virtutes plurimas commemoremus. Sic enim scriptum est:* Memoria iustorum cum laudibus. *Et vt est illud:* Laudemus viros gloriosos, *qui vicerunt & contempserunt regna mundi.* Auctor quæ scribit ab idoneis habet testibus. Auctoritate diuina & traditiōe ecclesiastica monemur memorare vitas sanctorum. Prou. 10. Eccl. 44.

*Ergò dignum est, vt quotiescumq; sanctorum solemnia, curriculo* D *anniuersario celebramus; ex eorum gestis, aliqua ad ædificationem fidei Christianorum conuenientia, in Domini laudibus non reticeamus: quoniam reuera Christi muneris est, quicquid in sanctis eius laudabile inuenitur.* Christi muneris est quicquid in Sanctis laudabile inuenitur.

*Igitur, sancti ac beatissimi antistitis Lamberti, annuente superna gratia, quamuis imperito sermone, & impolitâ loquelâ, vitam & virtutes exordiri procuro.*

CAPVT.

A 2. Tradidit eum viris ſapientibus. ] *Primum Landoaldo, vt patet ex Nicolao infra cap. 1. & Renero cap. 3. Deinde Theodardo, vt Godeſchalcus hic tradit, & poſt eum omnes alij.*

## *Electio eius in epiſcopum: & eiuſdem iniuſta depoſitio.*

## CAPVT II.

B INterfecto autem prædicto antiſtite Theodardo, copioſa multitudo virorum, in regione illa habitantium, & cognoſcentium fidem, opera, & conuerſationem nobiliſſimam ſancti Lamberti; clàm de eo mutuò loquens, eligere eum ad pontificalem ſedem diſponebat.

Ergò, optimates eius illuſtres viri, qui eo tempore, rectores palatij videbantur; glorioſo Hilderico Regi, famam beati Lamberti innotuerunt: & actus eius non ſilentes, ſed teſtimonium de eis perhibentes, ſuaſerunt, vt quia dignus erat ſacerdotio fungi, & onus pontificale accipere, in loco epiſcopali ordinaretur. Habuit itaque effectum eorum petitio, libenter obtinuerunt, quod deuotis mentibus poſtulauerunt. *Primores viri cum populo poſtulant S. Lambertum epiſcopum.*

C Tunc per totius plebis, in ſpiritu ſancto, vnum conſiliũ, & ſimul Regis imperium, fauente Domino, à quo iam dudum electus erat, ſubrogatus eſt, vt præeſſet eccleſiæ Traiectenſi. Ipſe quoque officio ſumpto, timore Domini repletus, opera bona quotidie multiplicabat. *Eligitur in epiſcopum.*

Porro, Rex, cùm ſanctitatem & prudentiam eius cognouiſſet, diligebat illum præ omnibus pontificibus, & optimatibus ſuis, & cum eo ſummũ tenebat locũ. Et, non ſine cauſa, ſed merito regiæ dignitatis, & ſummæ ſapientiæ, & ſanctæ religionis, ab eo electus fuit: nam Lambertus pontifex, conſilio validus, & omni ſapientia doctus, & religionis celſitudine præditus, ſtatura, facie decorus, ceſarie formoſus, oculis fulgidis, manibus pulchris, cum digitis longis, & honeſtis, & carne candida. Et quid plura loquar? A planta pedis vſque ad verticem capitis, irreprehenſibilis erat. *Diligitur à rege Hilderico præ cæteris epiſcopis & optimatibus.* *Dotes animi & corporis S. Lamberti.*

D (margin letter at "ctus, & religionis")

Sed, poſtquam glorioſus Rex Hildericus, ab impijs & carnificibus interfectus fuit; tunc omnium bonorum inuidus Diabolus, cum aduerſarijs ſuis ſæuiſſimis, iniqua & falſa conſilia machinãtibus, vt eum de ſede pontificali eijcerent, contra beatum virum feſtinus inſurrexit: & ita eius, & eorum præualuit iniquitas, vt eum, abſq; cauſa, & ſine cauſa, de ſede ſua deponerent, & honore debito priuarent. *Diabolus inſtigat viros prauos in B. Lambertum.* *Deponitur de ſede ſine cauſa & Pharamundus in eius locum ſubſtituitur.*

Poſtquam autem talia peregerunt, Pharamundum in cathedra illius conſtituerunt.

A

ANNOTATIONES.

1. Interfecto autem prædicto antistite Theodardo. ] *Vide notationes nostras ad Anselmum c. 2. ex Sigeberto & alijs.*

2, Facie decorus. ] *Particularia valde dicit auctor de sancto Lamberto, vt qui ab eis qui ei familiares fuerant, audierit, vt in prologo indicat, & proximè seq. cap. apertè profitetur.*

3. Postquam gloriosus Rex Henricus. ] *Vide notationes ad cap. 6. Anselmi.*

4. Cum aduersarijs suis sæuissimis. ] *Theodorico scilicet Rege, decepto prauis Ebroini consilijs & adhærentibus. Vide cap. Anselmi iam proximè citatum, & ibi notationes nostras ex Sigeberto.* B

5. Pharamundum in cathedrâ illius constituerunt. ] *Quis hic pharamundus fuerit, & quorum fauore in cathedram S. Lamberti intrusus, habes infra in Stephano cap. 4. sub finem: & apertius in Nicolao c. 6. & Renero cap. 10.*

---

*Ab episcopatu pulsus, diuino consilio vadit ad monasterium Stabulense, vbi insignis patientiæ exemplum exhibet.*

C

## CAPVT III.

*Consilio diuino admonitus, proficiscitur ad monasteriũ Stabulaus.*

TVnc electus Dei Lambertus pontifex, consilio diuino admonitus, perrexit ad monasterium, quod vocatur Stabulaus.

*Actas auctoris*

Et, nec amplius quam duo pueri, in eius obsequio remanserunt. Vnus autem ex ipsis, nomine Thiedoënus, multa nobis de vita, & operibus eius, solitus est enarrare; qualiter, deuotione intẽtissima, per annos septem, ibidem sanctam & angelicam cõuersationem, in laboribus, in ieiunijs & in vigilijs, in orationibus, in charitate, in longanimitate, in omni puri cordis custodia peregit, & sanctorum exempla imitatus est.

*S. Lamberti in monasterio exercitia.*

D

*Exemplum patientiæ.*

Pater autem monasterij, & omnis congregatio, cum magna pietate ac benignitate, diligebat atque venerabatur illum; nam constantiæ virtus, magis magisque in eo fulgebat.

Et dum vir venerabilis Lambertus episcopus, in præfato monasterio moraretur, consueto more, in medio noctis expergiscens, contigit vt solus ad orationem deuoto pectore pergeret. Quo porrigente manum, arripienteque sandalia, alterum eorum, de manu eius in pauimentum cecidit, & vsque ad auditum, sonum effecit. Hoc audiens pater monasterij, sed nesciens quis hoc egisset, ait: quisquis istum sonum fecit, ambulet ad crucem.

*Lambertus iubetur ire ad crucem.*

Igitur, sanctus vir religiosus, ilico obedientiam sine mora sequutus

tus

tus, nudis plantis, pedibusuè discalceatis, & aspero cilicio indutus, *Brumali tempore nudis pedibus, indutus aspero cilicio, sub dio, tota nocte, orat ad crucem.*
A clàm de lecto exiliens, festinus vsque ad crucem cucurrit. In illo autem tempore, brumalis circulus, nimio frigore, & glaciali niue algescebat.

At ibi Dei famulus, immobilis persistens, & erectis manibus inflexibilia brachia extendens, & psalmorum cantus efficaciter exercens, nimia aëris tempestate constrictus, vti inuictus miles, in magno labore persistens, morabatur. Interea nix, vsque talos ipsius peruenit.

Dominus autem, qui cuncta gubernat, & omnia, antequam fiant, præuidet, & scit; serui sui non immemor, misertus est. Nam dum in quadragesimo primo psalmo, hunc versiculum cantaret, id est,
B *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* hoc per Dei clementiam contigit, vt in illa nocte, gallorum cantus, citius quàm in singulis quibusque noctibus solebat, audiretur. *Psalm. 41. Gallorum cantus Dei clementia citius auditur.*

Et, nec mora, fratres monasterij, pulsato signo, ingredientes ad vigilias, & officio peracto, festinanter de templo exeuntes, ac nimio frigore compulsi, frigentia corpora calefacere cupientes, domū introgressi sunt. *Fratres absoluunt nocturnas vigilias.*

Interim, athleta Dei, fortiùs certando, & in orationibus assiduis laborans, iuxta Domini crucem, fixus perstabat.

Tunc pater monasterij requirens, inquit: Anne omnes fratres nostros habemus? At vnus è fratribus respondens, dixit ei: ego te, *B. Lambertus reuocatur per abbatem.*
C hac nocte, de alio sonum faciente, iudicantem audiui, vt de eo quod incautè egit, iuxta crucem pœniteret; sed prorsus quis esset, ignoro. Adhuc illo loquente, alter intrauit, dicens: verè Dominus Lambertus, hac nocte, longo temporis spatio, iuxta crucem, discalceatus perseuerat.

At, ipse abbas contremiscens, conuersus ad fratres, dixit: velociter ite, & pedibus eius corpora vestra prosternentes, vt ad nos veniat, humiliter postulate. At illi mox currentes, iuxta crucem stantem inuenerunt.

Ipse verò dominus Apostolicus, capite, & humeris, & toto corpore, niue contectus, respondens, talia verba promebat: *cor contritum & humiliatum Deus non spernit*, & reliqua. Illi verò, qui missi fuerant, *Psalm. 50.*
D postulantes dixerunt: ó amice, quasi legati pacis, ad te missi sumus: pater enim noster communis obsecrat, & omnes fratres deprecantur, vt ad illos quantocius pergas. At ille obedienter & humiliter, precibus eorum consensit. *Statim obedit, & domum redit.*

Et postquam comitatu eorum, in domum illam, in qua fratres erant, intrauit; statim pater monasterij, simul cum monachorum agmine, ad pedes Pontificis prouolutus, veniam postulans, ait: ignosce mihi, pater, & secundum clementiam tuam indulge; quia nesciens peccaui, quod sic insipienter egi. Da indulgentiam tuis deuotis famulis. At ille respondens, dixit: si vos insipienter, & im- *Abbas cum fratribus veniam rogat.*

prudenter fecissetis; ego à Deo indulgentiam postulâssem, & vobis libenter, cum charitate debita, ex toto corde dimisissem: quia verò secundum regulam ecclesiasticam, & secundum monachorum instituta, recte iudicastis; iuxta possibilitatem virium mearum, veluti seruus inutilis, vestris obtemperaui præceptis. Nam sciebam, quod ex sententia Pauli Apostoli, frigori, & nuditati, & seruituti, corpus meum subijcere me oporteret, ipse enim dixit: *per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum cælorum.* Et rursum dicit: *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nam quantū in hoc sæculo flagellis atterimur, tantùm in futuro gaudebimus; & ideò nullus labor durus, nullum tempus longum, quoniam vita æterna acquiritur. A B

*1. Cor. 9. Act. 14. Rom. 8.*

Continuò, fratres osculantes manus eius, & pedes, balneum, & alia indumenta, quasi ad aliquod corporis eius solatium, parârunt, & ad inuicem mutuò talia verba dixerunt: Dominus nobis in hac nocte, pro eius augenda gloria, & pro lucris præmiorum promerendis, huius opera, oculis hominum abscondita, sed obtutui diuino manifesta, nota facere voluit.

*Parant balneum pro aliquo corporis eius solatio.*

ANNOTATIONES.

1. Thiodoënus multa nobis de vita & operibus eius.] *Godeschalcus scribit ex ore Thiodoëni, qui Lamberti famulus & comes fuit, cùm se conferret ad monasterium Stabulense.* C

2. Quisquis istum sonum fecit, ambulet ad crucem.] *De ratione agendæ pœnitentia ad hanc crucem, habes quadam infra in Stephano capite sexto, in Nicolao capite octauo, & in Renero capite duodecimo, qui etiam dicit crucem lapideam fuisse.*

*Est verò in monasterio Stabulensi adhuc hodie signum crucis eo loci positum, vbi hac crux olim plantata fuisse dicitur, quod istuc causa maleficorum & sortilegorum præteritis annis à Serenißimo Principe nostro, cum alijs missus, non semel vidi, & orationem facturus, adij. Huius quoque crucis meminit Anselmus in gestis pontificum, capite 7.*

3. Nudis plantis, pedibusue discalceatis, & aspero cilicio indutus.] *Hanc admirandam & inimitabilem pœnitentiam, quotquot de sancto Lamberto scribunt, vniformiter referunt. De qua bene Nicolaus infra cap. octau. sic dicit.* O verè manifesta in seruo suo Lamberto, diuinæ virtutis operatio, per quem, ad exequendum tam arduū huius obedientiæ præceptum, inflammata est eius mentis alacritas, quod vix vnquam aliqua sit creditura posteritas. D

*Expulsa*

A

*Expulso Pharamundo, reuocatur ab omnibus ad episcopatum: & qualem in eo se deinceps habuerit.*

## CAPVT IIII.

POst septem verò annos expletos, Pharamundus, de sede pontificali, & de prouincia Traiectensi, depositus, atque repulsus est. Tunc, agmina clericorum, & vulgus promiscuum populorum, B & plebium, summa voce, & deuotis precibus, vt pastorem eorum, id est, D. Lambertum reciperent, vnanimes dominum rogabant. *Ab omnibus reuocatur ad episcopatum.*

In illo tempore, princeps Pipinus, in plurimis regionibus, & ciuitatibus Europæ regnans, auditis operibus B. viri, sub vnius diei articulo, iussit eum, cum magno honore, ad propriam sedem reuocari. *Pipinus iubet eum reduci.*

Quanta autem exultatio in vniuerso populo fuit, quantas laudes & hymnos, sacerdotes cum leuitis, monachi cum innumero clericorum ordine, concinendo inclamauerint: quanta etiam præconia, aduenæ & peregrini, inopes & pauperes, viduæ cum pupillis, illi applaudentes dixerint: & quantâ corporum reuerentiâ, aduentum eius salutauerint; si per singula prosequar, longum est enarrare. Postremò, vt omnium generalem, & vnanimem in eius reditu lætitiâ C concludam; omnes terræ Francorum habitatores, quasi vnum ex Apostolis susciperent, nimia cordis gratulatione iocundabantur. *Exultatio omnium de eius reductione.* *Suscipitur quasi vnus ex apostolis.*

Regressus autem dominus Apostolicus ad vrbem propriam, institutionis suæ normam, quotidie in bono promouebat. *Reuersus qualem se exhibuerit.*

Sed qualem se Deo exhibuerit, qualemque omnibus se ad imitandum præstiterit, quis digne explicare, vel quis copiâ verborum salutarium, quibus facundissimè præpollebat, enumerare; vel quis tantæ affluentiæ exuberans prolocutione, cuncta eius bona opera queat exequi? In lege enim Domini indefessè persistēs, nulla cōuersatione noxia se coinquinabat. Actus vitæ suæ, omni hora præuidens, & corpus suum, omni custodia conseruans, oculum mentis, in Domi- D no semper defixum habebat. *In lege Domini indefessum persistit.*

Pedes suos ad euangelizandam pacem dirigens, consilium & opus suum, semper ad Deum conuertebat.

Præterea, populum sibi commissum, omnimodis sacræ doctrinæ cibis reficere curabat, qui sunt animæ alimenta: quibus quicumque impinguatur, vt acceptabile ferculum mensæ Dei apponitur, & in corpus eius traiectum, vnitatem & communionem cum illo sortitur. Subiectos quoque, à consuetudine peccandi, sedula correptione & exhortatione reuocabat, & in continentia honestatis & puritatis vitæ, illos assuescere edocebat. *Reficit populū sacræ doctrinæ cibis.* *Reuocat populum à peccandi consuetudine.*

Nihil vitiosum, in domesticis suis patiebatur ex prauo vsu cōcrescere, quod vel tacita & occulta subsannatiōe posset notari, vel aperta

*Sanctius viuentes plus honorat.*

obiectione reprehendi. Erat enim spiritu feruens, sollicitudine impiger, inter diuites & pauperes medius, non potentium attendebat personas, sed potius mores electos venerabatur: & quantò sanctius vnumquemque viuere videbat, tantò illum impensius honorabat. A

*Est liberalis in pauperes.*

Pauperibus victualia dando, fœnerabatur, præstolans ab alto remunerari; vnde certus erat, nec se posse frustrari, nec aliquem vnquam inde quicquam fideliter sperasse, & confusum & inefficacem remansisse.

*Math. 25.*

Quando autem monasteria visitabat, & populum diuino sermone exhortabatur; statim eleemosina prædicationem sequebatur. Et quicquid pauperibus conferebat, quasi Deo obtulisset, lætabatur, innuens memoriæ cordis sui tenacissimè insertam illam dominicę approbationis gratiam, qua dixit: *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* B

ANNOTATIONES.

Pharamundus de sede pontificali & prouincia Traiectensi depositus atque repulsus est.] *Causas depositionis & repulsionis, vel potius fugæ eius, recitat Stephanus infra cap. septim.*

---

## *Inter alias virtutes, præcipuè humilitatem amplectitur.* C

## CAPVT V.

CVm autem ei indumenta cultiora, ex more pontificali, præpararentur; aliquoties, illis abiectis, deformibus & vilibus amiciebatur: veritus etiam in hac parte, Dei offensam contrahere, quam constat non leuis pœnitentiæ correctione, oportere expiari; vnde enim aliquibus arrogantia obuenit, ex hoc, ille sibi amicæ humilitatis ornatum adauxit.

*Sedile eius nūquam ornatur.*

Sedile eius nunquam ornabatur, sed sicut in absentia eius assidua nuditate minus spectabatur; sic in præsentia eius, illud pro aliquo ornatu nemo mirabatur, nisi fortè pro reuerentia sedentis, & sedes, pariter & sedile, venerationi ducerentur. D

*Honorem sæculi quāti faciat.*

Sic itaque animo forti militans, corpus & animam suam, Christo subijciebat, & à dextris, & à sinistris, bonorum operum protectione se communiens, & christianæ militiæ armaturâ se accingens; honorem sæculi, pompam vanitatis, dilectores suos seducentis, velut vētum & vanum somnum, aut quasi euanescentem in auras fumum, sicutque decurrentis fluminis fluxum, reputabat.

*Aduersa fert æquanimiter. Præcauet à prosperis.*

Omnia aduersa æquanimiter ferebat; prospera, casum frequenter ex securitate suadentia, peruigili custodia præcauebat.

Animi

A Animi & corporis puritatem seruabat, subditis suis in se ostendens quod timerent & amarent: amicis & fratribus monstrans, quod in se eligerent, & approbarent, & in exemplum sibi assumerent. *Omnibus est bono exemplo.*

Christianæ plebi saluberrima præcepta præbens, vrbes & municipia sibi commissa, euangelicæ doctrinæ lampade illuminabat, miserabilemque errorem Gentilium reprimens, & à cordibus eorum funditus extirpans, incredulitatis illorum frigus, fidei calore fouebat.

Itaque, his & cæteris virtutibus choruscans, rumorem suum (non cupidus gloriæ, sed mirabili vita eius illum vbique publicante) in omnibus Europæ partibus extendit; sed maluisset pro se, omni tempore latere: pro populi verò salute, gaudebat, oblitus suæ lassitudinis, vt alter Paulus per totum mundum discurrere. Sicque in fide orthodoxus, in efficacia virtutum gloriosus, in misericordia munificus, in disciplinis clemens, & viuidus, in iustitiæ defensione promptus, in gratia facilis & affectuosus, ad ignoscendum exorabilis, in pastorali cura sollicitus, cursum vitæ irreprehensibiliter peregit. *Eius nominis fama per omnes Europæ partes extenditur.*

B

ANNOTATIONES.

Cùm autem ei indumenta.] *De modestia in exterioribus, non dissimiliter scribit Nicolaus infra cap. 16.* Ipsa, *inquit*, domus pontificis, in nulla re differre videbatur, à cuiuslibet priuati mansione. *Et statim post*: Et quāuis extrinsecus in oculis hominum, ad declinandam iactantiam, moderato & competenti, nec penitùs abiecto habitu vteretur, intrinsecus tamen, caro eius vili & asperrimo atterebatur cilicio.

C

---

*Tessandris ad fidem conuersis, sollicitus est de cursu vitæ fœliciter consummando.*

## CAPVT VI.

D

QVodam itaque tempore Tessandriam, quæ erat suæ prouidentiæ pastoralis, pars non infima, ingreditur: cui hactenus Christū cognouisse, originalis, idolatria prohibuerat; à primordio enim ortus sui, illam sic occupauerat; vt crederet mundum, non nisi per idola potuisse creari, & eorum solo regimine gubernari. *Tessandria hucusque idola coluit.*

Hic vir sanctus, plurima idolorum simulachra, & templa destruxit, abhorrens parochiam suam illa diuersitate variari, vt alterno ritu, in vno loco, idolatria horribiliter sorderet, in altero; christianus cultus, fideliter & fœliciter floreret. *Destruit idolorum templa.*

Christi itaque charitate accensus, & fidei eius testimonio, non militari armatura communitus, omni idolatriæ errore sublato, fremitum

*Idolatras conuertit ad veri Dei cultum.*

mitum Gentilium oppressit, & prædicato eis sanctæ Trinitatis nomine, hactenus inaudito, innumeras infidelium turmas, de mendacio conuertit ad veritatem, de gentilitate vocauit ad christianitatẽ, de Diabolo adduxit ad Christum. A

*Omnem deponunt feritatem & induunt christianam mansuetudinẽ.*

Illi autem, qui primitus, in initio suæ euocationis, quam putabãt esse seductionem, feraliter eum discerpere voluerant: postmodum, sancti viri attendentes fixam, in eo quod cœperat constantiam, desperauerunt se posse eius obuiare veritati, qua Christum loquebatur, & obluctari eius virtuti, quam contra eos viriliter defendebat. Igitur, à feritate sua cœperunt emolliri, & à rabie cordis mansuescere, & his quæ dicebat nomis prædicator, auditum inclinare, & cordis intelligentiâ paulatim degustare. B

*Christo noui tyrocinij sui rudimenta dedicant.*

Sic beatus vir, de compressa eorum feritate, iam securior, & hilarior, euangelicis sermonibus eos erudiuit: quomodo errorem cum quo coaluerant, repudiarent, & quomodò Christo, & fidei eius, nunc noui tyrocinij sui rudimenta dedicarent, & postmodum, vt fortissimi milites, in Christi acie starent, propellentes à se incursus inimici, dolentis, contẽptâ idolatriâ, iam non esse illos, portionem sui. Sacrilego itaque ritu barbarorum demolito, fœtorem idolatriæ, odore suauissimo, quasi ex aromatibus confecto, respersit, & in fragrantiam appetibilem commutauit.

*S. Lambertus in erudiendis nouiter ad fidem conuersis seruat normã apostolicam.*

Apostolicam normam, in eorum primitijs informandis, doctrinã diuinam prædicando, seruabat, & vulnera vitiorum medicina cœlesti curabat. Regulam honestatis in omnibus custodiens, rectè arguebat, clementer delinquentibus ignoscebat, & quod docebat, implens prius, subiectos exemplo instituebat, deinde documento. C

*Sollicitus est cursum vitæ fœliciter consummare. Cogitatio mortis cæteris curis præponderat.*

Hinc de vitæ suæ cursu fœliciter consummando, non segniter sollicitabatur, propter quod erant ei crebræ vigiliæ, orationes, ieiunia, eleemosinæ consecretales, in ista sollicitudine multam consolationem præstantes. Et coronam iustitiæ expectans, & votis continuis exoptans, præ oculis cordis sui, semper diem vltimam ponebat, quæ cæteris curis exclusis, sola in animo eius præponderabat.

Huiusmodi Lambertus pontifex studijs exercitatus, diuina gratia comitante, in virtutum profectu perficiebatur, & nihil supererat quod eius perfectioni adderetur, nisi Christus in quo omnis iustus ex integro perficitur. D

## ANNOTATIONES.

Quodam etiam tempore Tessandriam. ] *Communius legimus* Taxandriam. *Est verò* Taxandria, *vt Nicolaus notauit infra cap. 10.* regio quæ à Traiectensi oppido, versus Septentrionem, vix tribus miliaribus disparatur, quæ S. Lãberti tempore adhuc idololatriæ dedita erat. *Hanc ad fidem in Christum reduxit S. Lambertus, & propterea Taxãdri Leodiensi ecclesiæ subditi fuerunt, sicut cernere licuit vsque ad nuperam episcopatuum in Belgio multiplicationem.*

*Gallus*

A

*Gallus & Rioldus affligunt familiam episcopi plurimis iniurijs: caduntur à cognatis Sancti: vindicta ab eis in S. Lambertum innocentem retorquetur.*

## CAPVT VII.

ET cùm iam Dominus, sanctum Lambertum, ad supernam gloriam vellet transferre, vt eius dignis meritis, dignam contemperaret retributionem, aduersus eum, insurgunt duo fratres, Gallus & Rioldus vocati, appetentes eum conuitijs & contumelijs, & in rei familiaris direptione, grauibus dispendijs opprimentes. *Deus permittit Gallum & Rioldum fratres in episcopum & eius familiarĕ omni iniuriam genere grassari.*

B

Præterea, non contenti pontificis iniuriâ, in eius famulos, quam cœperant in Domino, calumniam extendunt: in quibus nequiter grassantes, quicquid molestiæ suggerebat furor efferatus, sine respectu humanitatis, siue loquendo, siue feriendo, in illos contorquebant. In tantum verò processit eorum malitia, vt intolerabilis omnibus esset, quam nec illi moderari volebant, nec ab ea desistere, sed diutina infestatione eos grauiter perurgebant.

C

Cùm autem istis nullus euadendi locus pateret, & à parte illorum, parcendi spes nulla suppeteret, omnes qui pontifici dolebant ab illis derogari, sibi verò contumaciter omnimodam contumeliam irrogari, ira, calamitate, & dispendijs dictantibus, qua vindicta innocentiam episcopi, & suam defensarent, illis non iam patientiam opponentes, sed iam dudum conceptum dolorem ingerentes, occurrerunt, & mortis vltione prostrauerunt. *Nulla spes correctionis.* *Gallus & Rioldus à cognatis S. Lamberti occiduntur.*

Horum consanguineus quidam, Dodo vocatus, de primatibus palatinis vnus, vtpote Pipini ducis familiaris, abundans possessionibus, multorum seruorum, & militum constipatus obsequio, & comitatu, cùm audisset affinium neces, ad vindictam expetendam animatur, & sanguine sanguinem iudicauit vlciscendum. *Dodo parat vltionem in S. Lambertum.*

D

Et veritus sibi opprobrio reputari, si ipse summus, in inferiores personas, gladium suum deflecteret, & sanguine vilium hominum cruentatum pollueret; erexit animum, & manum, ad feriendum caput illorum, qui mortem suorum amicorum, suo episcopo deuouerunt, & persoluerunt. Quapropter, cæteris omissis, mors episcopi deuouetur mortibus illorum, & sanguis eius, sanguini eorum, decernitur refundendus.

Itaq;, collecta manu eorũ, qui sibi in patrando scelere auxilium ferrent, quid animo facinoris conceperit, indicauit, & percepta promissione praui consortij, iniquis manibus aduersus episcopum vti cœpit.

*Venit armatus Leodium villam parui tūc nominis.*

Mox, ad villam parui adhuc nominis, nec minoris verò meriti, sed magnum nomen, & magnum meritum, ex triūpho, & corpore S. Lamberti, paulo plus promerituram, quæ, Leodium dicta, fluuio Mosa alluitur, cum congestis copijs Dodo accessit: ibi vir sanctus, tunc temporis morabatur, quasi diuino præsagio edoctus, quòd hic Deo hostia accepta, mactandus occumberet. A

*Leodij in ecclesia S. Cosmæ & Damiani vir S. Lambertus orare solet.*

Illic, non in spatiosis, aut operosis ædibus, sed in paruæ vilisque clausuræ ecclesia, sanctorum Cosmæ & Damiani, insistebat orationi, certus non minus fructuosam esse orationem, in his angustis, quàm in capacibus gremijs magnæ, & principalis ecclesiæ: quod enim temporale est, ampla & profusa & lata requirit; quia voluptas mundi, paruitatem & mediocritatem refugit: & quod spirituale est, omnia æqua lance metitur; quia in spatiosis, non plus dilatatur, & in angustis, non amplius coarctatur. Ideò, sanctus pastor noster Lambertus, spiritualia à Deo petiturus, non quæsiuit alta & spatiosa, quasi altiùs Deum inuocaret, aut spatiosius his quæ daret Deus, receptorium pararet; sed hac parua ecclesia contentus, non minus de magni Dei auxilio sperauit. B

*S. Lambertus non affectat orare in speciosa & angusta ecclesia.*

*Psalm. 118.*

Hic, vna nocte, cæteris præcedentibus noctibus fœliciore, in oratione deuotior pernoctabat, præueniens illam horam, quam sibi fuisse ad vigilandum vsitatam, psalmista dicit: *media nocte surgebam, ad confitendum tibi.* Interim, Dodo infœlix, ex mortis eius oportunitate lætior factus, quia & locus, & nox, eius animos, ad perficiendum quod intenderat scelus, adiuuabant; quo sciebat, sancti viri diuersorium, nocturnus cum milite accedit. Nec mirum, quòd negligens quietem noctis, non quiescit; quia filius noctis, & tenebrarum, meditatur opera mortis, pro quibus, caligine æternæ noctis inuoluatur. C

*Dodo scit S. Lamberti diuersorium.*

*S. Lambertus excitat suos ad matutinum laudis officium*

*Ecclesiastica traditione debemus Deo laudes matutinas soluere.*

*Psalm. 94.*

Sed dum ad perueniendum moram extendit, & nox paulatim rarescentibus tenebris, pene vsque ad diluculum decucurrit, peruigil sanctus vir, ad soluenda Deo matutina laudis munia, discipulos à sono euigilat, dicens: expergiscimini; omne enim noctis spatium, sopori non est concedendum: danda est vel vltima pars Deo, quæ laudibus eius, ecclesiastica traditione debetur. Nos verò qui ecclesiastici sumus, quod ecclesia Deo tradidit, oportet nos persoluere. Surgite ergò, iam instat hora, qua psallere, & seruire Deo, secundum psalmistam, in matutina lætitia decet. D

*Eccli. 31.*

Itaque, sicut sollicitus magister pronuntiauerat, diuinis laudibus consummatis, discipuli stratis redduntur: ipse paulisper consuetis vigilijs incubat, deinde, iam instante lucis crepusculo, membra nocturnâ vigiliâ tabefacta, quod & sapientia dicit, *vigilia honestatis tabefacit carnes*: membra, inquam, vigilijs & labore confecta, lecto reclinat, potius quàm componit. Non componit vtique, quia quicquid corpus suum confouere poterat, horrori ducebat & afflictioni.

Dum

Dum verò longis, & crebris vigilijs, desuetus somnus tardiùs eius oculis refunderetur, nec obdormire posset; puer eius, nomine Baldoueus, cui creditas fuisse excubias Domini arbitramur, domo egreditur, & armatorum multitudinem eminùs aduenire conspicatur. Mox intro regreditur, & milites armatos adesse silenter nuntiat: ignoro, inquit, an nostræ obsidioni & impugnationi hæc arma afferant, an ad aliorum expugnationem veniant; sed ecce, iam imminent. Inuasit, hoc nuntio, omnem familiam grandis timor, formidantem huius armatæ multitudinis subitū incursum, & valde dolentem, quod eos imparatos inuaderet, &, vt inermes, facile extingueret. Nec fefellit eos timor, qui experti sunt paulò post, quòd veraciter & iuste timuerint, dum eis quod timebant, aduenit.

*Desuetus vigilijs longis & crebris somnus tardius redit.*

*Dodo cum suis imminet diuersorio S. Lamberti.*

### ANNOTATIONES.

1. Duo fratres, Gallus & Rioldus vocati, appetentes eum conuitijs.] *Quid mouerit hos, vt ita implacabiliter molesti essent S. Lamberto, omnibusq́; eius consanguineis & domesticis, docet clarè & fusè satis infra Renerus c. 17. Hi erant consanguinei Dodonis ab eo instigati, vt omnem quærerent occasionem lacessendi pontificem, omnesque suos domesticos, si quomodo possent per hoc animū præsulis flectere, vt saltem causa suorum desisteret à redargutione Pipini & Alpaidis.*

2. Occurrerunt & mortis vltione prostrauerunt.] *An Petrus & Andoletus cognati sancti Lamberti, Gallum & Rioldum propria manu occiderint, apud Godeschalcum hoc loco, & infra apud Stephanū cap. 9. meritò dubitari potest, quia de personis eorum, nulla fit particulatim mentio: similiter nec apud Nicolaum. Solus Renerus videtur hoc asserere. Vide illum infra cap. 17.*

3. Mox ad villam parui adhuc nominis.] *De situ & habitu Legiæ, de ecclesiola in ea per Monulphū episcopum Tungrensem, in honorem SS. Cosmæ & Damiani ædificata, de cellulis S. Lamberti in ea erectis, in quibus ipse cum suis, orationis & studij causa habitare solebat, agit clarè & fusè Nicolaus infra c. 16.*

---

## *S. Lambertus fit martyr, & suos ad martyrium exhortatur.*

### CAPVT VIII.

Dodo interim iniquus, cum satellitibus suis, appropinquabat loco, qui ex sancti sacerdotis martyrio, futurus erat insignis, & sui flagitij, futurus etiam erat perpetuus, & publicus testis.

*Appropinquat loco Martyrij.*

Et non ei (vtpotè qui ignorabat se redemptum esse signo sanctæ crucis, cuiusque redemptionis erat exors, quia iam Diabolo erat assignatus) sed quibusdam satellitum eius, visa est crux sole splendidior, fastigium domus pontificis irradiasse, ibique diutissime clarissima perstitisse.

*Non Dodoni, sed quibusdam eius satellitibus apparet signum crucis.*

*Quid illud significet.*

Quid erat causæ, salutare signum, oculis hominum reproborum A
apparuisse, nisi vt monstraretur eis, sanctum virum, quem veniebāt
cruciare, iam crucifixum esse cum vitijs & concupiscentijs mundi,
propria & spontanea districtione? Ad hoc etiam visum est hoc signum
effulsisse, vt sicut Christus interposita crucis passione, immortalitatem
in resurrectione suscepit; ita & sanctus Lambertus,
propria crucifixione, & hostili cruciatu, immortalitatem animæ
consequeretur. Itaque, non sunt territi hoc signo, quin deliberatum
scelus perficerent, fortassis cogitantes, hoc signum crucis, Lamberto
non esse præsagium salutis, sed portentum perditionis. Prauo etiam
exemplo, facinus quod facere veniebant, tuebantur, quasi dicentes, B
& sibi de faciendo scelere alludentes; sicut crux olim scelestis fuit
ad pœnam, ita nunc Lamberto scelesto, pœnam & cruciatum præsagit.
Sic signum sanctæ crucis, sinistra interpretatione peruertentes,
& hoc modo, ad mortem se pontificis adhortātes; protinus domui
eius irruūt, & clausuram munitionis exterioris, qua domus interior
cingebatur, quatiunt, illidunt, & impingunt, in quacumque parte
aditum pertentant. Impulsus, & fragor armorum, cum clamore illorū,
ad irruptionem munitionis exhortantiū, horribiliter insonat,
donec violentia hostili ingruēte, effractis foribus, curtem ingrediuntur,
iam securi, cæteras quæ supersunt difficultates, facilè superādas.

*Dodo cum suis rumpit clausuram domus exterioris.*

*Eph. 6.*

*S. Lambertus à somno excitatus subito arripit gladium quo se defendat sed confestim è manibus proijcit & sola oratione se defendit.*

Lambertus clamore illorum, fragore, ac collisione armorum
percellitur, lecto excutitur, & oblitus cœlestis armaturæ, qua *spiri-* C
*tuales nequitia* expugnantur; immemor etiam Apostolici præcepti, &
*galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei*, arripit gladiū,
& vibrato eo, non inuento hoste quem ferirer, manum continuit, &
ad se reuersus, nam mente paululum excesserat, gladium proiecit, &
hoc orationis gladio se defendit: *eripe me de inimicis, Deus meus, & ab insurgentibus in me, libera me.*

*Psalm. 58.*

*Petrus & Andoletus armis conantur hostes repellere.*

Duo autem familiæ suæ præstantiores, & apud ipsum habiti gratiæ
potioris, Petrus & Andoletus vocati, hostibus, eos impugnando,
perurgentibus, obsistere nitebantur, & ab irruptione domus, eos
arcere conabantur. Et hoc quidem pontificis dilectioni & ereptio- D
ni præstabant: sibi etiam prouidebant, quorum mors petebatur, in
vltionem illorum, quos supra sibi infestos, extinxerant, quorum
morte, Dodonis furorem excitauerant, & ad hanc expugnationem
permouerant; sciebant enim se comprehensos, non raptim, vel solo
ictu gladij interituros, sed sensim longo cruciatu, dilata tamen morte,
conficiendos; ad vltimum verò, ignominiosa examinatione, in
perniciem diu desideratam, detorquendos.

*S. Lambertus pacatissimus redditus, pacat suos propugnatores, & ad martyrium pari innocentia & voto subeundum, animat.*

Tunc Lambertus mitissimus, à præsumptione qua tentauerat hostibus
concertare, pacatissimus redditus, ait propugnatoribus suis:
si mihi vos amanti vicem amoris rependitis; quo meus amor dirigitur,
vestrum amorem dirigite: hæc nobis sit vtilior concordia,
quærere vnum summum amicum, quàm concordare in hoc, vt conferamus

feramus manus ad concertandum hostibus his: Deum vobis aman-
A dum propono, in quo me verè diligitis, si eius flagratis dilectione. Si verò eius dilectio, in vobis quamlibet tenuiter deferuescat; me nec diligitis, nec mihi pugnatis, imò, aut vestræ gloriæ, si victoria vobis cesserit, dimicatis, aut saluti, si saltem cruentam victoriam habeatis. Ad illum, post quem totis desiderijs anhelo, animos vestros erigite, illum desiderate, ad quem, quia votum est mihi per mortem venire; sit vobis etiam votiua mors accedere, quæ vos quoque mecum, sub eodem voto occumbentes, mittat ad Deum, eadem innocentia, & voto, & martyrio decoratam coronam adepturos.

Cui illi (necdū, vt ipse, deuotas morti animas habētes) respōderūt:
B nūquid impune, tuo consilio, spōtanea & votiua morte, occūbemus? Vobis certè mortuis, exprobrabitur ignauiter interisse, cū te, nobiscū occūbente, non erit qui excuset nos, dicet non defuisse nobis animi & corporis virtutē, sed credidisse tibi, promittenti mortuos nos spōte & impunitos, victuros esse cum Christo. De dilectione ad nos tibi sermo est; quod dilectionis euidentius indicium est, quam te defendere, ne pereas, & nos, non tantùm pro nobis, quantùm pro te, eripere discrimini, ne si hic occubuerimus, tu, quoad viues, seruitutis nostræ damna patiaris? Rogas occurrere morti? Rogas præripere mortem? Sed nec occurrendū est morti, nec mors præripienda est;
C quia nobis vacantibus, & manum continentibus, ipsa mors, sicut Dn̄s dixit de vltima hora, ecce prope est in ianuis: ignem nāq; minantur admouere domui, quē si nō remouemus, grauius & morosius habemus perire, quàm si gladio percussi, aut telis cōfossi, mox moriamur. *Petrus & Andoletus necdū parati sunt vltroneè se morti obijcere.*

Non mirū est, ait B. Lābertus, quod ignem minātur, qui sunt pabulū ignis, etenim ipso igne, semper arsuri, semp cōsumēdi, & sēper ad pœnā sūt reparādi. Ignis ille, iniurias nostras vlciscetur, carnes illorū, vsq; ad medullas ossiū, absumens. Recordamini verò, vos reos fuisse criminis huius, cuius nūc vltio expetitur; idcircò non subterfugiatis præsentis mortis correptione expiari, certi quod puniat Deus omne peccatū, quod ad pœnā, vel pœnitentiā, rea cōscientia non adduxit. *Horrendū est enim incidere in manus Dei viuentis*, quibus puniēdū reseruatur
D cor impœnitēs. Verùmtamen peccatū, quod spōtanea afflictio absoluit, in idipsū Deus manū vindicē non extēdit. Procedite ergò, & immolādos vos offerte, &, si iniustè immolamini, imprecationem Zachariæ occisi inter templum & altare, illis acclamate: videat Deus & iudicet. *S. Lambertus memoriam ingerit cædis in Gallum & Rioldum commissæ.* *Heb. 10.*

Responderunt ei: ingredere oratorium, & orationibus agonem nostrum tuere, & necessitatem, qua morimur in vltionem mortis duorum fratrum, conuerte in iustitiam qua vindicamus, contumeliam tuam & nostram, mortibus duorum impiorum. *Offerunt se vltroneæ morti, & agonem suū S. Lamberti precibus commendant.*

Tunc sanctus vir oratorium ingressus, sumpto psalterio, primum quem adorsus est versum, intellexit suæ pressuræ, & suorum famulorum quodammodo compatientem, & consolationis securitatem dantem: *Quoniam requiret Dominus sanguinem seruorum suorum.* *Psalm. 9.*

*Galat. 6.* Hinc, terræ prosternitur, & vtrimque brachijs extensis, crucis in se speciem conformauit, dicens cum Paulo: *mihi mundus crucifixus est*, quem prostrati corporis significatione contempserat; *& ego mundo*, quia plus amplectebatur odium mundi, quàm amorem. A

*Petrus & Andoletus reserant ostium.* *Primi occiduntur, deinde reliqua familia.* Interea, reseratis ostijs, & admisso hoste, Petrus & Andoletus, primum & matutinum sacrificium Deo immolantur: deinde, cætera familiæ constipatio obruitur, mactatur, nulla facta discretione pueri & senis, maturæ ætatis, & immaturæ. Quorum scilicet persequutorum vnus, cæteris immanior, & auidior in scelere (quasi dedignatus in loco humili aliquid immemorabile, sine laude agere) superiora domus fastigia conscendit, & in interioribus detorquens aspectum, explorat si quod præcipuum scelus sibi obueniat, quod in laudis suæ præconio, pro titulo ponat. Ad primum ictum oculorum, vidit episcopum iacentem, quasi terræ crucifixum, & non reueritus imaginatam in eo crucem, non reueritus etiam eius secretum cum Deo colloquium, nec locum, nominis sanctæ Trinitatis inuocatione consecratum, transfixit eum telo, & sic tædium huius suspectæ vitæ, conuertit ei, in votiuæ mortis compendium. Sic beatissimus Christi sacerdos Lambertus, animam cum oratione transmisit Deo. B *S. Lambertus animam cum oratione Deo transmisit.*

O fœlicem animam, quæ orando, præsentata Deo, duplicem orationis, & martyrij palmam percipit. Non indignata intercisam per mortem sibi orationem, cum qua, etsi deesset carnalis lingua, personando ascendens, inuenit sibi intentissimè aspirantem Christum. Non est verò ambigendum, angelico obsequio, eam deportatam in paradisum, vbi non solum pro suo merito, sed etiam pro angelorum obsequentium ei gratia, excelsius & festiuius, eius occursui insonuit præconium. C *Obsequio angelico deportatur in cælum*

ANNOTATIONES.

1. Et non ei, vtpotè qui ignorabat.] *Quibusdam militibus visa fuit crux ista, quibusdam non, & inprimis Dodoni non fuit visa:* credo (*inquit Renerus infra cap. 20.*) hos qui crucem videre meruerunt, Dodonem magis ex debito stipendij, & spe pactæ mercedis, & ad augendum numerum militum, quàm ex studio innocentes persequendi, & auiditate fundendi sanguinis, prosequutos fuisse. *De hac cruce vide etiam Stephanũ infra cap. 9. & Nicolaum cap. 17.* D

2. Arripit gladium, & vibrato eo, non inuento hoste quem feriret.] *An arripuerit gladium, videtur dubitasse Nicolaus infra cap. 17. vbi nulla facta gladij mentione, dicit illum, cùm iam ex clamore militum & strepitu armorum expergefactus, intelligeret se ad mortem peti, ad diuinum confugisse auxilium. Eiusdem opinionis fuit quoque Anselmus in gestis pontificum cap. 11. reliqui scriptores, vt Stephanus & Renerus, dicunt arripuisse gladium, quamuis de vibratione eius non meminerint. An verò peccârit, meritò dubitari potest. Godeschalcus hoc loco dicit illum* mente paulum excessisse. *Renerus infra cap. 21. dicit S. Lambertum*, se ob id temeritatis damnâsse, & quia illicite saltem attentauerat arma, se ante

A ante Dei oculos, congruenti addixisse pœnitentia. *Probabilius longe est non peccâsse: nam licet etiam clericis, non solum arma pro defensione vitæ suæ sumere, sed etiam occidere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt omnes docēt ad cap. vnicum de homicidio in Clementinis, & inter alios latißimè Couarruuias. Dico ergò S.Lābertū, grauedine somni & rei acerbitate attonitū; iure naturali excitāte, absq; peccato, arripuisse gladium, pro vita sua defensione, sed confestim re propius considerata, amore perfectionis, gladium è manibus proiecisse, & se ad martyrium præparâsse, vt etiam Godeschalcus & alij omnes vniformiter tradunt.*

B *Locus cædis S.Lamberti, eius sanguine sanctificatur.*

## CAPVT IX.

IGitur, cæde peracta, & cædis auctoribus inde secedētibus, locus sacro illius sanguine sanctificatus, sed pro recenti cæde, infirmis animis suspectus, sancto corpore viduatur, plerisque falsò opinantibus loci fuisse infortunium, quod hîc vir sanctus occubuerit. Qui hoc opinantur, accusant locum, & excusant interfectores, scilicet, vt culpetur locus, & interfectores, vt insontes tanti criminis, absoluantur. Corrigenda est ista æstimatio, & loca credenda sunt mortibus Sanctorum iustificari, ipsa vero nulli iustorum possunt esse infausta. C

*Locus cædis S. Lamberti infirmis suspectus.*

*Locus nulli sāctorum infaustus, sed potius illorum sanguine sātificatur.*

*Corpus exanime Traiectum defertur, & in tumba Apri sepelitur.*

## CAPVT X.

D PAuci itaque qui euaserant hostium manus, raptum corpus exanime, vili operimento contegunt, & nauigij euectione, Traiectum deferre disponunt; quæ vrbs episcopalis sedis, apud se, eum reposcebat, ex debito humandum.

*Corpus S. Lamberti vehitur naui Traiectū.*

Cuius audito excessu, priusquàm Traiectum attingeret, constipata multitudo totius regionis, vtrisque ripis Mosæ fluminis commeans, prosequebatur nauim descendentem, per decursum eiusdem alueí, ingemiscens de pastoris iniusta nece, & de pontifice, multorum sublato consultu.

*Gemitus & querimoniæ de illius morte*

O dolendum, inquiunt iustitium, quàm latè diffunderis. replens corda hominum doloribus, oculos lachrymis, ora plangoribus: insonans etiam dolenter complosis manibus! O dolendus nobis tanti pon-

ti pontificis excessus, quo viuente, omnia nobis fœliciter succedebant, & fœlicem successum, nulla aduersa infestabant! Quid morte tam acerba purgatum est in eo, in quo nullum erat peccatum morti obnoxium? Quod vixit, quod cogitauit quod loquutus est, quod operatus est, quod subiectos docuit, quod timidos corripuit, totum iustitia fuit. Ideò, quod mortuus est, iustitiæ mortuus est, quæ iam pridem terris excedens, in illo solo, vestigia suæ rectitudinis, reseruauit: hic enim in initijs suis, benè radicata bonorum operum incrementa habuit, & in medijs suis, fœcundis processibus excreuit; in vltimis verò, vberrimis fructibus abundauit: qui fructus, quia maturius quàm expediuit, morte illius nobis sublati sunt, vtinam morienti illi commoreremur, vt ex consociali morte, affectuosius intercederet pro peccatis nostris.

*Omnes tristitia & metu replentur, quia aperte non audent lugere.*

Dum talibus querimonijs, obitum sui pastoris, isti prosequuntur, interim præcurrente nuntio, omnes plateas lugubris rumor impleuit: quo impatienter animos omnium concutiente, vniuersi lugebant, omnesque tristitiâ, metuque, quia apertè non audebant lugere, replebantur. Proceres etiam, cum silentio flebant, ne accusarentur, Dodonis scelus, per inditium fletus, damnauisse.

*Defertur corpus martyris ad Basilicam S. Petri.*

Ergò, cùm corpus sanctum, in portu, naui expositum, feretro susceptum esset, basilicæ S. Petri tumulandum fertur. Porrò, clerici cum hymnis, populus cum lamentis, excubias vicissim ibi egerunt, noctem peruigiles ducentes.

*Reconditur in tumba patris Apri.*

*Tumba fit celebris propter miracula quæ ad illam fiunt.*

Crastino autem die, non audentes in decorando honesto cultu sepulchro eius, immorari, in tumba patris eius Apri ibidem quiescentis, non tam condiderunt, quàm absconderunt; & superiecto grandi lapide, non tam cooperuerunt, quàm compresserunt: omnique penè ciuitate ad visitandum sepulchrum eius ruente, concurrente etiam, de longinquis partibus, innumera multitudine, venerationi erat omnibus, de miraculis quibus assiduè pollebat, celebris; sed celebrior de nomine martyris, quod in magna laude, post apostolicum nomen, secundo assumitur loco, quamuis apostolico nomini accedat ad perfectionem & ornatum nomen martyrij.

ANNOTATIONES.

1. O dolendum, inquiunt, iustitium, quàm latè diffunderis. ] *Intelligo iuris dicendi intermissionem longè latèque factam tunc fuisse, vt fieri solet in publico luctu & grauibus ecclesiæ calamitatibus.*

2. Proceres etiam, cum silentio flebant, ne accusarentur Dodonis scelus, per inditium fletus, damnauisse. ] *Godeschalcus hoc loco meminit sceleris Dodonis, commissi in S. Pontificem, & illius iræ, quam propter hunc solennem luctum, concipere contra illos poterat, meminisse potius debuisset sceleris & adulterij Pipini, & vindictæ, quam ille multò Dodone potentior, concipere potuisset: sed Godeschalcus, sicut & postea Stephanus ep scopus scribentes, iudicarunt fortè expedire, nullam Pipini mentionem facere, ne Martellus, aut alij proximi parentes exacerbati*

A *cerbati, ecclesiæ Dei forsan officerent. Meminit verò disertè illius Nicolaus infra cap. 18, his verbis:* Sed tantam lugentium multitudinem, subitus rumor grauiter conturbauit: dicebatur enim, nec id vanum, Pipinum, eiusque domesticos, valde super hoc indignari. *Et paulò post:* Exterritis itaque omnibus, maximè quia Pipinus non longe aberat, communis planctus in silentium vertitur. *Et paulò inferius:* Quapropter, hi qui potentiores inter eos videbantur, & penes quos specialiùs erat eius exequiarum cura, accepto ad inuicem consilio, statuerunt, ad mitigandã principis indignationem, sepelire eũ in loco humili, minori quidem apparatu quã exigeret dignitas tanti sacerdotis & martyris.

B

---

*Angeli modulatione dulcissima celebrant exequias & laudes B. Lamberti martyris.*

## CAPVT XI.

ANgeli Dei, interea monumẽto eius incessanter assistẽtes, & sua illum laude celebrantes, adinstar vocis ipsius beatissimi martyris, modulatione dulcissima, resonabant. *Angeli celebrant laudes S. martyris Lamberti.*

C Multi verò, quibus ante mortem eius, vox ipsius fuerat nota, admirabantur sonum viuentis hominis, post mortem eius, voce illius exprimi, & non attendebant, angelos excubijs eius obsequentes, id facillimè posse imitari. Quod audientes, & vix angelos esse intelligentes, qui in eius erant coniubilatione frequentes, introire basilicam cupiebant; sed quodam terrore retrocedentes, resiliebant. Et cùm eidẽ sancto loco, vt certius & apertius, auditas voces intelligerent, rursus appropinquarent; mox voces psallentium, intermissa modulatione, spontaneo silentio interclusæ comprimebantur: & cùm longius se summouerent; mox, ad auditum eorum, redibat an- *Qui audiunt concentum angelorum & qui non.*
D gelicus cõcentus, & sic procul refugientes, damnabant ipsi immoderatam suæ deuotionis instantiam: etenim intermissa Angelorum dulcis melodia, innuebat quod nollet importunum assistentium conuentum, qui præsumptuosè & præsentialiter considerarent angelica circa sanctum martyrem ministeria. Itaque, illis longè absentibus, sicut dictum est, dulciter cantus resonabat, sicque famulatus angelicus permanebat.

O creatoris humani generis ineffabilis potentia, quis inuestigare possit, quomodo tam prouidenter vniuersa disponis? Sic fidelibus tuis fidelis remunerator intendis, vt non solum animas, quibus solis post mortem, restat remuneratio, sed & corpora eorum, quæ vitali spiritu exuta, pro sola munditia præteritæ vitæ sunt veneranda, *Deus honorat corpora defunctorum etiam in hac vita.*

angelicâ custodiâ tuearis, & tuis exequijs, membra in tumulum cõposita, prosequaris. Quod non fastidio affectus, vt nos homines, facis & desistis; sed Angelorum ministerio, qui nequeunt & nesciunt fatigari, omni tempore, infatigabiles excubias, in custodiendis fidelibus tuis, impendis, promissa tua fideliter adimples, qui omnibus tuæ veritati fidem accommodantibus, & tuo testimonio in sanctæ fidei professione, & defensione acclamantibus, vsque in finem sæculi, te præsentem affuturum esse, & illis cooperaturum promisisti, qui viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. A

*Math. 28.*

### ANNOTATIONES.

1. Angeli Dei interea monumento eius incessanter. ] *Angelos honoraſſe S. Lamberti monumentum eiusque reliquias laudibus, quotquot de eo scribunt, asserunt. Stephanus infra cap. vlt. Nicolaus cap. 18. Renerus cap. 23. Aegidius aureæ vallis in additionibus ad Anselmum cap. 11. vt vere de eo cantare possimus, quod de S. Martino canit ecclesia:* B

Cœlum diues ingreditur,
Hymnis cœlestibus honoratur.

*Et tamen Lutherus, Caluinus, & eorum asseclæ, reliquias Sanctorum non tantum contumelijs afficiunt; sed etiam ne quis eis honorem exhibeat, exurunt, & in aërem vel fluuios dispergunt.*

2. Vt non solum animas, quibus solis post mortem restat remuneratio. ] *Hic habes animas statim à morte remunerari, quod hodie Nouatores negant. Quod verò auctor dicit solis animabus post mortem restare remunerationem, non sic intelligas, quasi corpora nostra non sint aliquando cum anima glorificanda (ille enim intellectus notoriè hæreticus est) sed intelligas corpora ante resurrectionem non beatificari, quamuis multis modis à Christo, etiam ante resurrectionem, honorentur, sicut & honorat ecclesia, vt hic vides.* C

3. *Nota Godeschalcum, qui timore humano, veram martyrij S. Lamberti causam scribere ausus non fuit, nihilominus per quàm diligenter, hisce sequentibus capitibus, vsque ad finem, describere illius sanctitatem, vel verius signa, quibus Deus sanctitatem B. viri patefacere voluit, sicut etiam diligenter & accuratè describit irã & vindictam Dei, qua vsus est contra Dodonem & eius complices, sancti viri interfectores, ad manifestandam mundo illorum iniustitiam & iniquitatem.*

D

## *Oratoriũ SS. Cosmæ & Damiani, in quo S. Lambertus passus est martyrium, pluribus illustratur miraculis.*

## CAPVT XII.

*In oratorio SS. Cosmæ & Damiani crebrius luminaria diuinitus accendũtur.*

POst hæc, in præfata villa, Leodio, intra oratorium, vbi sanctus Dei fœlicem fudit cruorem, luminaria diuinitus accensa resplendebant crebriùs, ita vt omnis domus illa, quasi solis radijs refulgeret.

Itaque, remanserat ibidem pecten pontificis optimus valde, quem mulier quædam inuentum, cupiditatis stimulo agitata, rapuit, atque

in

in propriam contulit mansionem. Quadam autem nocte, apparuit A per visum beatus Lambertus marito eius, nomine Theodoino, & blando eum compellans sermone, reddat, ait, vxor tua pecten nostrum, quem retinet iniustè. Ille à somno euigilans, ordinem visionis coniugi, narrauit. Illa autem, hunc visum pro nihilo habens, absque timore vtebatur illo. Postmodum, secundò apparuit præfato Theodoino, & cum magna interminatione, eadem quæ prius mandauerat, ingeminando subnexuit, & quasi e naui exiens, baculo subnixus, illum improuidum percussit in pectore: cui mox vulnus insanabile apparuit in ipso percussionis loco, & manauit ex eo tabes cũ sanguine mixta. Tunc cum dolore reddidit, quod cum violentia vsurpauit post admonitionem retinere.

*S. Lambertus apparet cuidã Theodoino.*

*Repetit pectinẽ iniuste sublatũ ab eius vxore.*

*Secundò apparet & violenti pectinem retinere vulnus infligit.*

B Præterea, in supradicta villa Leodio, cæcus quidam erat, nomine Baldigislus, qui admonitus est per visum surgere, & excubare ad locum, vbi viri Dei, pro Christi nomine, sanguis effusus est. Experrectus à somno, lumina oculorum recepit, quasi nunquam his caruerit, & ad iniunctam sibi obedientiam perficiendam, studiosius accurrit, magnificans Deum, & beatum Lambertum, per cuius meritum, lumina vitæ præsentis recepit.

*Baldigislus cæcus in loco martyrij visum recepit.*

Item, alius vir, eiusdem loci indigena, nomine Raginfridus, luminibus capitis amissis, admonitus similiter in somnis, emundare locũ pro sancti pontificis martyrio reuerendum, vbi se, ad hoc opus incipiendum accingit, lumen recepit, & denuò deuotissimum mancipium, C huic se loco, dum vixit, addixit.

*Item quidam Raginfridus.*

Quibus auditis, cœperunt multi de longè, & de vicino, venerationem debitam sancto Dei exhibere, & eundem locum reuerenter frequentare, studioseque ei, quasi præsenti deseruire, & suis eum necessitatibus aduocare.

*Locus martyrij a multis reuerenter frequentatur.*

Postmodum, ibidem populus cœpit eius honori & nomini ædificare, (ex virtutum illius magnificentia, & admiratione animatus) honesti cultus ecclesiam, quæ ad augmentum dilatandæ gloriæ eius, multùm profecit; vt quamuis ille locus, eius careret corpore, tamẽ & ex ædificio ecclesiæ pateret, & ex meritis, & miraculis ipsius, quod ibi semper præsens esset. Quod non ideò factum est, quasi non nisi D ecclesiæ adiutorio, posset eum Dominus famosum facere omni mundo; sed, vt populum, præ oculis habitâ ecclesiâ, faceret illius memorem esse: faceret etiam deuotiorem, & frequentiorem, in eius expetendis suffragijs.

*In eodem ædificatur ecclesia*

*Quare Deus voluit ædificari ecclesiam.*

In illis diebus, quædam virgo cæca, nomine Oda, auditis virtutibus sancti martyris, fide adducta, sanctũ locum, eius miris operibus præclarum, adijt: vbi nomen eius cum auxilio inuocans, quod ex intimo corde poscebat, consequi sine dilatione promeruit, lumen scilicet oculorum, quod eatenus natura negante, imperfectam se planxerat, ab ortus sui tempore.

*Quædam Oda cæca peregrinans ad eundẽ locum, visum recepit.*

Ex hoc etiam miraculo euocatus, maior aduenit, ad nouiter ædificatam

*Audito hoc miraculo maior fit ad ecclesiã concursus*

ficatam ecclesiam, populi concursus, in laudes sancti excolêtes eam, in qua eis indeficientem, Deus constituerat eius memoriam: in qua etiam fideles, & deuoti in timore Dei, artifici opere, fabricatũ collocauerunt eius lectum, qui ex sacris artubus illius sanctificatus, suam etiam promerebatur venerationem, & in ipso martyrij illius loco, statutus omnium cultui, & medẽdæ infirmitati languentiũ, patet expositus. Ibi omnipotens Deus, magna & innumerabilia virtutum insignia, per sanctum suum martyrem, quotidie operatur: qui viuit, & regnat, per omnia sæcula sæculorum. A

*Collocatur in ecclesia lectus artubus S. Martyris sanctificatus.*

ANNOTATIONES.

1. Luminaria diuinitùs accensa resplendebant.] *Consequenter idem asserit Stephanus & Nicolaus cap. vlt. Renerus cap. 25. vt verè ab Angelis S. Lamberto factum canere possimus, quod Paulinus S. fœlici ab hominibus factum, decãtat his versibus:* B

Aurea nunc niueis ornantur lumina velis:
Clara coronantur densis altaria lychnis:
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant: sic nox splendorque diei
Fulget, & ipsa dies, cœlesti illustris honore,
Plus micat, innumeris lucem geminata lucernis.

2. Remãserat ibidem pecten pontificis optimus valdè.] *Deum honorare non solum corpora defunctorum, sed etiam res eorum minimas, vides hoc exemplo. Simile quid habet Eusebius lib. 7. hist. c. 15. quicquid rideant nostri Nouatores.* C

## *Vltio diuina de Dodone & eius complicibus.*

## CAPVT XIII.

*S. martyr apparet Amalgisilo & diuinã de Dodone & complicibus vindictam instare praedicit.*

POstea, anni circulo expleto, in visione nocturna, sanctus Lambertus thesaurario Amalgisilo (qui olim iudex eius fuerat) apparuit, & cum eo leniter loqui cœpit. At ille, causam aduentus eius diligenter percunctari cœpit: Sanctus autem Lambertus, respondens dixit: visitatum reliquias Petri & Pauli Romam adiuimus, & reuersi, de amicis nostris, Dodone & socijs eius, iustum iudicium facere solliciti sumus; nam tempus est, vt debitum exsoluant. Visionem autem & verba huiusmodi, opera confestim sunt sequuta. D

Dodo enim, qui princeps, & primus necis Lamberti episcopi fuerat, vltione diuina percussus, omnibus intestinis putrefactis, & horribiliter egestis, infœliciter pessimam vitam finiuit, & in profundum inferni detrusus, cruciatus æternos perpetitur. Satellites autem eius, consanguinei crudeles, qui opere & cosẽsu, eius feritati

tati subseruierunt, tumultuosa seditione inter se concertantes, in-
A uicem se interfecerunt. Ille autem qui specialiter sanctum virum transpunxit, à germano suo, crudeliter interfectus est. Alij autem à Dæmonijs vexati, & diuerso genere vocum vlulantes, quæ humanus auditus contremiscebat audire, Lamberti nomen, & auditu eis erat intolerabile, & pronuntiatione ineffabile: & paucis eorũ, expleto anno, euadentibus; cæteri omnes pessima et infami morte præuenti, miserrimam et amarissimam vitam abruperũt, et igni perpetuo deputati, Diabolum et angelos eius habent consortes in pœna, quos habuerunt impulsores, et persuasores, in tam nefanda culpa.

B Sanctus autem Lambertus, insignis martyr, palmâ victoriæ coronatus, cum Angelis et Archangelis, et cum omnibus semper exultat in sæcula sanctis.

ANNOTATIONES.

Dodo enim qui princeps.] *Godeschalcus diligentius describit vindictam quã Deus de Dodone tyranno sumpsit, reliquis scriptoribus, Anselmo, Renero, Aegidio, & alijs, qui eum sequuti sunt.*

---

C *S. Hubertus diuina admonitione, corpus S. Lamberti martyris defert Leodium, choruscantibus multis miraculis.*

## CAPVT XIIII.

SVffragante Deo, narrare volumus, quod nuper, post aliquot annos, Sanctus Lambertus cuidam viro venerabili apparens, dixit corpus suum Leodium transferri oportere. Hoc idem sacerdotibus & fidelibus viris, Deum timentibus, multimoda visionum apparitione reuelatum est. *Deus pluribus visionibus significat corpus S. Lamberti Martyris Leodium deferri debere.*

Sanctus autem Hubertus, quondam illius discipulus, illo tempore pontificatum procurans, auditis, cum prædictis miraculis, his
D visionum præceptis, cum timore Dei, omnem rei certitudinem sciscitatur, & cognita veritate, scilicet, quod Dei nutu hæc disponi constaret, bonorum virorum annitente adiutorio, & consilio, deliberauit, vt absque dilatione, corpus sanctissimum, ad locum prædestinatum, cum magno honore deferretur. Præparauit etiam indumenta cultiora, & omnia quæ essent necessaria, in sacratissimi corporis diuersis impendijs: & accessit illuc cum multorum sacerdotum, & omnium ecclesiasticorum graduum comitatu, & cum christianorum multorum frequentia, qui secundum ritum diuinæ religionis, psalmos & hymnos decãtarent. At venerabilia mẽbra Christi martyris, odore suauissimo fragrantia, Hubertus pontifex salua et intemerata inuenit: quæ cũ timore et honore, imo de sepulchro eleuãs, *S. Hubertus episcopus defert Leodium corpus S. Martyris.*

prætiosis vestimentis inuoluit: ea vero, quibus fuerat tempore sepulturæ indutus, sub sigillis signata, reposuit. A

*Plures audiũt Angelos sancti martyris laudes concinẽtes*

Hinc inde, fratrum fideliter psallentium chori, suauissima organorum & cymbalorum modulatione, concinebant, & hinc angelica agmina psallentia, & de triumpho sancti martyris Deum laudantia, ab idoneis testibus, & visa, & audita sunt.

*Luctus & querimoniæ Traiectensium de ablatione corporis sancti martyris.*

Et populus Traiectensis concentu & gemitu, antiphonarum quoque lugubri prosequutione, concrepuit præ magnitudine mœstitiæ, vix hæc sequentia lamenta prosequens; ô pastor bone, cui hanc plebem seruandam committis? ô dulcedo pauperum! ô fortitudo debilium! ô lumen oculorum! ô sustentaculum nutantium, noli deserere eos, quos diuinis verbis & exhortationibus spiritualibus, more patris filium corrigentis, consolabaris. B

His dictis, turba multa sanctum Lambertum prosequebatur Leodium petentem.

*In pago Niuella cæcus illuminatur.*

Refocillata autem plebe, in villa Niuella vocata, contigit cæcum quendam, cupientem feretrum sancti corporis tangere, & spe recipiendi visus illuc aduenire: & antequam feretrum attingeret, visum recepit, & cum magnis vocibus gaudium cordis sui demonstrans, & laudibus, per Deum sanctum Lambertum omnia posse denuncians, pariter cum populo, corpus eius subsequebatur.

*Contractus viso S. martyris feretro, sanatur.*

Exinde procedentes, continuato itinere, in villam Harmalia dictam, deuenerunt: vbi pauxillum eis quiescentibus, ad augendam populi fidem, & famam sancti sui personandam, allatus est contractus in locum: qui cum aspexisset feretrum, subito omni compagine mẽbrorum solidata & confirmata, prosequutus est illud, & omnis populus glorificabat Deum. C

In præfatis autem locis, vbi Deo annuente, hæ virtutes patratæ sunt, à fidelibus & deuotis Christianis, basilicæ venerabiles in honore S. Lamberti, ædificatæ sunt.

Post hæc, ad optatum locum appropinquat.

*Magnũ S. martyri exstruitur templum.*

At omnes habitatores loci illius gaudentes, in occursum sancto corpori (quod diu desiderauerant loco passionis reportari) exeuntes, cum magno honore suscipiunt & condignum ei parant diuersoriũ, intra septa clausuræ suæ complectens martyrij eius ædiculam: quod opere artificum mirabili, & copiosa mole auri & argenti & gemmarum lapidumque prætiosorum, ac diuersis structuræ speciebus, ibidem à potentibus collatis ditatum est, in tantum, vt vix sermo exarantis queat exponere: ibique, vt decebat, vrbana & honesta memoria, ex ipsius sancti martyris præsentia, exorta est, vt omne decus, & speciosa compositio, non solum in clero, sed etiam in plebe cœpit haberi, & in Dei veneratione, populus qui ante erat agrestis, & incultus, paulatim cœpit esse compositus, timoratus, & religiosus. D

*Ex præsentia corporis incipit populus esse vrbanus & religiosus fieri.*

Hunc locum, vndique conueniens multitudo nationum, celebri laude nobilitat: hunc deuotio christiana frequentat: hunc omnis lingua

A lingua celebrat: hunc, pro meritis tanti patroni, grex in omnibus suis pressuris adiutus, glorificat, beatificat, & longè lateque prædicando dilatat.

*Celebratur locus martyrio S. Lamberti consecratus.*

Hic cæci lumen recipiunt, claudi gressum, leprosi pruritu & scabie mundantur, paralitici à læsione sua curantur, à Dæmonibus vexati, emundantur, & quicumque sunt aliqua debilitate dissoluti, reparantur.

*Frequentia in eo miracula.*

Sed si quis sigillatim omnia mirabilia, quæ ibidem Deus, per merita sancti Lamberti, assiduè operatur, aut gesta sunt, nota facere voluerit, fastidium legentibus suscitabit.

Paucis vero, quæ de vita & virtutibus eius narrauimus, omnes B auditores, fidem certam præstare debent, dum hodie, iuxta tumbam eius, in argumentum rerum probandarum, cippi fracti ostenduntur, & plurimæ catenæ & compedes rumpuntur: claudi gressibus solidatis exiliunt: diuersis infirmitatibus deformati, vigore sanitatis reformantur, omnique languore de corporibus, & animabus abstracto, incolumis quisque et absolutus, et præsenti sospitati, et futuræ sanitati, præparatur.

*Miracula quæ ætate auctoris fiebant, fidem faciant prænarratis.*

Cùm autem, intercedentibus temporibus, quæ nulla annorum prolixitate nostram memoriam fugiunt, multa miraculorum sint C gesta prodigia, quis modo digna æstimatione ea comprehendat, quāta et qualia, per prolixa temporū spatia, erunt gerenda? Nunquam enim, iuxta præsulis atque gloriosi martyris tumbam, vsque in hodiernum diem, signa et mirabilia fieri cessant, per auxilium Domini nostri Iesu Christi, qui cum patre viuit et regnat Deus, in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum: Amen.

*Auctor proximus fuit temporibus Martyrij S. Lamberti. A tempore Martyrij S. Lamberti vsque ad tempora auctoris nūquam cessarūt miracula ad illius tumbam.*

*Sigebertus de illustribus ecclesiæ scriptoribus cap. 126.*

STephanus ex clerico Metensi episcopus Leodiensis, vitã & passionem sancti Lamberti scriptam incultius à Godeschalco clerico, scripsit vrbanius ad Hermannum Coloniæ archiepiscopum, & cantum nocturnum in honore eiusdem martyris: Canticum etiam de sancta Trinitate, & cantum de inuentione Stephani prothomartyris, autentico & dulci modulamine composuit. Scripsit etiam ad Robertum Metensem episcopum, capitularem librum, in quo, capitula, responsoria, versus, collectas, per singulas noctis & diei horas, per integrum annum, distincte congessit.

*Idem in Chronographia anno 903.*

FRancone Leodiensium episcopo mortuo, Stephanus episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientia clarus, qui vitam & passionem S. Lamberti martyris, ad Hermannum Archiepiscopum, vrbanius edidit, cantum quoque nocturnum de eodem martyre, cantum quoque de Sancta Trinitate, & de inuentione S. Stephani protomartyris, dulci & regulari modulatione, composuit.

*Anselmus in gestis pontificum Leodiensium cap. 38.*

STephanus episcopus vitam S. Lamberti antiquitus dictatam simpliciter, vrbani sermonis facetijs expoliuit, simulque responsoria cum antiphonis, quæ in eius solemnitate cantamus, composuit.

*Desumpsimus hæc Stephani scripta ex vetusto M. S. C. ecclesiæ collegiatæ S. Petri Leodiensis, nulla styli mutatione facta.*

A

## STEPHANI EPISCOPI LEOD.

# GESTA S. LAMBERTI

## PONTIFICIS ET MARTYRIS.

Floruit hic Stephanus, anno Domini 903.

### EPISTOLA DEDICATORIA.

DOmino patri Hermanno Archipræsuli, Stephanus humilis Tungrorum episcopus.

B Cùm quotidie aliorum explorari concertetur actio, ac si quid reprahensibile infuerit, maculare non differat probrosa intentio: detergenda penitus definitur culpata contagio, per quam & blasphemantium iam cesset cachinnalis irrisio. Nam à quibusdam nobiscum agentibus festum sancti Lamberti. qui literariâ videbantur sibimet scientiâ præditi, non minimum sumus despectuosis risuum iniurijs lacessiti, quandoquidem priscorum haud quaquam Cato cloquio edita, legebatur apud nos præfati patris vita, & passio, atque nulla propria officiorum cantabatur modulatio.

*Quidam videbāt quod vita S. Lamberti legeretur minus culto eloquio descripta.*

C Abhinc, sanè frequenti fratrum nostrorum precamine rogatus, sæpissimis vicibus extiti coactus, ea omnia suscipere innouanda, proprij impensione sensûs, notamque huius infamiæ, à nobis propellendam omnibus. Illis verò super hoc multimodè argumentantibus, & agendum quam plurimorum similitudine stipulantibus, animum reuocans, restiti mente affixus, idque quod monerent, an bonum foret, procera hæsitatione, intra memetipsum quæstus.

*Stephanum episcopum rogant vt hanc infamiæ notā ab ecclesia Leodiēsi propellat.*

*An bonū sit de S. Lamberto scribere auctor secū examinat.*

D Eccè tandèm anguis syllogismicus, per flexos globos, latè sinuatus, linguisque trisulcis squamea colla tumidus, lumina mei cordis infundendo mersus, huiusmodi dialecticæ nuncius mihi adstitit, fatus: omne, inquit, bonum, vtile: & omne vtile, bonum. Vtile bonum, nullum malum: nullum malum, vtile bonum: nullum bonum, omne malum: omne malum, nullum bonum. Ergo creatorem in suis sanctis laude celebratum, celebranti creaturæ, in suis studijs, vtile bonum: quodque meliorādo optimum, nullum probatur existendo malum. E contra, quod absit, (nam sors omnia versat) negligendo, relictum amborum esse, nullum continet bonum.

*Dialectico syllogismo cōcludit bonū esse.*

Tum equidem ei veracius credens, quæ vera à falsis, iugi more, solet esse secernens, aliquid monitæ vtilitatis consequi ex eo malui gestiens, quàm muti tenacitate silentij, laboris fructu carere negligens. A

Hoc itaque deliberatiui generis consilium, magis eligendo, pertractans, inuoco.

Non Dryades Nymphas, nec clamito Naiades,
Carmina quæ prodant, versus & commata dedant,
Nec peto Mercurium, lingua, sermone superbum,
Qui pennata ferat citius discurrere verba:
Sed verum Dominum, cunctorum supplico Regem, B
Omnia qui tribuit, nunquam dispendia sentit;
Famine cuncta iubet, nil prorsus iussa retardant:
Arce poli residet, terram pontumque gubernat:
Omnia sic penetrat, ceu pugno cuncta recludat.
Is pater & proles, nec non & spiritus almus:
Subsistens trinus, sed substans creditur vnus:
Personas numerat, nam subsistentia, ternas:
Esse tamen proprium numerat, substantia nullum:
Det pedibus lucere meis, det lumina cordis,
Auxilium misero dignetur dedere vernæ. C

*Stephanus scribit responsoria noua cum antiphonis.*

Enimuerò, neq; fastu superbiæ tumẽs, neq; quem quã patrũ cõtẽptui habens: quinimò prælibatæ vtilitati parere libens, stylo præpollentioris ingenij eandem acceleraui comens. Exinde, musicæ artis ratione authentica, subnectuntur cum antiphonis responsoria noua, in quibus ordini lectionum respondet series tonorum; quatenus sibi æquando, extendi queat numerus horum. Adhuc etiam animi nisu extat delectabile in tanti patroni immorari laude.

Cantica quapropter, musæ decompta lepôre,
Succinctim replicant, ac eius gesta renarrant. D

Quæ omnia, pater, tuo sensui corrigenda committo.

Notitia veri, qua nunquam fallere nosti:
Falsa sed exuris: prosternere cuncta moliris.
Quæ maiora fide debent, quam sensus, haberi.

Quocirca, in soliditate tui pectoris, iã requiescat meæ vacillatio mentis, viritim defensa (si quidem meretur) pedo tuæ pastoralitatis: sin autem, secretim castiga leni virga tuæ paternitatis.

A

STEPHANI EPISCOPI LEOD.

# GESTA S. LAMBERTI PONTIFICIS ET MARTYRIS.

*Prosapia sancti Lamberti, eius pueritia & iuuentus.*

## CAPVT PRIMVM.

IGitur, gloriosus martyr Lambertus, & æterno regi sacerdos dilectissimus, insigni ex prosapia, Traiectensi vico, extitit oriundus. *S. Lambertus ex prosapia nobili ortus.*
B Hic denique puerulus, apud parentes christianissimos degens, & bonæ indolis esse incipiens, primæuam statim ætatulam, vndâ sacri baptismatis purificatam, Christo Domino consecrauit: seque totum adhuc, prout nouit & valuit, diuinis voluntatibus mancipauit. *Adhuc puerulus baptizatur. Mancipat se totum diuinæ voluntati.*

Qua de re, cœlesti gratia præeunte, eius affines vnanimiter decreuêre, vt quem à pueritiæ annis, vita illustrabat sanctitatis, auctoritas erudiret literalis, iuuaretq;, perducens ad fastigiũ summæ perfectionis. Huius itaque consilij dispensatione reperta, imò eam Dei disponente clementia, puer formâ conspicuus, sensu docibilissimus, peritissimis viris traditur erudiendus. Ecclesiastica religione admodum insignitur, & cœlestium mysteriorum igneo amore penetrabiliter inflammatur: tantoque celerius liberalium fluenta artium epotauit, quantò ardentius, in amorem Dei, totum se olim transfudit. Nec celantur ei quæcunque obscura geruntur: quoniam ad discendum nulla mora est, vbi Spiritus sanctus doctor adest. *Affines decernunt tradendũ literis sacris. Inflammatus amore Christi, cito discit artes liberales.*
C

Instructus tandem diuinis dogmatibus, & vbertim vigoratus monasticis, sanctionibus, destinauit corde puer bonæ indolis, regredi ad domum genitoris. Quod sagaci animo concepit, ad effectum actionis vsque perduxit. *Redit ad domum patris.*

Tunc benignissimus pater, charissimum pignus excipiens amabiliter, intellexit, spirituali mente, non mediocriter eum transcendere annos pueritiæ. *Mutua patris & filij congratulatio.*

D
Gaudebant ambo, Lambertus honore paterno,
Et pater insignis Lamberti ex actibus almis.

Equidem, puer strenuus nitẽs totis viribus fieri vir perfectus, iuxta psalmographi vocem; *ibat quotidie de virtute in virtutem*: præparans se ad illa peragenda, quæ incommutabilis Dei prouidentia, per ipsum, ante tempora sæcularia, fieri prædestinauit opera. Quamquam iuuenis esset ætate, morum tamen grandæuus probitate, iactantiam vitabat, pompam sæculi viriliter conculcabat. Quicquid habere poterat, pauperibus erogabat: condens cœlo thesauros, vbi possideret eos, cùm solutus fœliciter à transitorijs, viuere fœlicius inciperet mansuris. *Psalm. 83. Virtutes iuuenilis eius ætatis.*

ANNOTATIONES. A

1. Et æterno Regi sacerdos.] *S. Lambertum sacerdotio initiatum fuisse, docet pluribus locis Godeschalcus sup. & consequenter alij vitæ illius scriptores. Porro illum frequentius solitum esse sacrificare Deo, docet Stephanus infra cap. 4.* Nec vacabat, *inquit*, à missarum solemnijs, celebrans memoriam salutiferæ passionis.

2. Primæuam statim ætatulam, vndâ sacri baptismatis purificatam, Christo Domino consecrauit.] *Nicolaus infra cap. 1.* Parentes, *inquit*, B. Lamberti, ecclesiasticis eum ministerijs, non sine diuina prouidētia, disposuerunt: quod etiam ipsius pueri beata spirare videbatur infantia. *Et clarius Renerus infra cap. 2.* Vnde pater eius, non ingratus Deo, B qui tantum sibi de filio promittebat, diuinæ voluntati suam contemperat voluntatem, & filium diuino mancipat seruitio, ad quod iam eum quodāmodo videbat aspirare. *Lambertū verò baptizatum fuisse à sancto Remaclo, docet Aegidius aureæ vallis in additionibus ad Anselmum cap. 5. his verbis.* Cuius, *scilicet Lamberti*, pater vir nobilis, & illustris, & Regum lateralis Aper, puerū ex ingenua vxore Hysplinde habuit, illumque ad baptisandū viro Dei Remaclo tradidit, eiusq; in baptismate spiritualis existens pater, nomen Lambertus, ei imposuit.

---

*Commendatur Theodardo episcopo, & ab eo sacras discit literas.* C

## CAPVT II.

*Theodardus pontifex Traiectensis.*

EOdem tempore, Ayus pontifex Theodardus, & clarissimus Christi martyr futurus, vir sacerdotali reuerentia plenus, & coram diuinis conspectibus sacerdos beatificandus, in memorato superius vico, episcopalem administrabat dignitatem. Huic; memorabilis adolescens Lambertus, nobilitate cluentissimus, forma corporis elegantissimus, commendatur, in aula regia educandus: vt velut prætiosus lapis, multiplicibus poliretur augmentis, & competens fieret cœlestibus ornamentis. D

*Illi cōmendatur S. Lambertus.*

*S. Lambertus solerter adhæret magisterio Theodardi Ephes. 6.*

*Studet sacris literis.*

Tunc sane, columba Christi, sine felle amaritudinis, Lambertus videlicet, alumnus laudabilis, solerter adhærens magisterio præfati antistitis, cœpit illum venerari sicut dominum, diligere quemadmodum patrem charissimū, & in cunctis actibus obsequi, iuxta edictum Apostolici, ceu decebat seruum Domini. Enimuero ex tanti patris consortio, replebatur propensius gratia, ditabatur locupletius sapiētia, augebatur quotidie meritorum affluentia.

Quod idem antistes tacito cōtemplans, & subtili indagatione perscrutans, quantus, qualisque foret, intellexit: ideo totum se in eius amorem transfuexit, vtpotè in dilectum hæredem, & gratissimum successorem. Adeptus siquidem magni sacerdotis amorem, & edoctus

ctus admodum tenerè monita scripturarum, implebat duplex charitatis præceptum, diligens *tota mente Deum*, amplectensque *proximum*, integro amore, *sicut seipsum*, parui pendebat præsentia, veluti deuouerat in pueritia: æstimans pro nihilo omnia, præter quod erat æternæ salutis gratia. Cœlestibus animo inhiabat: sese in holocaustum illi mactabat, qui ei singulare desiderium factus erat. *Math. 5.*

A

### ANNOTATIONES.

1. Ayus pontifex Theodardus:] *Nullus scriptorum præter Stephanum, quem hucusq; videre licuerit, meminit huius nominis* Ayus: *fortè proprium fuit, & Theodardus cognomen vel forte fuit binonimus.*

B

2. Huic commendatur Lambertus:] *Lambertum illi in sacris literis & disciplinis ecclesiasticis commendatum fuisse, eoq; præceptore vsum, omnes scriptores post Godeschalcum tradunt.*

---

## *Occiso ab impijs Theodardo, S. Lambertus in episcopum consecratur.*

## CAPVT III.

C

POstquam verò ab impijs interfectus, palmam beatitudinis, sanctus percepit Theodardus; fidelis Traiectensium caterua, pio pastore viduata, cœpit vehementer perquirere alium similem sanctitate, quem in eius loco posset subrogare. Diu quæsitis scrutatisque omnibus diligenter, sanctior nemo inuentus est Lamberto. *Non est inuentus, qui succedat Theodardo sanctior Lamberto.*

Hunc itaque ditatum honoribus sanctimoniæ, illustratum commercijs parcimoniæ, Spiritus sancti præeunte clementia, plebs Traiectensium pariter congregata, episcopum fieri elegit, & in loco magistri succedere acclamauit. Regalis quoq; celsitudo, ac palatinorum procerum multitudo, eius opinione cognita, illum in solio pon-
D tificali, sine mora constituerunt sublimari.

At vir mansuetus, omni bonitate refertus, & in humilitatis gradibus, à Christo fundatus, indignũ se mysterijs sacerdotalibus, multis denegauit prosequutionibus. Grandis, inquit, fratres mei, honor est pontificalis, sed graue pondus istius est honoris. Indignum me fore pronuntio, suscipere quod vultis, nequeo: vires mihi non suppetunt, sanctitatis opera non presto assunt. Vitæ innocentis regulam me tenere nequaquam cognosco: ideo gubernaculum ecclesiasticæ rectitudinis, accipere diffido. *S. Lambertus indignũ Episcopatu se pronunciat.*

Contra istiusmodi excusationis molimina, Traiectensium caterua, huius responsionis intulit verba. *Vulgus cõclamat illum esse dignissimũ.*

Prosapia polles, meritorum lumine fulges.

 Moribus

Moribus ornaris, pietate choruscus haberis,
Omnibus excellis; ideò nos vndique pasces. A

Hinc, vulgari more frementes, strepituque populari super eum irruentes, dixerunt simul omnes, Lambertus ciuis noster, operum plenitudine celeber, oportet vt fiat episcopus noster. Sic voluntas est Dei: sic principes statuunt regni. Illum omnis eligit clerus: vniuersus acclamat populus.

*Quo magis recusat, eo magis vulgus eum exoptat.*

*Tandem acquiescit petitioni. Consecratur in episcopum benedictione episcoporum.*

Sed vir humillimus, cùm pleniter adhuc ijs non acquiesceret petitionibus; altius commoti, & diuina inspiratione accensi, à maximo vsque ad minimum, cuncti dixerunt ad illum. Non nos, Lamberte, diutius protrahas: sed pro certo scias, quia; velis nolis, noster episcopus eris, & Traiectensium pastor vocaberis. Ita omni clero B exclamante, & sic vtroque sexu vociferante, clamor ad cœlum tollitur, & mens Lamberti tantis vocibus moderatur. Acquieuit eorum petitionibus, suscipiens curam præsulatus, ne obedientiam desereret, quæ cæterarũ virtutum comes esse assolet. Ita Dei dextera exaltatus, & episcoporum benedictione consecratus, in Traiectensis ecclesiæ fascibus, venerabilis Lambertus pontifex est institutus.

ANNOTATIONES.

Quia velis nolis noster episcopus eris. ] *Meminerunt huius piæ violentiæ quotquot Stephanum sequuntur: pulchre illam paucis verbis exprimit Anselmus in gestis pontificum Leodiensium cap. 5. his verbis.* Is, *Lambertus scilicet*, ob excellẽtis vitæ meritum, ad supplendas iam dicti antecessoris sui Theodardi vices, raptus est potius quam electus. C

---

*Fama sanctitatis Lamberti venit ad aures Hildrici Regis, cui fit gratissimus: sed Diabolus turbat per suos pacem ecclesiæ, totiusq; odij pondus, in S. reijcitur, & ab episcopatu pellitur.*

## CAPVT IIII.

*Factus episcopus, auget pietatis opera. Vacat ieiunijs, vigilijs & orationibus. Frequenter missam celebrat. Cathalogus virtutum eius. Instat prædicationibus assiduis*

Sortitus denique culmen religionis perpetuæ, studuit pietatis augere opera, qui pontificali auctus erat infula. Mactabat omni D die holocaustum Domino, non ex pecore alieno, sed ex corpore proprio. Nec vacabat à missarum solemnijs, celebrans memoriam salutiferæ passionis: offerensque Deo libamen, pro quibus redditurum se sciebat rationem. Erat plane lætissimus facie, serenissimus mente, alloquio dulcissimus, conuersatione mansuetissimus, mortuus terrenis voluptatibus, viuens diuitijs spiritualibus: in domo quippè illius, veritas erat & gloria: in operibus eius, veritas splẽdebat & iustitia. Instabat prædicationibus assiduis, arguens delinquentes

A quentes sermonibus veritatis. Increpabat desides, correptionibus temperatissimis: obsecrans rectè gradientes exhortationibus paternis. Exuberabat eleemosinis, choruscabat miraculis, quosque mouebat doctrinis, informabat exemplis.

Nec stilo scribi, nec fas est promere verbis,
Quæ bona vir strenuus, diuino munere fretus,
Edocuit verbis, ostendit denique factis.

Sed quia minimè poterat lucerna candelabro cœlitus imposita, latitare, sub modij vmbra, cœpit inter suos præcipuus haberi, quem talibus iudicijs, Christus Dominus disposuit mundo manifestari. Interea, longè lateque, eius sanctitatis diffusa opinione, peruenit ad notitiam regis Hildrici, qui eo tempore, inter Francigenas sceptrū obtinebat regni, quod Lambertus ecclesiæ Traiectensis pastor, in famulatu summi creatoris, supereminēs haberetur mortalibus cunctis. *Math. 5.* *Fama sanctitatis S. Lamberti longe lateque diffusa, venit ad aures Hildrici Regis.* B

Vnde factum est, vt cum summo honore veneraretur à rege, primumque gradum vindicaret eius amicitiæ: extans princeps amabilis in regni palatio, & pontifex affabilis in regali consilio. Illius prouidentiâ, optimatum dirigebantur gesta: ipsius prudentiâ, Reipublicæ tractabantur vtilia. Magnificabilis rex & exercitus, qui tanti sacerdotis parebant iussionibus. *Fit Regi Hildrico acceptissimus.* C

Quamuis multa Deo seruirent crimine victo;
Attamen hortator scelerum, per corda malorum,
Effudit virus, gaudens in peius abire,
Omne genus hominum, cœlos ne possit adire.

Quapropter, commouit odia, excitauit iurgia, turbauit ecclesiæ pacem, posuit firmamentum regni formidinem. Rabie crudelitatis adeo corda hominum accendit, vt non viderent cœlum, neque recordarentur Dei iudiciorum. Hoc itaque veneno per membra Diaboli grauiter disperso, princeps regni interficitur, videlicet, Hildricus rex gloriosus. Mox enim inuidiæ pondus & odium, aduersus Dei famulum commouit, Lambertum. *Diabolus per quosdā impios turbat pacem ecclesiæ.* *Inuidiæ pōdus & odium reijcitur in S. Lambertum.*

D Hinc, hostili rabie, magis ac magis grassante, & inuidia Diaboli, nequiter exardescente; Lambertus sacerdos Christi inclitus, debiti honoris priuatur dignitatibus, ac de pōtificali cathedra, vir celebris eijcitur, sine causa. Proh nefas. Regalis interijt sublimitas, prauorū præualuit iniquitas, sacerdotalis confusa est sanctitas, iustitiæ profanata est æquitas. *Priuatur dignitate pontificali.*

Heu, cogor scriptis depromere, rem veritatis. Tunc suggestū Traiectensis ecclesiæ, latro Pharamundus inuasit ineptè. Præsulatus nempè curam, ad sæculi miserrimus rapuit pompam, non ad perennis vitæ palmam. Etenim vsurpauit episcopium, inuasit dominium, animarum extitit latro, ecclesiæ publicus prædo. Temerauit sacramenta Dominici corporis, commaculauit apicem canonicæ recti- *Pharamundus latro surrogatur in eius locum.*

rectitudinis, violauit sanctuarium, profanauit sacerdotium, confudit religionem, immutauit ordinem, perdidit innocentiam, captiuauit naturam, æquitatem debellauit, iustitiā exhorruit, benedictionem habere contempsit, maledictionem adquirere non timuit: nullum facinus execratus est, nullum scelus intactum reliquit: mōstrauit verbo & opere, qua mentis intentione, ad regimen introductus fuisset ecclesiæ. Plura referre pudet, quæ doli magister egisset. A

### ANNOTATIONES.

Choruscabat miraculis. ] *S. Lambertum durante episcopatu claruisse miraculis, testatur Godeschalcus sup. cap. 5.* Sicque, *inquit*, Lambertus in fide orthodoxus, in efficacia virtutum gloriosus. &c. *Et Nicolaus infra c. 6. his verbis.* Iamque per acceptam superabundanter spiritualium donorum gratiam, opinio eius longe lateq; celebriter prædicabatur, non solum prærogatiua meritorum, sed & claritate miraculorum. *Certe, vt alia taceamus quod latus & hilaris, & flagrāte facie, tota nocte, sub dio, nudis pedibus, solo cilicio tectus, toto corpore niue cooperto, psalmos Deo cecinerit, miraculo tribuunt omnes qui de eo scribunt. Godeschacus cap. 3. Stephanus cap. 7. Nicolaus cap. 8. Renerus cap. 11.* B

*Patienter depositionem ferens, confert se ad monasterium Stabulense, ibiq;, vti monachorum vnus, Deo placere studet.* C

## CAPVT V.

*Cōmendat oues Christo. Patienter fert improborum conuitia. Querele & lamentationes proborum.*

ET, Lambertus Christi athleta, clementer ferens cuncta, præsulatus liquit sceptrum, commendans curam ouium ei qui eas lauit baptismate ac redemit sanguine. Cumque discederet vir mitissimus, conuiciorum iniurijs addictus, & nunquam ad iracundiam labefactus; omnis eum populus lamentabatur: omnis clerus lugebat: & eum prosequendo, gementes dicebant. Cui nos cōmittis, pastor vigilantissime? Cur nos deseris, sacerdos sanctissime? Quamobrem relinquis gregem deuotum, & quare supplicem clerum? Quis nos ab insidijs tuebitur hostis? Quis orabit Deum pro nobis? Quis pestilentias depellet? Inuadent nos lupi rapaces, dilaniabunt nos ferocissimi hostes. Nemo erit qui abigat, nemo erit qui renuat. Tu stabilitas fortium, reparatio debilium, defensor in aduersis, decus in prosperis, pauperum adiutor, orphanorum consolator, viduarum receptor. Te cuncti sequemur, tecum omnes moriemur. Si superbi te despiciunt, & *filij Belial* persequuntur, nos oues tuæ diligimus & veneramur, D

*1. reg. 2.*

It cœlo

A It cœlo clamor fratrum, lachrymæque gementum.
Tunc pater euictus lachrymis ita fatur obortis:
Pro re, pauca loquar:
Non pastor deerit vobis, non cura salutis,
Vnum est quod mando, repetens iterumque monebo.

O filij charissimi & oues pastoris summi: *Seruite Deo in timore, & exultate ei cum tremore. Declinate à malo & facite bonum.* Aderit vobis fortissimus adiutor, qui est verus promissor: neq; sinet perire, quos redemit sua passione Iesus Christus Dominus, qui est benedictus in sæcula. *Psalm. 2.* *Psalm. 39.* *S. Lambertus probos consolatur.*

B Post hæc, sacras manus attollens, benedixit clero & populo, consignans eos Christi signaculo. Quibus etiam omnibus dulciter exosculatis, ipse Dominus, cum paucis comitibus, quoddam monasterium petijt, quod Stabulaus olim vocabulum accepit. *Dimittit suos in osculo sancto.*

Ibi præsertim vir memorabilis, sequestratus à custodiâ dominici gregis, cum senatoribus cœli, infra curiā terreni conuersatus est paradisi. Sub regulari disciplina, illic monachorum viuebat caterua, quorum conuersationem esse inter cœlestia, plurimarum virtutum prodebant testimonia. Inter quos venit nouissimus ordine, sed primus extitit sanctitate: postremus numero, præcipuus deuotionis studio. Hunc patres monasterij, vt charissimum patrem recolebant, illi fratres vniuersi assurgebant, ceu Domino, & patri: quem Deus gra- C tiâ perfuderat, omnibus bonis amabilis erat. Interea in præfato commorans cœnobio, famulabatur totis viribus Deo, sitiens illi placere, cui se templum spoponderat esse. Incumbebat creberrimis orationibus; tantò siquidem liberius, quantò à pastorali cura, quantisper fuerat alienatus. Quantam humilitatem erga prælatos exhibuit, quantam benignitatem erga omnes tenuit, nullus verò explicare, nullus calamo potest comprænhendere. Frugalitatem namque in eo laudari, non est necesse, quoniam sic mirabiliter exercuit, vt ipsa macies corporis, illum Domino comprobaret, cunctis in odorem acceptum fore suauitatis. *Viuit sub regulari disciplina.* *Omnes fratres illi assurgunt vt patri & Domino.* *Humilis vacat orationibus.* *Erga omnes magnam benignitatem exhibet.* *Macies corporis eius, quāta fuerit frugalitatis ostendit.*

D

## ANNOTATIONES.

1. Et eum prosequendo gementes, dicebant. ] *Huius publicæ lamentationis facit quoque mentionem Nicolaus infra cap. 7. Godeschalcus & Renerus illius non meminerunt.*

2. Ipse Dominus cum paucis comitibus. ] *Duobus tantum, vt ait supra Godeschalcus capite tertio, & Nicolaus capite septimo, necnon Renerus capite vndecimo.*

*Aaa* *Mira*

A

*Mirâ patientiâ, solo cilicio indutus, hyemali tempore, tota nocte, orat ante crucem sub dio positam.*

## CAPVT VI.

*Exemplū perfectæ obedientiæ.*

VErum, quid ad cumulum suæ perfectionis, pietas voluit ostendere omnipotētis, licet breuiter commemorandum, præsenti tamen non est sermone transcundum.

B

*Volens solitarius surgere ad orationes, casu calcei excitat abbatem & fratres.*

*Iubetur subire pœnitentiam ad crucem.*

Cuiusdam ergo noctis silentio, dum simul cum fratribus, quiesceret in dormitorio, clam de lectulo voluit surgere, vt prolixis orationibus, posset insistere attentius. Cumque suis alterum ex cothurnis acciperet, alter eorum à manu lapsus est, feriensque soli pauimentum, quieti fratrum incussit sonitum. At pater cœnobij expergefactus, & huius arcani ignarus, dixit. Cuius repræhensibili audacia, hæc modo contigit negligentia, nostrum morem expleat, crucem adeat, & quod deliquit negligenter, diluat obedienter. Tunc Lambertus sacerdos patientissimus, spe firmissimus, & animo lætissimus, iussionem prælati libentissimè compleuit, & ad crucem, sicut ouis ad victimam, properauit. Nil detulit secum ad immane frigus repellendum, nisi tantummodo vnum, quo indutus erat, cilicium. C

*Obedit ex tempore, & vadit solo indutus cilicio.*

*Erat nox gelu & niuibus frigidissima.*

Et quidem nox illa, vehementissimi algoris gelu fuit asperrima, ac niuali glacie frigidissima. Ardebat planè interius flamma paracliti spiritus, idcirco exterius frigoris contempsit cruciatus.

Stante verò illic sanctæ Trinitatis hostia, & infatigabiliter sui saluatoris exorante suffragia, cœlum, vt veraciter credimus, eius mundissimis patuit precibus: & oratio ad supernos vsque peruenit auditus. Ergo, cum illud Dauidicum mente caneret, & ore proferret: *Quando veniam & apparebo ante faciem tuam Domine*: actum est cœlitus, vt gallorum cantus audiretur solito citius. Surrexerunt itaque fratres deuoti, vt vigilias celebrarent more solemni: denique officio competenter peracto, exierunt omnes de sanctuario, gestientes domi ignem accendere, quo exuerentur validissimo frigore, quem nimia auiditate ambientes, & vt oportunū erat, vndique circundantes, Abbas dum astantes inspexit, Lambertū deesse cognouit. Percunctatus alios vbinam esset venerabilis sacerdos: responsum est à fratribus illi, quod ipse foret qui crucem adire iudicatus fuisset. Ad hæc, Abbas benignus in stuporem conuersus, suspirans, imoque trahens à pectore vocem, dixit. D

Heu nimis infœlix: quæ te dementia cœpit?
Innocentem damnare nefas sacerdotem,
Glacialibus pruinis destinare, facinus est execrabile.

Sic

A Sic mœrens dixit: post hæc astantibus infit. *Diuino officio nesdum completo iubetur reuocari à cruce S. Lambertus.*

Ite fratres, ite rogo celeriter, poscite patrem nostrum humiliter, vt ad nos veniat festinanter. At illi cursum properãtes, & quod iussum erat perferentes, repererunt mansuetissimum sacerdotem, in frigore, & nuditate, mirabiliter Domino psallentem: *Cor contritum & humiliatum Deus non spernas,* sed benignè sacrificium nostræ seruitutis accipias, *vt ædificentur muri Hierusalem,* ad tui nominis honorem & gloriam, quod est benedictum in sæcula. *Psalm. 50. Psal. eodem.*

### ANNOTATIONES.

1. Verum quid ad cumulum suæ perfectionis: ] *Exemplum hoc admi-*
B *randæ & obediẽtiæ & patientiæ, præter scriptores nostros quatuor, refert quoq; pulchre admodum Anselmus in gestis pontificum cap. 7.*

2. Cumque suis alterum ex cothurnis: ] *Cothurnus antiquum est calceamenti genus quod Godeschalcus supra cap. 3. vocat sandalium non ita forte proprie, nam sandalium genus est calceamenti mulieribus proprium. Nicolaus infra cap. 8. non distinguit. Sic enim ibi loquitur:* vnum de sandalijs (*quod genus calceamenti vulgariter cothurnos dicimus*) à manu eius lapsum corruit. *Renerus infra cap. 12. vtitur nomine sandalij, sicut & Godeschalcus sup.*

---

C *S. Lambertus post obedientiam honoratur ab abbate & fratribus, & interea Pharamundus à cathedra & prouincia pellitur.*

## CAPVT VII.

PRæterea, cum constantissimus cõfessor Domini, & acceptabile sacrarium spiritus sancti, ad sequentia psalterij intentionem cordis dirigeret sui, adstiterunt missi fratres, pro reliquis veniã implorantes, & hoc ex præcepto Abbatis nuntiantes: Abbas, dulcissime pater, obsecrat, quo ad fratres quantocius abeas. Quorum verba non renuit, sed cum eis, ad domum properauit: vbi mona- *S. Lambertus reuocatus domum statim acquiescit.*
D chorum turba medicabili caumate erat coacta. Ipso domus intrante limina, & inenarrabiliter reflagrãte eius facie beatissima, Abbas, cum omni monachorũ turba, ad sancti Lamberti prostratus est vestigia. Quem actutum talibus alloquuti sunt sermonibus: Ignosce nobis, pater venerabilis, ignosce fratribus tuis, & ne reputes, suppliciter flagitamus, quod contra te sic insipienter egimus. Miserere precantibus, da indulgentiam petentibus. *Abbas & fratres veniam rogant.*

Ad quæ, hoc responsum ita reddidit heros,

Ne deprecor charissimi, ne deprecor dicatis Domini, surgite obtestor velocius, meis imo indulgete excessibus, nil aduersum me de-

liquistis, quod valeam donare vobis. Quibus eleuatis oppido & anxiatis, lætus & hilaris pater dixit amabilis. Quæso, ne turbemini diutius: haud me terruit frigoris impetus, affuit mihi protector vitæ meæ, custodiens me in necessitatis tribulatione, & exaudiens sua larga miseratione. Propter quod, gratias illi rependite, & eius nomen benedicite. Hinc pias manus cœlo extulit, fratrumq; benedicens collegio, dixit: A

*S. Lambertus excusat fratres & eos consolatur.*

O Deus omnipotens, cœlestia lumine complens,
Qui cœlum, terras, pontum, ratione gubernas,
Vt sint cuncta tuis, in tempore, subdita votis,
Hos exposco tuos, benedic per sæcula seruos, B
Protege ab insidijs, serua virtutibus almis,
Donec te videant, & cœli regna præhendant,
Te tribuente Deus, qui nunc, & semper in æuum,
In triplici virtute tui benedictus haberis.

Igitur cunctis respondentibus, amen, sic faciat Deus; cognouerunt senes cum iunioribus, quod immodicis prœmiorum muneribus, sanctum sublimasset Lambertum Dominus. Deinde officia charitatis illi cupientes impertire, & post certamen intolerabile, amantissimum patrem volentes reficere, balneum illi parare studuerunt, & vestibus nitidis eum circundederunt. Sic fortissimus Christicola, C & patientissimus Dei athleta, post obedientiam honoratur, post trophæum sublimatur, non vt promeruit tolerantiæ simplicitas, sed vt potuit mortalium possibilitas. Inter huiuscemodi miraculorum insignia, degebat Lambertus Christi victima, extans quotidie sacerdos & hostia, in odorem suauitatis accepta, crucifixus huic mundo, viuens redemptori Deo, deiectus à pestiferis hominibus, allectus à supernis ciuibus, pulsus ab episcopio, ascitus in æternitatis collegio, fugatus à cura ouium, inuitatus ad cœli palatium. Intereà, infœlix inuasor ecclesiæ Traiectensis, Pharamundus videlicet, filius iniquitatis, falsò nuncupatus pastor ouium, appellandus meritò angelus tenebrarum, suis exigentibus culpis, plurimorum criminatus conuitijs, expulsus est à pontificali cathedra, & ab eadem eiectus prouincia. D

*Fratres impertiuntur illi charitatis officia.*

*Pharamundus suis exigentibus culpis expellitur à cathedra & prouincia.*

Septem quippè annis præfuit ibi solùm nomine, nulla tamen die, actionis profuit opere. Dignè à fidelibus in terra est persequutus, qui manifestè Deo erat contrarius.

*Septem annis solo nomine præfuit.*

ANNOTATIONES.

1. Medicabili caumate.] καῦμα *latinè calor*, ἀπὸ τοῦ καίομαι, *quod est vror. Vult dicere fratres domi congregatos fuisse, vt corpora nonnihil læsa, congruenti calore reficerent.*

2. Inenar-

2. Inenarrabiliter reflagrante eius facie. ] *Reliqui scriptores eius flagrationis faciei ita expresse non meminerunt. Nicolaus infra cap. 8. sic inquit.* O vere manifesta in seruo suo Lamberto diuinæ virtutis operatio, per quam, ad exequendum tam arduum huius obedientiæ præceptum, inflammata est eius mentis alacritas. *Renerus cap. 12. dicit religiosos missos ab abbate ad reducendum S. Lambertum*, offendisse illum cantantem. *Anselmus in gestis pontificum cap. 7. de hac re loquens sic ait*: vere eodem spiritu hunc nostrum, & ex hoc nunc supplicio martyrem, inflammatum crediderim, quo craticulatus ille Laurentius, interius æstuans, exteriores flammas victor calcauit.

---

*Pipinus missis Stabuletum legatis reuocat S. Lambertum ad curam episcopalem: eius in ea virtutes, & catechismus ad Taxandros.*

## CAPVT VIII.

Dilaniatus autem grauiter populus, & clementer Dei miseratione liberatus, cœperunt totis viribus quærere, & multiplicibus argumentis statuere, qualiter pontificem egregium, ac patrem modestum mererentur recipere Lambertum. *Populus deliberat de repetendo S. Lamberto.*

Illo tempore, Pipinus monarchiam regni, & principatum gerebat populi: vir armis strennuus, & diuinæ religionis cultor præcipuus,

Hic, beati Lamberti percunctata mansuetudine, & admodum cognita sanctitate, misit Legatos ad monasterium superius prælibatum, qui sanctum deposcerent Lambertum, quatenus dignaretur venire ad Regem, suique præsulatus recipere dignitatem. *Pipinus mittit legatos qui repetant S. Lambertum.*

Venientes illi qui à Rege fuerant missi, Lambertum sacerdotem huiuscemodi verbis sunt alloquuti. Te, pater, Rex obsecrat, omnisque populus flagitat, vt à monasterio exeas, gregem, quem non sponte dereliquisti, recipias, & opus Domini, vt inchoasti, perficias.

Tum senior pro re lachrymis ita fatur obortis. Fateor, rexi, non vt decuit: vixi, non vt debui: pascere vlterius non sum idoneus: præesse amplius non concupisco, qui prodesse nulli valeo. Subiunxêre viri dicentes hæc seniori. *Excusat se S. Lambertus.*

Te, virorum nobilissime: te, sacerdotum sanctissime, per charitatem Dei deprecamur: per amorem proximi obtestamur, vt nobiscum venias, regimenque tuarum ouium, dignanter recipias. *Legati duplicant preces.*

Altius ecce gemens responsum hoc reddidit Heros: Refutare, fratres, quod dicitis, non audeo, Regis edictum contemnere non debeo *S. Lambertus acquiescit eorum precibus.*

debeo, proximorum necessitatibus subuenire cupio. Vobiscum ire non differam, quod iubetis incipiam, potens est Deus perficere, & ad finem certum vsque perducere. A

Hinc ergo beatissimus confessor Lambertus, fœlix commercium aggressus, multimoda examinatione probatus, ad propriam sedem est reuersus. Sic exul sacratissimus, ac inenarrabili patientia plenissimus, gregem suum recepit, magnifice protexit, & indefessè custodiuit.

*Exultatio de reditu beati Lamberti.*

Quãta illo regrediente exultatio in vniuerso efferbuerit populo, quis peritissimorum potest comprahendere stylo? Exultabant cœlorum ciues, indiuiduæ Trinitati referentes immensas præconiorum laudes. Gaudebat omnis terra, iubilans Dño in lætitia. Plaudebãt omnes in excelsis, & dicebant non tantum voce excelsa, quantum mente deuota: Agamus gratiarum actiones Domino, *visitauit enim nos oriens ex alto*: quoniam retribuit nobis Dominus pastorem nostrum, patrem & custodem nostri vigilantissimum. Sic Rex & populi, diuites & egeni pariter psallebant alacres, resonabãt vndique laudes. Ita miles emeritus, vir præ maxima tribulatione purgatus, ouium suarum digne vocibus attollitur, & in cathedra Traiectensium decenter relocatur. B

*Luc. 1.*

*Virtutes S. Lamberti episcopo digna.*

Sublimatus namque iterum ad episcopale solium, tantis cœpit sanctitatibus choruscare, quantis Dei pontificem cõstat decuisse. In corde illius synceritas & legis plenitudo: in ore ipsius veritas erat, & lenitatis pulchritudo. In consilio eius vigor & sapientia. In actibus suis æquitas & abundantia. In conuersatione ipsius innocentia & castitas, in habitu eius gloria & honestas. Erat nimirum fide constantissimus, spe firmissimus, charitate integerrimus, insignitus prudentia, præditus temperantia, fortitudine roboratus, iustitia locupletatus, bonorum operum exhibitione singularis, doctrina & virtute admirabilis. Exornauerat illum pietas æterni patris, sicut vitæ meritis, ita & prodigiorum miraculis. Personas potentium non respiciebat, sed potius ad morum elegantiam intendebat. Quem religiosius viuere sciebat, illum eminentius honorabat. *Omnibus omnia factus erat, vt omnes lucri faceret.* Intra domus septa nunquam eius ornabantur sedilia, sed voluebat in memoria humili, quæ possessurus erat in vita perenni. Vestimentorum tegumenta non adeò induebat preciosa. Primus ei amictus, saccus erat cilicinus. Studebat corpus humiliare in terris, quatenus anima exaltari mereretur in cœlis. Lustrabat villas ac oppida sibi à Christo commissa, sitiens reperire homines, quos faceret æternæ hæreditatis consortes. C D

*1. Cor. 9.*

*Eius singularis humilitas.*

*Eius sedilia & vestimenta.*

*Visitat villas & oppida.*

*Ingreditur Taxandriam idolatriæ adhuc deditam.*

His equidem sollicitudinibus seruiens, & hanc iustitiæ esuriem indeficienter habens, ingressus est Taxandriam, Paganorum erroribus deditam, & dolorum spurcitijs profanatam.

Ergo cum inibi facundissimo sermone, fidem catholicam cœpisset differere, pagenses eiusdem prouinciæ, in vnum conuenêre, volentes

A lentes prędicatorem veritatis vnanimiter discerpere,& post contumeliarum ludibria, ad ignominiosæ mortis destinare tormenta.

*Pagani volunt eum neci tradere.*

Quos irâ & sęuitiâ frendentes, & diabolico spiritu bacchantes, Confessor Domini Lambertus intrepidus & fortis, istiusmodi alloquutus est verbis: ô viri fratres, quoniam estis sensus & rationis capaces, audite quæso patienter, & ea quæ dixero vobis, animis rationabiliter infigite vestris.

*S. Lambertus catechisat paganos.*

Omnipotens Deus, pater ingenitus, cuius ego sum seruus, quique solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, ipse vnum de se genuit sine tempore verbum, per quod fecit omnia ex nihilo, quæ sunt in hoc mundo. Quam sine initio natiuitatem, &
B absque fine generationem, admirari spirituali intellectu possumus, sed intueri visu corporali nequaquam valemus. Nec pater anterior est, nec natus posterior. Nam ex his duabus personis, sed vna indiuidua, & incompræhensibili essentia, procedit spiritus sanctus, patri & filio similis maiestate, & consubstantialis indiscreta deitate.

*Docet Deum vnum esse & trinum.*

Hæc in personis trinitas,& in essentia vna,& coëqualis diuinitas: postquam ex nihilo creauit vniuersum orbem, compegit ex limo terræ hominem. Cui dormienti, costam abstulit, & de ea mulierem formauit, vt ex eorum immaculata prole, apostatarum sarcirentur
C angelorum ruinæ: quos in paradiso delitiarum posuit, & ex omni ligno comedere iussit, tantumque à ligno scientię boni & mali abstinere mandauit, vt per obedientiam, sine carnis morte, ad cœlestem angelorum patriam quandoque potuissent transire, si se astringerẽt charitatis vinculo per obedientiam creatori suo.

*Creationem mundi ex nihilo. Productionem hominis ex limo terræ. Formationem mulieris de costa viri. Statum innocẽtiæ in paradiso terrestri.*

Sed, proh dolor, inuidiâ serpentis, homo cupiditatum illectus est illecebris: sicque per hoc morti obnoxius, à paradiso est eiectus. Nec solus meritam præsumptor senserat iram, sed secum omnem sui generis traxit propaginem,& mortiferi facinoris innexit acerbitatem.

*Lapsum hominis & incussã Dei iram.*

Hinc mundi princeps, homines sibi subdidit omnes. Donec is qui egit, carnem de virgine sumpsit, qua hominem redimeret à reatu
D præuaricationis, quem per infirmitatẽ carnis, malitia callidi seduxerat hostis.

Quem verò ex patre natum dixi sine tempore, ex intemerata genitrice, Maria videlicet, semper virgine, natus est in tempore: & ad electri similitudinem, vnus in vtroque & ex vtraque natura,& Deus permansit cum patre,& ad redemptionem nostram, homo mortalis factus est, ex virgine matre.

*Mysterium incarnationis. Mysterium redemptionis.*

Qui verus Deus & homo prodiens ex virginis vtero, mortalium more est circuncisus: & à Ioanne in Iordane baptisatus. Deinde discipulos elegit: plurima virtutum signa peregit, & quod veraciter erat, mundo palam declarauit.

Ad vltimum, suæ voluntatis potestate, animam suam posuit in cruce

*Mysterium crucis.*

cruce, vt nos redimeret suo sanguine, quos Diabolus, à prima mundi origine, astrictos tenebat captiuitati suæ. A

*Mysterium resurrectionis.*

Celebrato tandem passionis mysterio, destructoque mortis imperio, viuens die surrexit tertia, reddens nobis priuilegium naturæ, quod in primo perdidimus parente.

*Missionem apostolorum per vniuersum mundum.*

Sicque quadraginta diebus, suis discipulis manifestatus, eisdem ad vltimum recumbentibus, apparuit, & in vniuersum orbem ire mandauit, vt remissionem peccatorum prædicarent, & quod didicerant, cunctis gentibus annunciarent, ac demum illis cernentibus, cœlos rediit & victor mortis, ad dexteram ascendit patris.

*Missionem S. Spiritus in apostolos.*

Qui spiritus sancti charismate referti, in cunctis finibus orbis sunt dispersi, & hanc fidem annunciârunt omnibus, quam nos indubitanter credimus, & vobis in eius nomine, & pro eius amore, constanter prædicamus. B

*Eph. 2.*

Hæc & his similia beatissimo Lamberto prosequente, & mirabiliter euangelizante, conuersi sunt ad fidem catholicam, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Tunc egregius doctor, & facundissimus prædicator, idola deiecit, populum baptismate sanxit, ecclesias construxit, sacerdotes ordinauit, totamque regionem illam Christo Domino consecrauit, & in seruitutem Dei, in perpetuum delegauit.

## ANNOTATIONES. C

1. Illo tempore Pipinus.] *Pipinum legationem instituisse magnorum virorum ad monasterium Stabulense, qui reducerent S. Lambertum, & cathedra sua restituerent, docet quoque sup. Godeschalcus cap. 4. Nicolaus cap. 9. Renerus cap. 13.*

2. Omnipotens Deus pater ingenitus.] *Est catechismus similis illi quem habet D. Augustinus libello de catechisandis rudibus sub finem. Huius Catechismi obiter meminit etiam Godeschalcus supra cap. 6. cum inquit:* Et prædicato eius Sanctæ Trinitatis nomine hactenus inaudito, innumeras infidelium turmas, de mendacio conuertit ad veritatem. *Et Nicolaus infra cap. 10. cum ait:* cœpit eis relegere humanæ creationis & præuaricationis originem: *& quæ sequuntur.* D

3. Ergo cum inibi facundissimo sermone fidem catholicam cœpisset differere.] *S. Lambertum fuisse facundissimum prædicatorem, non solum ait hic Stephanus, sed & satis indicat Godeschalcus supra cap. 6. & Nicolaus infra cap. 6. & cap. 10. vbi habes illum* Taxandris, sine interprete, sermone teutonico prædicasse: *& Renerus cap. 14. vbi habes* illũ solere Taxandros verbi dulcedine demulcere, &c.

*Martyrium*

A

## *Martyrium sancti Lamberti.*

## CAPUT IX.

INterea talibus instaret curis dum pastor herilis, dimicans bella victoriosissimi regis, vt præliator inuictus & fortis, triumphalem palmam martyrij Christus Dominus hoc modo contulit illi. *Gallus & Rioldus affligit famulos S. Lamberti dira & multiplici calamitate.*

Duo siquidem fratres nequissimi, Gallus videlicet ac Rioldus vocati, aduersus beati famulos insurrexerunt Lamberti, affligentes illos dira calamitate & multiplici. Quos cùm antistes patientissimus, humillimis, vt resipiscerent, exoraret precibus, & sæpissimis argueret increpationibus, tantò pertinacius gregem ecclesiæ dilaniabant, quantò patientius oues Domini eorum sæuitiam perferebant.

B

Quocirca pontificis clientes, & cognati, qui erant prosapia nobilissimi, & rebus ditissimi, zelo doloris accenduntur, afflictione subiectorum instigantur, & vt maleficos persequi debeant, eo ignorante, communi consilio deliberant. Nam supradictorum fratrum proteruia crescente, & in malitia perdurante, viros genere famosissimos, armis conspicuos, ab inchoato opere nequaquam piguit animum reuocare. Quid plura? illos bello oppetierunt, vtrosque mortis piaculo indiderunt. *Cognati S. Lamberti, eo ignorante deliberant vindictã sumere.* *Occidunt Gallum & Rioldum.*

C

Quibus ita interemptis, & in inferni baratrum demersis, Dodo infœlix, eorum qui mulctati fuerant, proximus affinis, hæreditatem infandi suscepit criminis, persequutionis quippè successionem ad satiandam sui furoris immanitatem, non tamen ad suæ vtilitatis recepit incolumitatem. Hic nãq; superbiâ tumidus, consilijs habitis & armis rigidus, læthũ beati antistitis Lamberti, ob consanguineorum necem, corde cœpit meditari, & ipsi opere insidiari. Vnde sibi socios copulans audacter iniquos, & ad præliandum fortissimos, Leodium adierat, quo cœlebs his diebus fortè manebat. *Dodo Galli & Rioldi affinis meditatur necem pontificis.* *Eo animo cum socijs audacibus venit Leodium.*

D

Eadem nocte, pontifex dignissimus, corona martyrij sublimandus, relictis in domo soporatis sodalibus, ad orationem perrexit solitarius. Quam diutissimè producens, & infatigabiliter persoluens, ad lucis crepusculum vsque protelauit, totamque spem suam Domino commisit. *Eadem nocte pontifex vacat orationibus.*

Igneus astrigeras iam sol migrabat ad arces,
Crinibus & roseis tenebras aurora fugabat;

Cùm pater memorabilis domum repetijt, discipulos à somno excitauit, & vt matutinales hymnos secum canerent, eisdem imperauit. Quibus strenuè, & velut decebat, religiosè completis, ipse Dominus ieiunijs & orationibus nimium erat fatigatus. *Venit domum mane & excitat discipulos ad matutinales hymnos.*

Qua de re, famulis suggerentibus, ad lectum regredi est compul-

*Compellitur aliquantum somno se dare.*

sus: quatenus lassitudinem vexati corporis, quantisper quiete alleuaret soporis. Sed frustra ibi querebat leuamen, vbi nullam volebat habere mollitiem. Corpus etenim suū, quod per diem sine remissione macerabat, per noctem sine intermissione affligebat. Mundatus nempe dudum sacro baptismate, sublimatus demum sacerdotali cōsecratione, paracliti spiritus purgabatur illustratione, candidandus ad vltimum proprio cruore. A

*Necdum obdormierat cum ecce vnus è famulis nunciat hostilem cuneū appropinquare*

Nondum enim obdormierat, sed fœlicius quiescere expectabat, cùm vnus è famulis domo foras exijt, & hostilem cuneum eminus venire conspexit. At ipse concitus intro redijt, & quid viderit, suis comitibus nunciare non distulit. Tunc omnes illi in stuporem formidinis subito versi, Dominum pontificem excitare non fuerūt ausi. Præstolati sunt diu silentes, donec appropinquarent aduersarij venientes. B

Sed neque transiliendum puto, quod quibusdam exercitum sequentibus à tergo, omnipotentis Dei ostendit celsitudo.

Edicam scriptis, clamabo vocibus altis,
Totus ab integro, sæclorum noscat vt ordo.

*Signum instar crucis Dominicæ rutilat super domum pontificis.*

Viderunt planè signum mirabile, instar crucis dominicæ, supra domum pontificis rutilare: quod præ splendore claritatis, nec visu erat facile, nec dictu affabile vlli. C

*Quid illud significaret.*

Hoc vtique Christus Dominus ideo voluit ostentare mortalibus, vt per id daretur liquido intelligi, illum veraciter redemptum sanguine Christi, atque crucifixum desiderijs sæculi.

*Dodo cum suis effractis foribus ingreditur domumS. Lamberti.*

Cùm autem Dodo ferocissimus, armis nequitiæ accinctus, iunctis sibi nefandis complicibus, ad villam peruenisset superius nominatam, cœpit minister malitiæ arma concrepare, socios prouocare, & sanctum Dei sacerdotem, hac illacque bacchando perquirere. Hinc satellites, vesani lictoris iussis obtemperantes, effractis foribus, disruptisque sepibus, sicut inter oues lupi, curtem atrociter sunt ingressi.

*S. Lambertus strepitu armorum excitatus, & adhuc attonitus ensem manu corripit. Sententiam ex tempore mutat & gladiū abijcit. Psalm. 17*

Continuo Lambertus Dei agonitheta fortissimus, armorum congressione expergefactus, à lecto surrexit, ensem manu corripuit, & contra hostes dimicare deliberauit. Nec mora extitit, sententiam prioris animi mutauit, gladium in terram proijciens, & hæc corde dicens. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me, quoniam neque iniquitas mea, neque peccatum meum est, propter quod insurrexerunt aduersum me fortes & iniqui. Ecce synagoga potentium quæsierunt animam meam*, quam deprecor vt suscipias in pace, qui es misericors & miserator, Domine. D

Hæc itaque, cum lachrymis beato Lamberto implorante, impij apparitores procaciter fremebant, lanceasque parietibus insigebāt, & domum intrare tentabant.

Ast duo nepotes ipsius, Petrus videlicet atque Andoletus, fortiter eis

A eis resistebant, qui domum intrare volebant: quibus ita frementibus & viriliter agentibus, vir inquit serenissimus, si me, filij, hactenus dilexistis, nunc consilij mei obedite præceptis: *vestra* Iesu *peccata confitemini*: & *orate pro inuicem, vt saluemini.* Sic pastor sanctus dixit: contra sic Andoletus respondit: ignem, pater charissime, ignem minantur mittere, quo domus hæc incendatur, & nos pariter exuramur. Ad hæc vir venerabilis dixit: nolite timere, filij, flammas incendij: certè potens est dextera Dei eripere nos à periculo imminenti. Illos, vt timeo, sempiterna induet confusio: super nos, vt credo, Dei efflorebit sanctificatio. Attamen vos, qui rei fuistis in crimine, sententiam vltionis modo recipite, ne vos infernalis cruciet gehenna, sed expiatos perennis excipiat vita.

*Petrus & Andoletus intrantibus domum fortiter resistût.*

*S. Lambertus hortatur cognatos ad pœnitentiam & martyrium.*

*Iacob. 5.*

B Ita omnes informans, & sacerdotali potestate corroborans, à penetralibus iussit nepotes egredi, quo mererentur fieri holocaustum regis æterni. Cumque intrepidi ostio erupissent cubiculi, extemplò cædentibus aduersarijs, martyrio digni, diuinis conspectibus sunt immolati.

*Petrus & Andoletus hortatu S. Lamberti vltro se morti offerunt.*

Inde pater egregius, & pontifex constantissimus, pauimento soli, in modum crucis prosternitur: & misericordem Deum humillimis precibus deprecatus est. Verum quid fœlix eius anima tunc fuerit Deo locuta, quæ mortalis valet prodere lingua? sed sine dubio talia petijt, qualia statim impetrare meruit.

*S. Lambertus se pauimento prosternit instar crucis mortem expectans.*

Ingressi autem intrinsecus aduersarij furentes, interfecerunt omnes in ore gladij, quoscunque repererunt ibi.

*Aduersarij ingressi domum quoscumque ibi repererunt occiderunt.*

C Deinde vnus ex crudelissimo agmine, inflammatus immanissimi furoris rabie, tectum desuper subijt: & beatum pontificem terræ prostratum inspexit: moxque diabolico spiritu exagitatus,

Percussit telo victurum in sæcula Christo.

*S. Lambertus telo perimitur.*

Sic preciosus Domini sacerdos Lambertus, testis gloriosus, fœlici martyrio est consecratus, taliterque regnum cęlorum, quod diu desiderauit, viuens & coronatus, fœliciter intrauit. Iacuit quippè beati viri corpus exanime, perfusum sanguinis sui imbre, sed anima ab angelis in cœlum est euecta, & inter consortia supernorum ciuium collocata, vbi fruitur gaudens, & exultans societate apostolorum, glorificatione prophetarum, confessione martyrum, cohæreditate confessorum, integritate virginum: obtinet & palmam perennis gloriæ, & stolam iocunditatis æternæ.

*Anima in cœlum euolat.*

*Multiplex S. Lamberti corona.*

D Corpus tandem sacrosanctum, pauci qui euasêre internecionis periculum, naui velociter imposuerunt, & ad Traiectum vsque delatum, in ecclesia apostolorum principis honorificè sepelierunt.

*Corpus exanime Traiectum refertur & in ecclesia S. Petri sepelitur.*

Exanimes artus nec liquit cœlica virtus,
Monstrauit populis quantæ fuerit bonitatis
Hic: feritate furens quem Dodo peremerat amens.

Nam dum conderetur tumulo, immensus odor affuit è cœlo, vincens omnia aromata suauitatis flagrantia. Ned defuit angelorum

*Odor suauissimus è cælo.*

ſublimitas eius ſarcofago, primorum dierum iſtud cuſtodiens tempore: oſtendenſque ſui carminis proſodia, quæ munerum præmia, in cœleſti aula, eius poſſideret anima. A

*Hymni angelici.*

Vt ſubtilis erat dicti vox præſulis alma,
Illuc vicini, multo admiramine ducti,
Sæpius accedunt, & quid ſit noſcere quærunt.
Qui ſint; quidque canant: vel quæ ſint munera vocis.
Sed tunc interius propios extendere viſus
Dum cupiunt, ea vox tenui ſubducitur aura,
Vt ſolet audiri, cum vas contingitur æris,
Et ſonus aſſurgens paulatim ducitur aſtris. B
At docte dum ſe retrahunt, vt longius eſſent:
Dulcibus auditu, reſonabat vocibus aër.

Conuenit etiam omnis penè prouincia, de abſentia eius lugentes ineffabili mœſtitia, & ad cœlos vſque emittentes ſuſpiria.

ANNOTATIONES.

Et vt maleficos perſequi debeant eo ignorante.] *Gallum & Rioldum cognatos Dodonis occiſos fuiſſe à cognatis S. Lamberti vel eorum adhærentibus, inſcio S. Lamberto, non ſolus Stephanus hic, ſed & Renerus infra cap. 17. diſertis verbis aſſerit, & ſatis indicat Godeſchalcus cap. 8. vbi S. Lambertus cognatos exhortans ad martyrium, dicit illos reos eſſe cædis, cuius vltio tunc expetebatur, ſatis illis verbis innuens ſe non fuiſſe conſcium.* C

*Quæ ſequuntur in codice eccleſiæ collegiatæ S. Petri Leodienſis, ex quo hæc deſcribi curauimus, deſūpta ſunt ex geſtis S. Lāberti per Godeſchalcū, quare illa hic omiſimus.*

FINIS GESTORVM S. LAMBERTI PER STEPHANVM EPIS.

---

*Baronius in notationibus ad martyrologium Romanum, ad diem 17. Septembris.*

NIcolaus canonicus Sancti Lamberti, ſcripſit acta beati Lamberti epiſcopi Traiectenſis. D

*Molanus in annotationibus ad martyrologium Vſuardi ad eundem diem.*

VItam & paſſionem S. Lamberti primo ſcripſit Godeſchalcus diaconus eccleſiæ Leodienſis, &c. Secundò, Stephanus ex clerico Metenſi epiſcopus Leodienſis, &c. Poſtmodum, eiuſdem martyris hiſtoriam ſcripſerunt, Sigebertus Gemblacenſis, & Nicolaus canonicus ſancti Lamberti.

*Deſumpſimus hæc ſcripta Nicolai ex M. S. codice eccleſiæ cathedralis S. Lamberti, ex quo lectiones ſub matutino officio legi ſolent.*

A NICOLAI CANONICI LEOD.

# GESTA S. LAMBERTI

## PONTIFICIS ET MARTYRIS.

Floruit hic Nicolaus, circa annum Domini 1120.

### EPISTOLA DEDICATORIA.

B

Dilecto in Christo, & verè diligendo Domino suo, VVederico Letiensis ecclesiæ venerabili Abbati, Nicolaus ecclesiæ sanctæ Mariæ, sanctique Lamberti quæ est in Leodio, Canonicorum & Diaconorum vltimus, Salutem.

Sicut nihil est quod amicis & fratribus honesta petentibus, negare debeamus; ità & eorum est, à nobis non exigere, quod nimis arduum, tarditate, aut tenuitate ingenij, assequi non valeamus. Temerarium enim valde est, quod quidam, præclaras illustrium virorum res, & memoria dignas, aggrediuntur scribere; quibus nec ingenium natura, nec eruditionem doctrina, nec orationis splendorem, indulget eloquentia. Sicque fit, vt cum magnitudinem rerum, quas exornare debuerant, verbis nequeant explicare, ariditatem ingenij sui, & imperitiam coguntur manifestare. *Grandes enim materias*, vt ait Hieronymus ad Heliodorum episcopum, *ingenia parua non sufferunt: & in ipso suo conatu vltra vires ausa, succumbunt*. Quod & mihi euenisse fateri non erubesco: qui nec oratoria eloquentia clarus, nec subtilis ingenij mihi conscius, vitam & passionem beati Lamberti martyris, quam scribere institueram, dignis verbis pronunciare nō sufficio.

*Scribere volenti opus est ingenio, eruditione & eloquentia.*

C

D

*Auctoris modestia.*

Quod equidem opus, non cuiuslibet leuitatis motu, seu iactantiæ fastu, me insumpsisse sciat vestra paternitas; sed quidam ex Dominis & prioribus nostris, paruitatem meam sæpius sunt exhortati, quatenus digniorem passionis causam beati viri, & gesta eius vetustate iam obruta, diligenter peruestigarem, & conscribendo tanquam in lucem retraherem.

*Veram passionis B. Lāberti martyris causam peruestigat & in lucem eruit.*

Diu

Diu multumque super hoc hæsitaui; quia & tantam rem aggredi, videbatur valde inuidiosum, & maiorum meorum authoritati contradicere, erat insolens, & verè irreligiosum. Sed, vt arbitror, nullam meretur, vel vereri debet cuiusquam obtrectatoris inuidiam, qui ad scribendum non incitatur amore propriæ laudis, sed præcepto cogitur præsidentis. A

*Qui ante Nicolaum scripserunt non attigerunt veram martyrij eius causam.*

Parüi itaque iniunctis, & inter multiplices occupationes meas, assumpsi hoc opus, plenum laboris & sollicitudinis: quia nihil penitus ex hoc inueniri poterat in libris eorum, qui prius vitam & martyrium Beati Lamberti cōscripserunt, quibus etiam apud nos maximam authoritatem, non leuis, sed venerabilis sanxit antiquitas. B

*Qui primum scripserunt vitam & martyrium S. Lamberti.*

*Scribunt ea quæ apud calumniatores videntur obscurare gloriã martyru.*

Horum primus (vt à maioribus nostris accepimus) fuit Godeschalcus quidam, ecclesiæ nostræ Diaconus, tempore Caroli magni, ex Francorum Regibus Imperatoris Augusti, & Agilfridi nostri episcopi, Secundus verò fœlicis memoriæ Stephanus, decimus post beatum Lambertum Leodiensis episcopus. Qui cum de vita & sanctissima conuersatione eius quædam magnificè satis disseruerint; mirandum valde est, cur gloriosam & tanto sacerdote dignam martyrij eius causam silentio præterierint: C conscribentes ea, quæ & gloriam videntur obscurare Martyris, & subsannandi occasionem præbere calumniatoribus & incredulis.

*Capita huius libelli præcipua*

Nec tamen eorum scriptis derogo, aut opusculum hoc meum, memorabilibus virorum venerabilium dictis comparo: in quo, non ostentationem eloquentiæ, sed verbis simplicibus, veritatem polliceor historiæ: omnimo declarare cupiens, quorum principum tempore, vel à quibus parentibus, beatus Lambertus natiuitatis exordium sumpserit, quo doctore sacras literas didicerit, quibusue in pueritia miraculis floruerit, quàm ordinabiliter ad episcopatum promotus, quàm irrationabiliter ab D ecclesia Tungrensi eiectus, quàmque gloriose iterum intronizatus, semper tamen patienriam & humilitatem tenuerit, qua ætate claruerit, & quomodo post conuersionem Taxandrorum, post multa sanctitatis eius opera, vitam martyrio finierit, qualiterque horam & gloriam passionis eius, Romanus Pontifex, per angelum manifeste cognouerit.

Hæc

A Hæc equidem partim ex gestis regum Francorum, partim ex chronicis Reginonis Pruniacensis abbatis, & Sigeberti venerabilis monachi de cœnobio Gemblacensi, partim ex epistolis diuersorum episcoporum, partim ex vita beati Landoaldi præsbyteri, seu sanctæ Landradæ virginis, partim ex relatione maiorum, & scriptis virorum fidelium excerpere curaui, & in libelli huius formam, seriemque redegi: imitatus quodammodo apis solertiam, quæ ex diuersis floribus succos conuehens, & in fauos disponens, varium saporem, in vnam commutat mellis dulcedinem. *Vnde sua hausit Nicolaus.* *Nicolaus imitatur apis solertiam.*

B Et quoniam vestra Letiensis ecclesia specialiter beati Lamberti patrocinio gloriatur, eiusque reliquias pro amore indubitanter complectitur; hoc paruitatis meæ opusculum, sanctitati vestræ transmitto, Pater venerabilis, summopere vos deprecans, vt non in eo scribentis imperitiam, sed eorum quæ inscribuntur, & martyris attendatis magnificentiam. Valete & orate pro me. *Letiensis ecclesia habet reliquias S. Lamberti.*

## ANNOTATIONES.

C

1. Dilecto in Christo & vere diligendo Domino suo Wederico.] *Quidam codices, & præsertim is qui legitur in ecclesia cathedrali Leodiensi, praeferunt hunc titulum.* In nomine Domini, Nicolaus ecclesiæ sanctæ Mariæ, sanctique Lamberti, quæ est in Leodio, humilis canonicus, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. *Sed ex lectione epistolæ dedicatoriæ manifestum est, verum titulum esse, quem hic noster codex prafert.*

2. Wederico Letiensis ecclesiæ venerabili abbati.] *Hic VVedericus tertius est numero Letiensis abbas, electus anno Domini 1124. vt chronica dicti loci attestantur. Ex quo vides quo tempore noster Nicolaus floruerit. Postmodum, hic idem VVedericus, electione monachorum S. Vedasti apud Atrebatum, & iussu Eugenij papæ tertij, relictis Letijs, ad regimen monasterij S. Vedasti transire coactus fuit,*
D *non sine suis & suorum, quos deserebat, lachrymis, anno Domini millesimo centesimo quadragesimo tertio.*

3. Hæc equidem partim ex gestis regum Francorum, partim ex chronicis Reginonis Pruniacensis abbatis, & Sigeberti venerabilis monachi.] *Regino de quo fit hic mentio, floruit anno Domini nongentesimo decimo. Quæ de causa martyrij sancti Lamberti scribit, annotauimus supra ad Anselmum cap. 11. vbi similiter habes ea, quæ eadem de re scribit Sigebertus, de quo hic mentionem facit Nicolaus.*

4. Et quoniam vestra Letiensis ecclesia specialiter beati Lamberti patrocinio gloriatur, eiusque reliquias pro amore indubitanter complectitur.] *Anno supradicto, hoc est, millesimo centesimo quadragesimo tertio, quarto decimo calendas Ianuarij, facta fuit Leodij repositio reliquiarum beati*

*beati Lamberti martyris de vasculo, in quo post passionem, à sancto Huberto episcopo locatæ fuerant, in vas aliud, quod in honore ipsius decenter fabricatum fulgebat, præsente Alberone secundo, ecclesiæ Leodiensis episcopo, astante frequentia procerum & cleri. Huic repositioni cum aliis interfuit quoque hic VVedericus tertius, vt ante diximus, Letiensis Abbas, atque inde maxima & pretiosa dona, reuertens Letiam retulit, videlicet, os de corpore ipsius martyris, & de cinere tam carnis ipsius quàm vestimentorum, & lectuli, in quo primo sepultus fuit, quæ decimo calendas Ianuarij, cum gaudio Letijs excepta, ad decus & tutelam ecclesiæ, in vasculo argenteo, in honorem illarum præparato, sunt recondita, vt ex religiosorum illius monasterij literis, quas dominus Daniel Raymundi nouissime, anno Domini millesimo sexcentesimo primo recepit & mihi communicauit, liquide constat.* A B

## *Quo tempore, & quibus parentibus ortus sit sanctus Lambertus: & de Landoaldo eius præceptore.*

## CAPVT PRIMVM.

GLoriosus vir Lambertus, & æterno regi sacerdos & martyr electus, insigni ex prosapia in Traiecto extitit oriundus, qui est super Mosam fluuium, grandis vicus, non longè à dirutis vrbis Tungrorum mœnibus. Pater eius Aper, vir illustris, hæreditariam à maioribus suis sibi relictam comitatus illic strenuè gubernabat dignitatem: mater verò Herisplendis nomine, claritatem nobilitatis, moribus exornabat pudicitiæ & honestatis. C

*Parentes S. Lamberti.*

Eo tempore, Eraclius post Focam Romani fastigium adeptus erat imperij: eam verò partem regni Francorum, quæ Austria dicitur, Dagoberti Regis filius Sigebertus admodum iuuenis, prudenter sub patre gubernabat, per Cunibertum Coloniensem Episcopum, & maiorem domus Pipinum primum; viros fide, iustitia, cōsilijs conspicuos.

*S. Lambertus natus tempore Eraclij Imperatoris & Sigeberti Regis Francorum.*

Sub his itaque principibus, ab illustribus, vt præmissum est, Lambertus natus est parentibus. Qui quoniam christianissimi erant, in coniugali copula Deo placere studentes, cùm hunc talem Deo promeruissent diuitiarum suarum hæredem, sacris eum literis imbuendum, & ecclesiasticis ministerijs mancipandum, nec sine diuina prouidentia, disposuerunt, quod etiam ipsius pueri beata spirare videbatur infantia. D

*Prouidendum cui pueri tradātur instruendi.*

Et quia pater eius, vir prudens erat, sanctum sancto magistrum elegit filio: ne puerilis innocentia, columbina simplicitas, cuiuslibet prauitate doctoris inficeretur. Initiandum ergo studio literarum, submisit eum viro venerabili Landoaldo: cuius vitæ integritas, & scientiæ, sermonisq; vbertas, in hac regione tunc celebris habebatur hic

*Traditur erudiendus sacris literis venerabili viro S. Landoaldo.*

A hic siquidem Landoaldus, sub sancto Amando episcopo archipresbiter ecclesiæ Tungrensis ordinatus, Deo ibidem militauerat: eandemque ecclesiam, per nouem annos episcopo vacantem, vsque ad sacerdotium beati Remacli, diligenter rexerat.

Landoaldus itaque, teneros annos sancti pueri, paterno sinu complectens, ad normam sanctæ vitæ, informabat primæuæ ætatis mores. Diuina siquidem gratia, quæ se eius cordi abundanter infuderat, pueritiæ eius teneritudinem manifestè prouehebat, in virilis sensus maturitatem. Qui quantum sub eodem beato viro profecerit, quam puro pectore pietatis ac sobrietatis doctrinam hauserit, superfluum arbitramur inculcare verbis, cùm fructū tam fœlicis laboris adhuc
B hodie passim exuberare videamus.

ANNOTATIONES.

1. Mater verò Herisplendis nomine. ] *Matrem S.Lamberti vocatam fuisse Herisplendem, primus asserit Notgerus episcopus Leodiensis in vita S.Landoaldi, quem hic sequitur Nicolaus & Renerus infra cap. 1. vbi nota hæc verba:* Matrē eius inter Francorum nobiles pernobilem, accepit à patribus postentas, vocatam fuisse Herisplendem.

2. Submisit eum viro venerabili Lādoaldo.] *Huius Landoaldi non meminit Godeschalcus neque Stephanus: quæ de eo narrat Nicolaus, hausit verosimiliter ex Notgero in vita ipsius Landoaldi, quam habes apud Surium tom.2.*

C

*Fons miraculosè excitatur & carbones igniti à B.Lamberto puero in palliolo sine vstione gestantur.*

## CAPVT II.

AT vir illustris Aper, de profectu filij sui non mediocriter exultans, & Deo verbis & factis gratias referens, fundum proprietatis suæ, quod Wentershouium dicitur, iure perpetuo delegauit illi, illiusque tutori Landoaldo: vt ecclesiā ibi constructā, tantò instantius vacarent, ille docendi studio, iste discendi, quantò
D remotius viuerent à vanitate sæculi.

*Parentes S.Lāberti dant Lādoaldo fundū ad ædificandā ecclesiam.*

Vbi dum insisteretur in ædificanda ecclesia, artifices super penuria potabilis aquæ conquerebātur, quia ibi aqua ex palustri colluuie collecta, bibentes magis torquebat amaritudine, quam aliqua refocillaret suauitate. Sanctus Magister, sanctiorque Magistro discipulus, fidem habentes in eum, qui amaris aquis de Marath dulcedinem indidit, & qui aquas de petra produxit, communi voto pariter exorant pietatem omnipotentis. Inuocato ergo nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, baculo designāt locum in modum sanctæ crucis. Mira res, sed fidei non inusitata, fons ibi statim emanauit limpidissimus, qui vsibus hominum amabilis, dum quotidiano incolas reficit beneficio, tanti miraculi non finit interire memoriam.

*Exod. 15. Num. 20.*

*SS.Lambertus & Lādoaldus fontem miraculosè excitant.*

 Simi-

Similiter, die quadam, cum iam hyemalis algor inhorruisset, fortè ignis in habitaculo venerabilis sacerdotis Landoaldi penitus defecerat. Qui aduocato prædicto puero: curre, inquit, fili, & à vicina domo ardentes prunas defer, vsibus nostris necessarias. Cũque vas ad conuehendum ignem, puer Lambertus in promptu non haberet, & doctoris vrgeret imperium, cucurrit tamen velocius, ne modicâ saltem morâ, ingratum faceret suum magistro ministerium. Homines autem regionis illius, per syluas & paludes, quibus abũdãt, dispersi, longè à se inuicem distant, & habitant. Itaque ad vicinum tugurium, in quo copiosum ignem ardere à longè notauerat, festinus accessit, sibique carbones dari à circumsedentibus expetijt. Quærentibus autem illis, cum irrisione (cùm vas non haberet) vellet ne eos in vestibus suis excipere; ille, vt erat colũbinæ simplicitatis, palliolum suum ambabus manibus, & brachiolis extensum, diligenter aptauit, exceptamque in eo, sufficientem ardentium prunarum copiam, ne qua tamen possent effluere, firmiter astrinxit, lætusque cum festinatione redijt. Cumque coram magistro eas humiliter deposuisset, vestemque excussisset, nullum penitus in ea apparuit corruptionis signum, nullum vel modicæ adustionis vestigium. Mirari cœpit intra se venerabilis sacerdos, & omnipotenti Deo gratias agere; quia, sicut videbat vestem illæsam ab incendio, sic mentem pueri sinceram & mundam notauerat ab omni elationis vitio.

*S. Lambertus puer prunas ardentes sine læsione gestat in palliolo.*

A B C

Interea fœlix adolescens Lambertus, sub Landoaldo, in diuinarum & mundanarum literarum scientia, non mediocriter exercitatus, & viam Domini, iuxta teneræ modum ætatis, sufficienter est edoctus, mundus & integer, mente & corpore penitus ab ijs vitijs, aduersum quæ, parum cauta est lubrica ætas adolescentium: maximè eorum quos & nobilitas carnis, & rerum opulentia impellit ad petulantiam.

*S. Lambertus adolescens non mediocriter in diuinis & humanis literis profecit.*

### ANNOTATIONES.

Fons ibi statim emanauit limpidissimus. ] *Godeschalcus non meminit huius fontis miraculosè excitati; sicut nec carbonum ignitorum in vestibus sine læsione gestatorum. Nicolaus, vt apparet, hausit illa ex vita Landoaldi scripta per Notgerum, de qua superiore capite: verba Notgeri habes in annotationibus nostris ad Anselmum cap. 5. Renerus infra meminit huius fontis cap. 3.* Et dicit nos illud habere ex traditione patrum: *sic enim ille, de hoc fonte loquens, habet*: Cuius beneficij memoriam, dum patres generatim narrando transmittunt ad filios, merita sanctorum accumulant. *Non meminit verò carbonum ignitorum.* D

A

## *Sanctus Lambertus commendatur beato Theodardo episcopo.*

## CAPVT III.

*S. Lambertus iuuenis commendatur S. Theodardo Traiectensi episcopo.*

CVm itaque iam iuuentutis attingeret florem, commendatur à patre, (quem post Deum, miro venerabatur affectu) sanctissimo viro Theodardo: qui beati Remacli successor, Tungrensi tunc præsidebat ecclesiæ. Quem, venerabilis pontifex Theodardus, B quasi dilectissimum pignus, & vnicum filium, spirituali suscipiens & complectẽs desiderio, eiusque mores & actus, tacita & subtili consideratione, perscrutans; cœpit venerari & admirari, quas depræhenderat in iuuene multiplices diuinæ gratiæ donationes, multo fœliciorem se reputans, talis alumni famulatu & contubernio, quam Moysen, Iosuæ, seu Heli Samuelis ministerio.

*Exod 17. 1. Reg. 2.*

Erat enim verè dignus beatus Lambertus, aspectu amabilis, colloquio affabilis, rectam conuersationem habens cum omnibus hominibus. Parui pendebat præsentia, veluti deuouerat in pueritia: æstimans pro nihilo omnia, præter quod erat æternæ salutis gratia. Cœlestibus animo inhærens, sese in holocaustum Domino mactabat. Et sicut hi conscripserunt, qui quantitatem seu qualitatem formæ eius, memoriæ prodiderunt, ita eum summus artifex, & naturæ ratio composuit, vt in toto eius corpore, vix aliquid reperiri posset, quod excedere videretur modum venustatis & elegantiæ.

*Dotes corporis S. Lamberti.*

C

Denique tanta erat circa episcopum in obsequendo eius humilitas, in sacra lectione assiduitas, in oratione deuotio, in ieiunijs moderatio, in eleemosynis largitas, in hospitalitate hilaritas, vt in oppido populoso, & inter magnorum principum assiduos conuentus, quibus eum interesse Tungrensis ecclesiæ negotia sæpius cogebãt; solus vitæ suæ qualitate promeruerit, quatenus eum & boni possent veraciter prædicare, & mali formidarent detrahere.

*Dotes animi*

*Omnibus etiam malis est admirationi.*

### ANNOTATIONES.

D

1. Veluti deuouerat in pueritia.] *S. Lambertum à pueritia tum à parentibus, tum à propria indole deuotum & mancipatum diuino seruitio fuisse, omnes qui vitam eius scripserunt, vniformiter affirmant. Idem quoque habet Anselmus in gestis pontificum Leodiensium cap. 5. vbi de S. Lamberto puero loquens:* à primæua, *inquit,* ætate, nobilius est in sancta religione conuersatus.

2. Et sicut hi conscripserunt.] *Godeschalcum imprimis intelligit, qui primus quantitatem & qualitatem corporis B. Lamberti pueri egregiè depinxit capi 1. quem deinceps reliqui sequuti sunt.*

Ccc 2 *Theodardo*

*Beato Theodardo propter iustitiam à prædonibus interfecto, S. Lambertus corpus martyris repetit, & magnâ exequiarum pompâ Leodij sepelit.*

## CAPVT IIII.

CONtigit interea beatū præsulem Theodardum, per innocentiæ viam, in territorio Spirensium, ad martyrij coronā peruenire. Cuius rei acerbitate, & tam lugubri Lambertus consternatus est nuntio: quamuis enim eum sanctorū martyrum gloria sublimatum non dubitaret; tamen non tēperauit à lachrymis, quas eliciebat, non incredulitatis diffidentia, sed desiderium charitatis. Angebatur maximè, quod dulcissimi patris saltem supremo non interfuisset funeri. Vt ergo eum quem dilexerat viuum, honoraret mortuum, ad solatium vniuersi doloris sui, accinxit se constanter, ad repetendum corpus exanime sacerdotis, & martyris: & licet id frustra, iam primo tentauerit, secunda tamen profectione, quod desiderabat obtinuit. B

*S. Lambertus deflet mortem Theodardi martyris.*

*Repetit corpus exanime.*

Relatum itaque tam sacratissimum pignus, non sine magna exequiarum pompa sepeliuit: eiusq; tumulo honorauit villam Legiam, tunc quidem ignobilem vicum, nunc verò ordinatione diuina, & ipsius beati Lamberti patrocinantibus meritis, totius huius regionis caput principatus domicilium. C

*Sepelit magna exequiarum pompa.*

Eo siquidem tempore, Tungrorum ciuitas ab Hunnis iam pridem funditus euersa, euolutis ab excidio suo plusquam ducētis annis, vix a paucis inhabitabatur, cunctaque suę antiquæ nobilitatis & claritatis insignia, vastitatis & solitudinis ipsius magnitudo obliterauerat: solam verò pontificalis cathedræ dignitatem, quam à beato Materno, primo ipsius ciuitatis episcopo acceperat, adhuc in ecclesia sanctæ Mariæ perpetuæ virginis, inter ipsas murorum suorum ruinas, inconcusse retinebat. D

*Ciuitas Tūgrorum ducentis ab excidio euolutis annis vix habitatur. Tungris etiam inter ipsas murorum suorum ruinas, pontificalis cathedra dignitatem retinuit.*

Et quoniam Traiectenses, qui erant ei versus Oriētem satis finitimi, rebus, multaque populi frequentia tunc in ea regione potentiores habebantur; eorum ordinatione & dispositione, Tungrēsis sedes tanquam decrepita, & præmortua mater, à validiore & prudentiore filia gubernabatur, adeò vt vsque ad sacerdotium beati Huberti, non minus Traiectensis, quàm Tungrensis episcopatus diceretur.

### ANNOTATIONES.

Inter ipsas murorum suorum ruinas inconcusse retinebat. ]
*Reperio in antiquo M. S. codice canonicorum regularium Tungrensiū, Henricum 54. episcopū*

A *episcopum Leodiensem, obtinuisse à summo pontifice & Imperatore, vt episcopatus qui à tempore sancti Materni vsque ad tempora sua dictus fuit Tungrensis, deinceps debeat semper nominari Leodiensis, & non amplius Tungrensis: documenta hac nusquam adhuc legi: mutatum verò ab eo tempore nomen fuisse, per omnes scriptores constat.*

---

### *S. Lambertus à comprouincialibus episcopis ab aula & populo in locum S. Theodardi surrogatur.*

B

## CAPVT V.

IGitur qui Tungrensi ecclesiæ substitueretur episcopus, multum desiderabatur in ecclesia Dei, multum super hoc tractabatur in aula regis Francorũ Clodouei, eiusque filij Hildrici, qui sub patre regnabat in Austria. Nam Sigebertus Clodouei frater, absque liberis iam obierat.

Itaquè paulatim sermo intra ecclesiam, ab ecclesia ad populi frequentiam, discurrebat, nullum Lamberto meliorem, nullum eo Tungrensium episcopatu esse digniorem, quem certissime nouerant ditatum honoribus sanctimoniæ illustratum commercijs parcimo- *Omnium suffragijs eligitur episcopus Tungrensis.*
C niæ. Spiritus sancti ergo inspirante gratia, plebs Traiectẽsium pariter congregata, in episcopum eum sibi eligi, & in loco magistri succedere acclamauit. Regalis etiam celsitudo, ac Palatinorum procerum multitudo, apud quos non leuis existimatio Lamberti erat, electioni assentiendo, tulère suffragium.

At vir Dei Lambertus, qui sacerdotium studuerat mereri, non suscipere, se indignũ tali honore, sè tanto oneri causabatur incongruũ. Sed quantò plus repugnabat, tantò magis omnium in se studia concitabat; eò quod amplius ab omnibus iudicabatur ambiendus, quò in appetendo episcopatu inueniebatur minimè ambitiosus. *Quanto plus reclamat tanto magis omnium in se studia excitat.*

Omnibus itaque acclamantibus, iamque piam violentiam, inuito,
D renitentique, se facturos minitantibus: cœpit vir Deo plenus, intra se cogitare, quia diuinæ dona gratiæ meretur amittere, quisquis sub specie humilitatis, pertinaciter refugit, per ea quæ habet bona, proximis prodesse. Timebat manifestæ Dei voluntati resistere, & charitatis, & obedientiæ terminos excedere; sicque per omnia verè humilis, verè Deo subiectus, & fragilitatis humanę non immemor, tantæ plebis regimen suscipere timuit; sed de Dei vocantis se virtute præsumendo, consensit. *Timet charitatis & obedientiæ terminos pertinaciter excedere.*

Sic Traiectensium testimonio, comprouincialium episcoporum iuditio approbatus, per sacræ vnctionis ministerium, Spiritus sancti virtutem suscipiens, Tungrensi Cathedræ vicesimus nonus præsedit episcopus. *Consecratur in episcopum.*

### *Quanta apud Clodoueum & Hildricum reges, propter vitæ sanctitatem, auctoritatis fuerit: quodq, mortuo Hilderico, per Ebroinum iniquè episcopatu pulsus fuerit.*

## CAPVT VI.

*Honor non mutat S. Lamberti mores.*

*Nulla in eo elatio.*

*Rom 10.*

*Celebratur nomen eius prærogatiua meritorum & claritate miraculorum.*

SOrtitus itaque apicem dignitatis ecclesiasticæ, studuit pietatis augere opera, qui pontificali auctus erat infula. Non imminuit in eo, sed multiplicauit anterioris vitæ gratiam, collatæ potestatis excellētia: nec penitus in eius animo locum habuit pestis, quæ religiosarum mentium statum sæpius euertēs, his qui cæteris præsunt, nimis familiaris est, elatio. Mactabat omni die holocaustū Domino, non ex pecore alieno, sed ex corpore proprio. Consilium & opus suū semper ad Dominum conuertebat: cor eius & pedes directi erant ad euangelizandam pacem. Iamque per acceptam superabundanter spiritualium donorum gratiam opinio eius longe lateque celebriter prædicabatur, non solum prærogatiuâ meritorum, sed & claritate miraculorum. B

*Clodoueus cōmendat se orationibus S. Lamberti eiusque consiliis vtitur.*

*Vocat illum patrem & apostolicum virum.*

*Priuilegium concessum ecclesiæ S. Mariæ Traiectensi per Clodoueum regem, petente S. Lamberto.*

Vnde non immerito familiariter eo vtebatur, eiusq; se orationibus commendabat & consilio submittebat, Clodoueus Rex Francorum: nec quicquam in dispositione regni sui videbatur ei satis validum, quod non erat tanti viri prudentia & authoritate corroboratum. Quantæ autem existimationis & authoritatis beatus Lābertus apud regem fuerit, manifeste patet; cùm eum idem pacificus rex, non solum episcopum, sed & patrem, & apostolicū virum appellet in eo priuilegio, quod promulgauit, ipso sancto præsule petente, pro immunitate & possessionibus ecclesiæ sanctæ Mariæ perpetuæ virginis, in cuius nomine & honore, eo tempore Traiecti vigebat, post Tungris, quædam dignitas pontificalis cathedræ. Quod priuilegium vsque hodie apud nos coseruari non dubium est. C

*Hildricus rex veneratur S. Lambertum.*

*Quid nomine Austriæ venit intelligendum.*

Similiter post obitum Clodouei, sanctum Lambertum nimia familiaritate venerabatur Hildricus, qui patri successerat in regno Austriæ. Siquidem Austria dicebatur ea pars regni Francorum, quæ à Burgundia vsque ad mare Frisonum extenditur, & hinc Rheno, illinc syluâ carbonariâ, seu Hānoniâ cōcluditur. Hęc tota, sancti viri expetebat authoritatem, & consilium; eiusque meritis, ecclesia Dei tranquillata est, Rexque Hildricus, aliquamdiu bonitate floruit, & prosperitate. D

*Hildericus ambitione peruertitur.*

Sed quia reges, sicut nec seruire cuiquam volunt, ita semper maiorem dominationem desiderare non desinunt, Hildricus, postposito viri Dei consilio, abiecto germanitatis affectu, animum & manum

A num tetendit in regnum fratris sui Theodorici, qui regnabat in Neustria: eoque expulso, fraterni regni, non sine sanguine, vsurpauit principatum. Sed non est diuturna, scelere quæsita potentia, nam paulò post, Hildricus, ob insolentiam morum suorum, insidijs quorundam Francorum, in venatione exceptus, grauiterque vulneratus interijt. *Expellit regno fratrem suum Theodoricum. In venatione interimitur.*

At Ebroinus vir crudelis, & malitiosus, qui, sub Theodorico rege maior domus, Franciam sæpius turbauerat, audita morte Hildrici, sanctæ religionis habitum reiecit: nam timore Hildrici, monachum in Luxuuio professus fuerat. Ita maximum suæ factionis exercitum, à Burgundia colligens, Theodoricum in regnum Francorum reduxit, non quia eum diligebat, sed quia per eum se vlcisci desiderabat. Totam denique iniuriarum suarum vltionem, maximè in ecclesiã Dei retorsit, magnosq; ac sacerdotales viros, quorum ei sanctitas, & libertas vocis suspecta erat, de medio auferens, alios ex eis exilij proscriptione, alios carcerum & tormentorum maceratione afflixit. De quorum numero B. Leodegarium, Augustudinensem episcopum, miris cruciatuũ modis Christo martyrem fecit. *Ebroinus religionis quam professus fuerat habitum abijcit. Colligit exercitum.* B *Vltionem retorquet in sacerdotales viros primarios. Beatum Leodegarium miris cruciatibus martyrẽ facit.*

Et quia Beatus Lambertus, intima & spirituali familiaritate, Hildrico coniunctus fuerat, timens prædictus vir nequam, ne eum, qui sanctitate & authoritate cæteris præeminebat, suæ factionis haberet contrarium, & iustitiæ ac publicæ libertatis defensorem, eum ab episcopatu Tungrensi expulit, & Pharamundum quendam, vt dicunt, Coloniensem clericum, calcatâ omni sacrorum canonum reuerentiâ, illuc obtrudendo, violenter intronizauit. *Ebroinus mulctat exilio S. Lambertum & quare.* C *Intrudit Pharamundum clericum Coloniensem in episcopatum.*

Quanta autem, per hunc inuasorem, facta fuerit in Tungrensi ecclesia, totius diuini & humani iuris confusio, bonorum omnium desolatio, quàm oppressa æquitas, quàm dissoluta prauitas, si vellemus scripto prosequi, non iam videremur inchoati operis historiam texere, sed tragediam deplorando conscribere. Per hunc Tungrensis ecclesia, plus experiendo quàm legendo didicit, quia *fur non venit, nisi vt furetur, & mactet & perdat.* *Pharamundus diuina & humana iura confundit. Ioann. 10.*

ANNOTATIONES.

D *1. De Hildrico & Theodorico fratribus, necnon de Ebroino, eiusque iniustitia & crudelitate, vide annotationes nostras ad Anselmi cap. 6.*

2. Et hinc Rheno illinc sylua carbonaria seu Hannonia. ] *Codex M.S. qui legitur in cathedrali legit* seu Arrogona, *vitio amanuensis, quia in finibus Austriæ, nullus locus hoc nomine appellatur: carbonariam verò syluam cis Tornacum & Cameracum venientibus à Rheno constituit Aymoinus hist. Franc. lib. 1. cap. 5. & Ortelius in thesauro suo Geographico, & ita se habere satis hic à Nicolao innuitur, dum quatuor Austrasiæ latera describens, opponit orientali eius lateri, quod Rhenanum vocat, occidentale hoc Carbonaria sylua, & constat Hannoniam ab ea parte vltimum Austrasiaci regni esse limitem. Sunt & qui Carbonariã Arduennã faciant, aut episcopatum Leodiensem, sed constat ex historicis, vt iam diximus, Hannoniam fuisse extremum terminum, de quo hic loquitur Nicolaus.*

A

## *Sancti Lamberti insignis patientia, & humilitas: eiusdem ad monasterium Stabulense profectio.*

## CAPVT VII.

HAc itaque horribili tempestate, in regno Francorum excitata, omnia omninò confusa, omninò turbata erant, per prædictos sceleratos ministros, per Ebroinũ Austria, per Pharamundum B Traiectensis ecclesia. Sed omnipotens Deus, cuius gloriæ laus magnificatur, cum sanctorum suorum virtus declaratur, fieri hoc misericorditer permittebat: vt quanta esset in seruo & sacerdote suo Lamberto fortitudo patientiæ, & virtus veræ humilitatis, manifestaretur per flagellum tribulationis.

*Flagello tribulationis Deus demonstrat humilitatem & patientiam S. Lamberti.*

Nam Lambertus Christi athleta, clementer ferens cuncta, præsulatûs liquit sceptrũ, cõmendãs curam ouium ei qui lauit baptismate, & redemit sanguine. Et, quem nec dignitatis sublimitas tumidũ, nec magnæ possessiones cupidum, nec diuturna tranquillitas effecerat resolutum, superueniente articulo persequutionis, adeò virum Dei patientiæ æquanimitas roborauit, vt nec eum vehemens tribulatio C fractũ, nec priuatio honoris confusum, nec rerũ temporaliũ damna conspexerint miserum.

*Mira in S. Lamberto animi æquabilitas & constantia.*

Volebat tyrannis & oppressoribus ecclesiæ Dei, sacerdotali authoritate resistere; sed eorum & multitudinem, & mentis nimiam obstinationem considerans, infructuosum laborem prudenter declinando, cedẽdum tempori adiudicauit: ne etiã videretur intercepti honoris vltionem exercere, non pro iustitia decertare. Gaudebat honores transitorios, & publicarũ curarũ se euasisse tumultus: seque nunc beatum pronunciabat & fœlicem, cùm liber ab omnibus, diu optatam monasticæ quietis obtinere poterat securitatem.

*Cedit prudenter tempori & aduersarijs & quare.*

*Confert se ad quietem monasticam.*

Sũma, & sola pij patris sollicitudo erat, filiorũ destitutio: quorũ, D sicut semper in charitate Christi, desiderauerat salutem, sic sine maxima cordis contritione, non poterat videre perniciem. Nec minor apparebat erga eum, in orbatis Traiectensibus filialis affectio, quem etsi propter persequutionis sæuitiam, retinere non audebãt, ab eius tamen præsentia, & amplexu auelli vix poterant.

*Quid contristet episcopum.*

Cùmque discederet vir mitissimus, omnis eum populus, cum clero, lamentabatur, longiusque eum ab oppido prosequentes, cum gemitu & lachrymis dicebant: cur nos deseris, sacerdos sanctissime? cui nos committis, pastor vigilantissimè? cur relinquis gregem deuotum? & quare supplicem clerum? quis orabit Deum pro nobis? & quis

*Lamentatio populi de discessu S. Lamberti.*

A & quis sublato pastore, à morsibus nostris luporũ arcebit insidias? Tu sacerdotes sermone & opere, tu populũ prędicationis exhortatione informabas: tu destitutis solatiũ, captiuis precium: tu ieiunis cibum, nudis largiebaris operimentum. O decus, ô lumen ecclesiæ, ô custos & pater patriæ, educ nos tecum: vt qui in tranquillitate tuis instituti sumus præceptis, tuis iocundati beneficijs, tuæ mereamur participes esse tribulationis.

At venerabilis sacerdos, tãtis suorum vocibus, & lachrymis permotus, lachrymas pietatis & ipse fundens, parumper substitit, conuersusque ad eos, qualiter verbum Dei, viam iustitiæ & salutis, quam ex ore eius audierant, conseruarent, edocuit: adhibitisque sancto-B rum, de patientia, exemplis, & præceptis, ne in præsentibus tribulationibus deficerent, vtque in Deo constanter sperarent, sæpius admonuit: *quia Deus non confundit sperantes in se.* *S. Lambertus proponit populo patientiæ præcepta & exempla. Psalm. 24.*

Post hæc, sacras manus, & oculos ad cœlum eleuans, pro astantibus, & deuotis sibi filijs, paternam ad Deum, fudit orationem: consignansque eos crucis signo salutari, & absolutos, in osculo pacis, animpquiores remisit ad propria. *Orat pro populo & illi valedicens benedicit.*

Tanta autem fuit prædictorum tyrannorum potestas & crudelitas, vt ex omni ecclesiasticæ familiæ numero, vix duo pueri, obsequio tanti viri adhærere, non timuerunt: quorum alter, Theodoënus nomine, vt maiores nostri scriptum reliquerunt, operum eius C veridicus relator, & testis idoneus extitit. *Omnes familiares deserunt S. Lambertum duob⁹ exceptis.*

His itaque comitibus, vir Dei Lambertus, cœnobium in loco, cui Stabulaus nomẽ est, situm expetijt. Hic siquidem locus, inter vastos, & confragosos Ardennæ saltus, nulli tunc humanæ habitationi habilis, squallidus horrebat; sterili & emoriente terra, non segetibus, non pomiferis arboribus apta, non alendis pecoribus grata, non cõmercijs quæstuosa, qua, exceptis aliquot riuorum seu fontium irrigationibus, horribiliorem non incoluerunt Paulus vel Anthonius eremi solitudinem. *Cœnobium Stabulense. Locus Stabulaus, qualis.*

Hic sanctus Remaclus cœnobium deuotione & expensis Sige-D berti Regis cõstruxerat, & ordinauerat, aggregatis in eo multis fidelibus, quibus sub regulari diciplina, multis annis, illic strēnuè præfuit: vitamque, & omnem conuersationem suam, tanquam præclarum monasticę perfectionis speculum, subditis exhibuit. Hunc ergò locum, quia solitarium, & ideò congruum monachis, præbebat habitaculum, Sanctus pontifex Lambertus elegit expetendum. *S. Remaclus cœnobium Stabulense extruxit expensis Sigeberti regis.*

Tantus itaque vir, qui videbatur, & erat sanctitate & dignitatis excellentia venerabilis, obedientiam filij Dei summopere imitari desiderans, non affectata corporis, aut verborum inclinatione, sed vera & profunda mentis humiliatione, iugũ obedientiæ & subiectionis, ab abbate sibi imponi petijt, & obtinuit: ibideq; per septem annos, sanctam, & angelicam vitam, in omni virtutũ obseruantia, exegit. *S. Lambertus petit sibi imponi iugum obedientiæ, & obtinet.*

ANNOTATIONES. A

1. Arduennæ saltus.] *Arduenna sylua fuit mira magnitudinis, quæ olim à ripis Rheni & Treuirorum finibus, ad Neruios vsque protigit, & in longitudinem, teste Cæsare, milibus amplius quingentis patuit. Habes quædam de ea in Harigero c. 55.*

2. Hic S. Remaclus cœnobium.] *Loquitur de Stabulensi monasterio, quod à S. Remaclo constructum esse habes in Harigero cap. 56.*

---

*Prompta S. Lamberti obedientia, in hyemali frigore perferendo admirabilis constantia & alacritas.* B

## CAPVT VIII.

*Exemplum veræ obedientiæ.*

AD declarandam autem veram animi eius virtutem, & patientiæ fortitudinem, vnum obedientiæ eius subijciamus exemplum: vt perfecti audiant, in illo, quid imitentur, & infirmi, quid venerentur.

*S. Lambertus solet præuenire fratrum vigilias.*

Solitus erat vir memorabilis inter cætera ardui propositi insignia, solemni consuetudine, publicas fratrum, religioso furto, præuenire vigilias: atque per secretæ orationis deuotionem, diuinæ contẽplationis degustare dulcedinem. C

*Casus sandalij interpellat conuentus nocturnum silentium*

Cùm igitur, nocte quadam, ad id peragendum, clàm lectulo se subtrahens, piè festinaret, vnum de sandalijs (quod genus calceamenti, vulgariter cothurnos dicimus) à manu eius elapsum, corruit: feriensque pauimentum dormitorij, sonitu modico quidem, sed insolito, altum tanti conuentus interpellauit silentium.

*Iubetur ire ad crucem qui interrupit silentium.*

O quanta erat apud eosdem Dei seruos grauium culparum districta correctio, cùm in huiusmodi fortuitis excessibus, tam seuero plecterentur iudicio. Nàm pater monasterij hoc repentino turbatus sonitu, tali culpæ, regularem non distulit adhibere medicinam: sed culpæ authorem ignorans, signis & nutibus quibusdam præcepit, vt exiret ad crucem, quicunque temerario sonitu, interruperat fratrum silentium, & quietem. D

*S. Lambertus solo ciliciolo contectus, discalceatis pedibus vadit ad crucem.*

Statim vir Dei Lambertus præceptum obedientiæ, quasi prospera iuberentur, adimplere contendens, sicut erat adhuc ferè nudus, solo ciliciolo contectus, discalceatis pedibus, dormitorium egressus, crucem adijt: quæ, sub diuo posita, ex more monasterij, huiusmodi corrigendis, erat disciplina.

*Regio Ardẽnæ quæ Stabulaus obsidet, maiorem frigoris & niuium patitur molestiã, quam cæteræ partes Austriæ*

Hyems erat, quæ niue, & glaciali asperitate sæuior inhorruerat. Et, vt pro cõperto habemus, omnis ferè Ardennæ regio, & ea maximè quæ præfatũ obsidet cœnobium, inter suas, quas prædiximus, incommoditates, specialiter tantã perurgetur aëris inclemẽtiã, vt longiorem

giorem

A giorem & asperiorem quàm cæteræ partes Austriæ, niuium & hyemalis horroris, semper patiatur molestiam.

Stabat ergo sacerdos mitissimus, instar crucis ante se positæ, stabat planè viuens hostia Christi, crucifixus mundo, carnisque desiderijs, cum psalmorum modulatione, offerens Deo suauissimos fructus obedientię. Ardebat planè interius flammâ peracleti spiritus, idcircò exteriùs frigoris contempsit cruciatus. Quid eius affectu deuotius? Quid oratione mundius? vt confiteri constanter possimus, cœlum eius patuit precibus, & oratio ad supernos peruenit auditus. Verè beatum virum, & hoc supplicio, sacratis martyribus Christi comparandum, quem diuina prouidentia, & præsentibus tribulationibus exercebat, &, ob multorum salutem, ad maioris certaminis B gloriam, reseruabat. *S. Lambertus iuxta crucem cantat psalmos contemnens frigoris cruciatus.*

Tectus itaque niue magis quàm veste martyr noster, purior auro, quod per ignem probatur, immobiliter perseuerauit in orationis deuotione, quousque fratres vigiliarum solemnitate transacta, cogente eos summa necessitate, domum hyemalem ingressi sunt, accensoque igne copioso, calore refocillabant corpora sua, immanitate frigoris, inter multiplices vestes, iam ferè pręmortua. *Tota nocte illic perseuerat.*

Ibi abbas per absentiã viri Dei, quid in eo egerit, serò depręhendens, cõfusus expalluit, seq; sacrilegũ, se homicidij reum lachrymãdo protestans, cunctis fratribus stuporem incussit formidinis, quod tantũ ac sacerdotalem virum, pro leui excessu, tam iniuriosæ depu- C tâsset pœnitentiæ. Currunt fratres, alter alterum, pia festinatione, præuenire contendentes, & quem putabant seminecem, inueniunt cum alacritate spiritus, psalmos Domino decantantem. *Abbas sero deprehēdit quid cum S. Lamberto egerit. Fratres monasterij festinantes reuocant S. Lambertum*

Eruitur ab illa niuium densitate, fratrumque desiderantium conuentui, honorificè redditur, referens & obedientiæ exemplum, & suæ liberationis miraculum.

Abbas verò & vniuersitas fratrum, non temperantes à lachrymis, humiliter eius deuoluuntur pedibus, suæ ignorantiæ veniam deprecantes. At vir *iustus seipsum*, vt scriptum est, *in primis accusans*, sicut ad impositam sibi pœnam extitit verè patiens, & humilis: ita ad ignoscendum quod rogabatur, non fuit pertinax aut difficilis. O verè manifesta, in seruo suo Lamberto, diuinæ virtutis operatio, per quam, D ad exequendum tam arduum huius obedientiæ præceptum, inflammata est eius mentis alacritas: quod vix vnquam aliqua sit creditura posteritas. *Abbas cum fratribus rogãt S. Lambertum veniam. Prouerb. 18. Faciliter ignoscit.*

Specialiter itaque ob huius triumphi memoriam, in principali ecclesia Leodij, vbi idem preciosus martyr corpore requiescit, mos iste primum inoleuit, vt intra claustralia septa, sub diuo, vexillum crucis Dominicæ perpetuò stabiliretur: licet nonnullæ hoc ecclesiæ vsurpare sibi videntur, alio quidem religionis genere. *Crux sub dio posita in claustro D. Lãberti quid significet.*

A

*De fuga Pharamundi, & reuocatione S. Lamberti ad episcopatum.*

## CAPVT IX.

*Ebroinus interficitur.*

INterea euoluto septennio, irâ Dei in misericordiam versâ, post horridam tempestatem, facta est in ecclesia Dei tranquillitas. Nam Ebroinus, qui Franciam fraude, crudelitate, auaritia, diu vexauerat, iusto Dei iudicio miserè interficitur.

*Pipinus secundus iustus & religiosus domat tyrannidē Regis Theodorici.*

At dux Austriæ Pipinus secundus, Ansigisi filius, Pipini primi ex B Begga filia nepos, cuius vt erat hæres nominis & honoris, ita iustitiæ & religionis, vir acer cōsilio, & manu strēnuus, totam potentiam suam & studium, ad honorem sanctę Dei ecclesiæ & liberationem patriæ conuertit, Regemque Theodoricum, vt tyrannicam crudelitatem in principalem clemētiam commutaret, non minus bellico apparatu, quàm iustitiâ suâ coëgit.

*Tranquillatis rebus fiunt cōuentus sacerdotum ad tractāda ecclesiæ negotia.*

Igitur tranquillatis rebus sub Pipino, cùm iam nulla tempestas bellorū, intercluderet exequutiones legum, cœperunt inter Domini sacerdotes, faciles commeatus, & ad tractanda ecclesiastica negotia, assidui fieri conuentus. Quod Pharamundus Traiectensis ecclesiæ inuasor, & pestis, cōsiderans, qui in rerum motibus, & dubijs temporibus firmissimā spē hactenus habuerat, cępit formidare pacati statū C temporis, ecclesiastici æquitatem examinis, & sicut scriptum est, *fugit impius nemine persequente*, proprij sceleris eum perurgente conscientia, episcopalem sedem, quā male diu occupauerat, peius fugiendo dereliquit: &, vt dicitur, in tota illa prouincia nunquam postea comparuit.

*Pharamundus fugit, & nunquam in prouincia amplius comparet.*

*Fiunt preces ad Deum pro restitutione S. Lamberti episcopi.*

Sic tandem Deo propitio, à tyrannide eius liberata Traiectēsis ecclesia, quanta pertulerit, quàm iniustè dilectum patrem suum Lambertum perdiderit, & miserabiliter recordari, & liberè cœpit conqueri, totoque affectu conuersi ad Dominum, multis suspirijs & lachrymis deprecabātur, quatenus destituto, & luporū morsibus exposito gregi, & desolatis filijs, spiritualem pastorem, & desideratissimū patrem Lambertū, verus pastor Christus restituere dignaretur. D

*Traiectenses adeunt Pipinū rogātes vt sua authoritate repetat S. Lambertum episcopum.*

Et quia Deus liberauerat Austriam per Pipinum, qui, vt præmisimus, sub Rege Theodorico Rempublicā Francorum strēnuè administrabat, eundem Principem vnanimiter adeunt, suæque præteritæ calamitatis deploratione præmissā: consule, inquiunt, princeps clarissime, miserabiliter diuque afflictæ Traiectensi ecclesiæ, tuâque industriâ: restitue huic multitudini destitutæ, huic desolato gregi, pastorem proprium, à quibus pacifico tuo aduentu, solâque famâ modestiæ & iustitiæ tuæ, exterritum abegisti inuasorem, & mercenarium.

Et quia hoc tempus non longa oratione, sed festina indiget consolatione,

A solatione; mitte qui perquirant, & educant à cœnobio Stabulensi, beatissimum virum Lambertum, pontificem nostrum: in quo est sana doctrina, cõuersatio angelica, quia certissime, aut ipsius, aut nullius reformabitur magisterio, quæ deprauata & corrupta est in nobis, per illum perditionis filium Pharamundum, synceritas christianæ fidei, & ecclesiastica religio.

At dux Pipinus, vir qui licet militaribus studijs occuparetur, diuinitatis tamen cultum & ecclesiarum Dei tranquillitatem, in secundis non habebat, Traiectensium habitum veneratus est, & desiderium, eorumq; petitionem non spernendam ratus, cum rem altiori B diligentia perscrutatus esset, summos & religiosos viros, quorũ familiaritate & consilio admodum vtebatur, ad præfatum cœnobium destinauit, vt non videretur vanum & leue, quod tantorum legatorum expetebatur authoritate. *Pipinus mittit Stabuletum viros religiosos qui repetãt S. Lambertum.*

Nondum beatus Remaclus, illius fundator & rector monasterij, vitâ excesserat: sed in senectute bona, diem vocationis suæ, & æternę retributionis præmium fœliciter expectabat. Igitur, cum ex legatis audîsset venerabilis ille sanctorum conuentus, & Traiectensium deuotionem, & religiosam pij principis petitionem, pacemque ecclesijs per eum redditam; immensas omnium bonorum largitori Deo, gratias egerunt, multumque de charitate Dei, de salute proximi, ad inuicem conferentes, sanctum ac Deo amabilem virum Lam- C bertum, ad saluandum populum sibi creditum, ad reformandam catholicæ fidei regulam, ab illa diuinæ contemplationis dulcedine, non sine multis gemitibus & lachrymis abstractum, emiserunt: eumque religiosâ honorificentiâ persequẽtes, ad salutem multorum, quod erat, esse compulerunt. *B. Remaclus viuebat adhuc cum illuc repeteretur B. Lãbertus.* *S. Lambertus redit ad episcopatum.*

Quis sufficienter verbis exprimere valeat, lætitiæ magnitudinem deuoti gregis, in reditu pij pastoris sui? Quis ratione comprehendat vtriusque sexus, omnis ætatis & ordinis, concursus ex agris, effusiones ex oppidis? Præeuntium turbarum lachrymæ, gaudijs plenæ, voces, plausus, congratulationes, circumquaque personabant dicentium, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* *Exultatio in reditu S. Lãberti.* *Ioan. 12.*

D At verò, in Traiectensi clero, & populo, tanta efferbuit exultationis amplitudo, vt ad videndum, & complectendum animarum suarum patrem, & cõseruatorem, ipsa oppidi mœnia, & tecta ferè à sedibus suis euelli viderẽtur, & lætari. Nam Tungrensis, & Traiectensis ecclesia, quid in præsule suo Lamberto, spiritualium beneficiorum habuerit, plus carendo, quàm fruendo modò satis experta, maioris votorum gaudijs, eum prosequi videbatur, & complecti restitutum, quàm primitùs post electionem inthronizatum. *Exultatio cleri & populi Traiectensis.*

Pijs itaq; ouium suarũ vocibus diu desideratus pastor attollitur: & in põtificali cathedra sua decẽter relocatur. Erat verè & sine superstitiõe religiosus, nihil à cœnobita per sacerdotiũ immutatus. Neq; sub obtẽtu resũptę dignitatis, rigorẽ monasticę disciplinę relaxabat, *S. Lambertus restituitur cathedræ episcopali.*

ita vt cunctis videri posset ambiguum, vtrum eius industria, & magnanimitas, in singulari professione & humilitate, an in episcopali prælatione, & hac communi conuersatione specialius & mirabilius A aptaretur. Qui ad reparandam ecclesiasticæ religionis regulam, quæ per pseudochristianos deprauata erat, valdè sollicitus, plus erga corrigendos agebat mansuetudine, quàm sæueritate: plusque prouocabat delinquentes ad obedientiæ salubritatem per exhortationem charitatis, quàm per rigorem potestatis. Non enim poterat doctrina eius esse contemptibilis, qui in omni actione sua, videbatur & erat irrepræhensibilis.

*Est sollicitus pro reparatione disciplinæ. Plus proficit charitatiua exhortatione quã potestatis rigore.*

Nam, vt de cæteris à Deo sibi collatis virtutibus taceamus, tanta specialiter in eo, absque elatione, fulgebat illa angelicæ castitatis puritas, vt non solùm fornicatio circa eum locum non haberet, sed nec quælibet immunditia nominaretur, aut scurrilitas. B

*Inter alias virtutes specialiter relucet in S. Lamberto angelicæ castitatis puritas.*

## ANNOTATIONES.

1 Ebroinus qui Franciam.] *De misera huius Ebroini morte sic loquitur Sigebertus in chron. ad annum 688.* Ebroinum maiorem domus Neustriæ, Francos insolenter opprimentem, Ermenfridus peremit, & ad Pipinum confugit.

2. Pipinus secũdus.] *Vocatur hic Pipinus ab alijs cognomine* Herstallus *ab Herstallo. Qui locus adhuc hodie videtur inter Leodium & Traiectum, vbi ad Mosam fluuium idem Pipinus arcem extruxerat, in quam frequenter, loci captus amœnitate, se recipere solebat, vt ait Barlandus in gestis ducum Brab. c. 2.* C

3. Regemque Theodoricum vt tyrannicam.] *Adstipulatur Sigebertus in chron. ad annum 691.* Pipinus, *inquit*, sibi Neustriam subiugat, & sub Theodorico solus, toti regno principando, statum rerum meliorat.

4. At dux Pipinus.] *Pipinum inter alia præclara restituisse dignitati suæ S. Lambertum, ante ostendimus, testatur quoque Sigebertus ad annum Domini iam dictum. Sic enim ibi ille:* S. quoq; Lambertũ in Traiectẽsi presulatu relocat.

---

*Redditus episcopatui, imperterritus gentibus prædicat, & Taxandros ab idololatriæ errore ad Christum conuertit.* D

## CAPVT X.

SEd & tanta feruebat in eo latitudo Dominicæ charitais; vt sicut exultabat in Deo de salute fidelium: sic afficiebat cor eius error & perditio vicinorum Gentilium.

*Affligitur S. Lambertus errore & perditione vicinorũ Gentilium.*

Nam regio, cui Taxandria nomen est, quæ à Traiectensi oppido versus Septẽtrionem vix tribus miliaribus disparatur, necdum euangelicæ gratiâ prędicationis cognitâ, idololatriæ cultu sordebat. Hęc siquidem

*Taxandriæ situs & magnitudo, eiusque falsa religio.*

A siquidem regio vastis, & ferè continuis paludibus obsita, & ob id, ne finitimis quidem, aliquo cōmercij iure tunc satis nota & peruia, multitudinem agrestis populi in se continebat: cuius mores barbaros, ipsa etiam solitudo & superstitio efferauerat.

Hanc constanter ingressus est veritatis prædicator Lambertus, & ad illas sanctorum martyrum, seu etiam Domini nostri passiones, oculos mentis conuertens, pro infidelium salute, ad omnem non solùm conuitiorum, sed etiam pœnarum tolerantiam se præparabat. Et quia incolę regionis illius non continebantur ciuitatibus, sed pluribus & sparsis vicis inhabitabant, fana eorum, in quibus ob Deorum suorum culturam, frequentes & celebres conuentus habebant, B intrepidus expetebat, prædicans & annuncians verbum salutis, lumen euangelij, planeque contestabatur eis, quàm prophana, quàmque Deo odibilis esset simulachrorum seruitus: dum quod vni & vero Deo, omnium creatori, singulariter iure debetur, hoc ad eius iniuriam, creaturæ, immò dæmonijs, ab hominibus irrationabiliter exhibetur.

*S. Lambertus præparat se ad quæuis pro nomine Christi toleranda.*

At barbari, superstitionis & inueterati erroris sui valde tenaces, mirabiliter quidem ad insolitam viri sancti prędicationem, sed Deorum suorum iniuriam & abiectionem, æquanimiter ferre non poterant. C Cucurrit itaque & commouit fama prædicationis eius totam illam prouinciam, & suggerentibus ac instigantibus templorum sacerdotibus, habitatores eius barbarico more furētes, armati coëunt, vnanimiter statuunt, vt inuentum Domini sacerdotem, prius verberum & verborum contumelijs afficerent, & postmodum ignominiosę mortis supplicio interimerent.

*Barbari proponunt occidere S. Lambertum.*

Sed cum omnis illa furentis populi armata multitudo, ad pręsentiam sancti Pontificis irrupisset, tanta in vultu eius lux cœlestis gratię refulsit, vt diuino nutu perterriti, depositis armis & animis, starent parati obedire, qui venerant occidere.

*Conspecta in vultu S. Lamberti luce cælestis gratiæ deponunt arma, parati obedire, qui venerant occidere.*

Tunc beatus Lābertus, qui teutonicæ linguæ peritus erat, & sine interprete sermo conferebatur, cœpit eis retexere humanæ creationis & præuaricationis originem: & qualiter ob salutem hominum D natus ex virgine Dei filius, in cruce moriendo, grauissimum mortis destruxerit imperium. Cumque eis exposuisset tremendū post hanc breuem & caducam vitam, illius extremi diei iudicium, & quàm beata & perpetua sanctorum, & timentium Deum, futura sit retributio, & impiorum quàm miserabilis damnatio: compuncti sunt corde & profusis pœnitentiæ lachrymis, se peccàsse confessi sunt.

*B. Lambertus teutonicæ lingua peritus. Catechismus B. Lamberti ad Taxandros. Prædicatione S. Lāberti Taxandri conuertuntur ad fidē.*

At sanctissimus Christi sacerdos Lambertus, intelligens per spiritum sanctum, visitatum à Deo cor eorum, dixit eis: nemo vestrûm salutis suæ desperatione frangatur, peruicatia obdurati cordis, à remedio pœnitentiæ, fontem diuinæ pietatis auertat: quia maximum misericordiæ suæ aditum, omnibus saluari cupientibus, benignitas nostri patefecit saluatoris: & si verę pœnitentię affectus in vobis est, solum

*S. Lambertus eos consolatur.*

*Hortatur ad pænitentiam & ad demoliēda idola.*

solum, & verum Deum, Creatorem omnium, eiusque vnigenitum A filium, Iesum Christum, Redemptorem nostrum, ore & corde credendo, cōfitemini, & falsorū Deorū simulachra (quorū spurcissimo ritu eum per ignorantiam offendistis) abijcite, & ad obtinēdam omnium peccatorum vestrorum veniam & remissionem, sacrosancti baptismatis suscipite purificationem.

*Idola confringunt & baptizantur.*

Cùm itaque ad hanc vocem sancti prędicatoris, certatim idola sua contriuissent, aut abiecissent, confluebāt cum maxima humilitate & contritione cordis, ad suscipiendum diuinę regenerationis sacramentum: & baptisata est ab eo, infinita populi multitudo.

*S. Lambertus, ecclesias oportunis locis construit & illis sacerdotes & leuitas præficit. Pergit ad populos Taxandriæ finitimos.*

Et cùm ad nutriendam & informandam huius nouæ christianitatis teneram, & quasi adhuc palpitantem rudemq; infantiam, eccle- B sias per oportuna loca construxisset, & presbyteros & leuitas in eis ordinâsset; descendit euangelicæ prædicationis gratiâ, ad populos ipsi Taxandriæ finitimos: quo fluuius Mosa Rheni, fluminis aquis infectus & tumidus, iamque seipso maior, fontique suo per omnia dissimilis, non longè à mari Anglico, Taxandros & cæteros eiusdem regionis accolas, à Frisonibus diuidit.

---

*VVillibrordum visitat, initáque amicitiâ sæpius cum eo de promouenda fide & religione confert.* C

## CAPVT XI.

*VVillibrordus ordinatur episcopus à B. papa Sergio & mutato nomine Clemens appellatur. VVillibrordus mittitur ad prædicandum Frisonibus.*

Erat eo tempore, in castello quod vlterius Traiectum dicitur, confessor Christi Willibrodus, quem beatus papa Sergius, petente prędicto duce Pipino, episcopum ordinauerat, eumque mutato nomine, Clemētem appellans, honorificè direxerat, ad prędicandum incredulam Frisonum gentem: in quorum regno, idem castellum, supra ripam Rheni, situm est.

*SS. Lambertus & VVillebrordus inter se cōferunt de conuersione Gentilium.*

Huius itaque sancti viri nomen & studium cùm audîsset beatus D Lambertus, desiderabat videre eum, secū reputans, vt verè per omnia humilis, suæ, aliorūque saluti, forè valde necessarium, si tanti patris, in opus euangelij, præsentiam habere mereretur, & consortium. Similiter venerabilis sacerdos Willibrordus, qui & Clemens, comperta sancti viri Lamberti opinione, maximo eum videndi desiderio inflammatus, transmissis tot aquarum interfluentium obstaculis, venit ad eum, mutuoque se inuicem fraternis astringentes amplexibus, alterutrū sibi referebant, quæ & quanta, per eorum ministerium, diuina gratia operata esset in gentibus.

Et, si antiquorum relationi creditur, locus est in pago, quem Testebrantum

A brantum dicunt, haud longe à Mosa, aliquanta arborum amœnitate inumbratus, ad quem beatus Lambertus, adscito in opus euangelij viro Dei Willibrordo, solitus erat sæpius descendere, & confluentibus ad se nouiter baptizatorum turbis, opera christianæ religionis exponere: annuncians eis, quia, vt ait Apostolus *fides sine operibus mortua est.*

*Locus in quo conuenire solēt SS. Lambertus & Willibrordus, Teslebrantum appellatur*

*Iacob. 2.*

In eodem loco, ecclesia in honorem beati Lamberti dedicata, tantæ vsque hodie venerationis est apud incolas religionis illius: vt singulis annis illuc ad impetranda martyris beneficia concurrentes, etiam ipsas arbores quæ atrium opacant, ferro attrectare, sacrilegiū reputent.

*In eo postmodū ecclesia in sancti Lamberti honorem dedicata est.*

B Tota itaq; regio illa (quæ diuersa ab incolis suis sortitur vocabula, & quæ cursu Mosæ dextro latere clausa, vsque in Septentrionem oceanū porrigitur) apostolatui martyris Christi Lamberti debet; quòd errorem suum cognoscere, & quòd christianæ fidei gratiam obtinere promeruerit, & ideo Leodiēsi parochiæ, sicut hodie cernitur, subdita est.

*Tota Taxandria regio ecclesiæ Leodiēsi subdita est.*

ANNOTATIONES.

In castello quod vlterius Traiectum dicitur, cōfessor Christi Willibrordus.] *De hoc ita Sigebertus in chron. ad annum Domini 697.* Willibrordus à Sergio papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Frisonū episcopus cōsecratus, ex dono Pipini principis, sedem episC copalem statuit in loco Vultabuch dicto, qui nunc Vultraiectum dicitur à nomine gentis Vultarum & Traiecto compositum, quasi Vultarum oppidum. Nam Traiectum lingua gallica oppidum dicitur.

---

*Sancti Lamberti exhortatione, Landrada virgo nobilis, sæculo renunciat, quæ postmodum à morte, sancto apparet, & illum de sepulturæ loco miraculosè edocet.*

D

## CAPVT XII.

FVerunt etiam, per idem tempus, nonnulli in sæculari habitu, qui monitis & exemplis tanti patris animati, ob amorem cœlestis patriæ, spretis diuitiarum suarum illecebris, ad arctiorem vitam se contulerunt.

Ex quo numero, Landrada virgo, claris orta natalibus, se, et sua Deo contradidit, & in Bilisia, proprietatis suæ villa, cœnobio constructo, et de manu B. pōtificis, illibatæ virginitatis insignita velamine, cum alijs plerisq; puellis, arduū angelicæ castitatis, inibi aggressa est propositum.

*S. Lādrada virgo nobilis, virtutes S. Lamberti imitatur. Construit cœnobium in Bilisia. Suscipit cum alijs pluribus virginibus velamen virginitatis de manu S. Lamberti.*

*Situs Bilisiæ.* Locus iste in ingressu Taxādriæ positus, duobus à Traiecto, duobus A à dirutis vrbis Tungrorū muris, distat milibus: eò maximè gloriosus, *In Bilisia ecclesia B. Mariæ virginis à sancto Lamberto est dedicata.* quod nunc vsq; continere meretur ecclesiā, à S. Lamberto, in honorem beatæ Mariæ perpetuæ virginis, dedicatam. Hic itaque, cum sacratissima Christi sponsa Landrada, postquam aliquamdiu feruenter exhibuisset Deo, virgineæ professionis obsequium, superueniēte valida carnis ægritudine, venit ad mortem: missoque nuncio, beatum *Grauiter ægrotat S. Lādrada* virum, ausu sanctæ familiaritatis accersiuit, vt in extremis suis, orationum eius consolationem promereretur, & suffragiū, quem in via Dei, in professione virginali, doctorem habuerat & consciū. Et forte tunc episcopus lōgius aberat: audita autem virginis grauissima in- *Petit accersiri S. Lambertum* firmitate, consternatus est animo: omnesque moras festinatione re- B dimens, Bilisiam properabat. Sancta verò virgo, interim carne soluta est: quod & beato viro, in loco vbi ea nocte mansionem acceperat, *Interim dum venit moritur S. Landrada.* per visum reuelatum est.

*Apparet sancto Lamberto cælesti lumine splendida.* Apparuit autem in somnis ipsa virgo iocunda facie, cœlesti veste & lumine splendida: vt per ipsius habitûs claritatem, indubitanter sciret eam iam transisse ad immortalitatis beatitudinem: cumque eam episcopus de collata sibi à Christo virginitatis corona, familiariter congratulādo alloqueretur, adiecit: si absens corpore, non animo, circa finem tuum, dilecta filia, & iam verè Regis mei sponsa, ti- *S. Lambertus petit edoceri de loco sepulturæ.* bi adesse non valui: saltem nunc edoce, quo in loco corpus tuum C debeā sepelire. Cui illa: suspice, inquit, sursum, pater, & locum eum, quem lux in modum sanctæ crucis in terris tibi facit esse conspicuum (& ecce lux in modum crucis rutilans videbatur) hunc, in- *Locum sepulturæ ostendit illustrato eo luce cælesti ad modum sanctæ crucis.* quam locum, scito mihi in sepulturā à Deo cōcessum. Locus autem ille, qui desuper, emissa in modum sanctæ Crucis claritate, beato viro, in terris designabatur, Wentershouium erat: quem ipse sanctus Lambertus sub Landoaldo, vt præmisimus, indole suā insigniuerat. *Vult sepeliri in VVitershouio.*

*S. Lambertus visionem de loco sepulturæ sanctæ Landradæ aperit populo, vultque illam exequi.* Euigilans itaque, & de tanta visione nihil hæsitans, sub omni celeritate venit Bilisiam. Et cōuocatis fidelibus, quorum maxima multitudo ad exequias sacræ virginis conuenerat, & suam præstolabatur præsentiam, reuelatæ sibi mysterium aperuit visionis: omni modo D ad id exequēdum laborans facunda allocutione, paterna dulcedine, inclinare animos tantæ multitudinis.

Sed id frustra tentatum est. Nam vt sanctimonialiū aures hic sermo perculit, quæ circa sacrum funus filiali affectione, virginea sedulitate, excubabāt, dolor transijt in stuporem, visumque est eis to- *Impeditur B. pontifex.* lerabilius perdidisse viuam, quàm non habere saltem mortuā. Querulis itaque fletibus perstrepentes, sancti pontificis aduolutę pedibus: *Querelæ virginum de sepultura Lādradæ.* cur, inquiunt, sanctissime pater, huius loci, huius nostræ professionis ruinam moliris & excidium, cuius fundâsti principium? Certissime enim nos compellis, hunc nostræ professionis locum deserere, qui adeò sordens, & indignus propter nos, à te reputatur, vt non pos-

sit

A sit ad recondendos maternos cineres, mundam saltem terram continere. Et ô nos infœlices & miseras, quæ tam dulcissimæ matris nostræ, & in carne perdidimus præsentiam, & ad cumulum doloris nostri, non merebimur habere, aut aspicere sepulturam. Sed parce pudori nostro, pater dulcissime, moueátque te filiarum tuarum gemitus, & lachrymosa suspiria, & patere vt mater nostra hic habeat sepulturę locum, vbi tot annis Deo acceptum & tuo testimonio cõprobatum, sanctæ virginitatis, custodiuit propositum.

Inclinauerat ad pietatem animos audientium, tam lugubris sacrarum virginum habitus & oratio: conclamaturque à tota illa multitudine astantium, non debere contemni, tam pium, tam humanum, tam rationabile earum desiderium. Coarctatus episcopus, hinc visio B nis certitudine, illinc tot fidelium clamosa petitione; Fiat inquit, vt vultis: scitote tamen certissimè, quia non erit irritum, paternitati nostræ manifestatum cœlestis visionis oraculum. Sepelitur itaque honorificè sacrum virginis corpus in eodem loco, non ex voluntate pontificis, sed tumultuantis iudicio multitudinis.

*S Lambertus cedit querelis. & Landrada in Belisia sepelitur.*

At vir Dei, ad consuetũ sibi recurrens orationis præsidium, toto triduo non destitit diuinam implorare clementiam, vt omnipotens Deus, suę volũtatis de sepelienda virgine, quod sibi reuelauerat consilium, non credentibus faceret manifestum. Et post triduum exurgens ab oratione, cum summa reuerentia & fide, accessit ad tumulum virginis, conuocatisque multis, qui aderant fidelibus: eia, inquit, C filij accedite & aperite hoc sepulchrum, vt experiamini, quod nobis reuelatum est per visionem completum esse, per manifestam diuinæ potentiæ exhibitionem.

*Ingens miraculum.*

Studiosè itaq; huic se accingentes operi, cum omni diligentia, & timore, tumbam aperiunt: sed nulla prorsus funeris indicia, nullas tam recenter sepultæ virginis reliquias reperiunt, non vel ipsum lapideum in quo recondita fuerat, sarcofagum. Mirantibus, & præ nouitate rei, omnibus qui aderant stupentibus, solus vir Dei Lambertus, optato sibi exhilaratus est miraculo: eosque paternè demulcens: nolite ait turbari, sed super incredulitate vestra pœnitentiã agẽtes, cum omni humilitate, & contritione cordis, properate Wentershouium, orantes Dominum, vt & locum à se prædestinatum, & in eo D virginis suæ dignetur vobis manifestare monumentum.

Statim cum summa deuotione Wentreshouium properant. At sacerdos Dei Lambertus incũctanter adijt locum, sibi in visione cœlitus designatum: quem cum, eo præcipiente, aliquantisper fodiendo, egesta humo, penetrâssent, inuenerunt & agnouerunt sarcofagum, & in eo virginis corpusculum, sicut in Bilisia fuerat, tam decenter reconditum: vt omnibus pateret absque dubio hoc nisi angelorum actum esse ministerio.

*Virgines sarcofagum cum corpusculo sanctæ Landradæ diuinitus VVentershouij sepultum reperiunt.*

Vertitur illa tota admiratio concurrentis populi in laudem omnipotẽtis Dei, dignisque præconijs sancti pontificis efferunt merita, qui

*Glorificatur Deus & sanctus eius Lambertus.*

qui in terris positus, mente habitabat in cœlestibus. A

ANNOTATIONES.

Ex quo numero Landrada virgo. ] *Quæ de Landrada hic scribuntur, eiusque admiranda sepulturæ, desumpta sunt ex ipsius vita, scripta per Theodoricum abbatem sancti Trudonis, quæ habetur apud Surium tom. 4.*

---

*Vir nobilis Hubertus, & Oda eius amita, deposito sæcularis gloriæ ambitu, S. Lamberti sanctitatem imitari proponunt.* B

## CAPVT XIII.

EO etiam tempore, quo prædicti Ebroini crudelitas, regnum Francorum grauiter opprimebat, erat adolescēs nobilis, Aquitanus genere, sub Theodorico Rege comes palatij, Hubertus nomine & literarum studijs eruditus, & armorum exercitatione strenuus.

*Hubertus relicta Sequanorū Francia, venit in Austrasiam.*

Hic, quia prudentis erat ingenij, considerās Ebroinum ad omnem malitiam promptissimum, & præcipue ecclesiasticis viris singularem inimicum, execratus omnes actus illius, Franciam Sequanorū deseruit, & in Austriam ad Pipinum, cuius iustitia & virtus bellica, tyrānos circa se fere omnes compresserat, se cōtulit. Adhærebat ei, quasi comes indiuidua, amita sua Oda, quæ erat Boggis Aquitaniæ ducis, recens defuncti vidua. C

*Audit præconia Lamberti pontificis.*

Cùm ergo in parochia Tungrensi, circa memoratum Principem, vir illustris Hubertus aliquamdiu conuersaretur, beati pontificis celebre nomen, eiusque angelicæ conuersationis & apostolicæ doctrinæ ingens præconium, fama vbique discurrente, cognouit, cupiensque videre & audire eum, descendit Traiectum. Quem vir Dei gratanter accepit, multisque diebus secum detinuit: ex cuius sanctissimo contubernio, & exemplo, frequentique colloquio, cor clarissimi comitis adeò immutatum, penitusque succensum est cœlestis patriæ desiderio, vt abiecto militiæ cingulo, calcatâ, mundanæ potentiæ gloriâ, castris Dominicis in clericali habitu, ascribi voluerit: tamque pium sanctæ deuotionis affectum mancipâsset effectui, si non eum copula legitimi, quo alligatus erat, retinuisset coniugij. D

*Illi adhærere studet & seculo renunciare.*

*1. Cor. 7.*

Apostolicum tamen sequutus consilium, *habeat vxorem tanquam non haberet*, rebusque sæcularibus sic vtebatur, vt domum propriam, non tam possidere videretur, quā administrare. Deinde totus in virū cōmutatus alium, nouo viuendi genere, solo habitu, mundanam dignitatem profitebatur, re autem ipsa, & affectu non miles, sed clericus

*Cōmutatur in alium virum.*

cus, non comes, sed Lamberti discipulus erat. Iam enim tunc occultè operabatur in eo Spiritus sanctus, per ministerium sacerdotis sui Lamberti, quod ad salutem multorum, postea manifestè latius propagatum est, cùm per angelicam visionem in episcopali regimine, ipsi beato magistro dignus hæres succedens, sancta cõuersatione, apostolica prædicatione, & Traiectensem ecclesiam illustrauit, & postmodum Leodiensem fœliciter fundauit: quam non sine Dei nutu, ex ignobili viculo, in vrbis claritudinem, ex filia, in matris sublimauit dignitatem.

*Quantus vir Hubertus effectus sit.*

Sed & amita eius Oda venerabilis matrona, cuius paulo superius memoriam fecimus, doctrinam sancti pontificis gratanter expetebat, deposito sæcularis gloriæ ambitu, humiliter sedens secus pedes eius, audiebat assiduè ab eo verba castitatis & sobrietatis: quæ in corde suo, tanquam in bonam terram semen recondens, & in his die ac nocte meditans, retulit in tempore suo, Deo acceptum sanctę viduitatis fructum sexagesimum. Nam Christi sacerdotis Lãberti, spirituali exhortatione, ad contemptum mundi viriliter accincta, possessionum suarum reditus, qui erant amplissimi, in vsus pauperum, & seruorum Dei, cœpit abundanter erogare. Et ad vltimum, cùm post passionem sancti Lamberti, omniũ quæ habebat, Christũ scripsisset hæredem, in prædio suo quod Amanium dicunt, non longè à Leodio, ecclesiam in honorem beati Georgij martyris, extruxit: vbi in sancto viduitatis proposito, infatigabiliter Deo seruiens, fœliciter requieuit.

*Oda doctrina S. pontificis Lamberti permota nouũ vitæ genus aggreditur.*

*Possessionum suarũ reditus largitur pauperibus.*

*Aedificat ecclesiã in honorem S. Georgij in Amanio.*

*Sepelitur ibidem.*

Hęc quidem, & alia multa per sacerdotem suum Lambertum, dignatus est Dominus operari: quæ si per singula scriberentur, fastidium lectoribus generare viderentur. Nos verò, vt extremam huic operi manum imponamus, iam nunc passionis eius vexillum erigamus.

## ANNOTATIONES.

1. Hic quia prudentis erat ingenij.] *Occasio quam sanctus Hubertus accepit veniendi ad sanctum Lambertum, paulò alia hic notatur ab ea, quam ex Surio notauimus in Anselmo cap. 21. annotatione quinta, non ita tamen diuersa sunt, quin vtraque simul vera esse posit, familiare enim est, vt vnius rei multa sint causæ.*

2. Sed & amita eius Oda venerabilis matrona.] *De ea ita Sigebertus ad annum Domini 711.* Sancta Oda, vxor Boggis ducis Aquitanorum, sanctitate claret in Gallia, quæ ecclesias Dei, suâ ditauit munificẽtiâ, & moriens, in Leodicensi quieuit parochia.

### *Pipinus princeps, abiecta legitima uxore Plectrude, Alpaidem Dodonis sororem superinducit: quem propterea sanctus Lambertus, zelo religionis accensus, increpat.*

## CAPVT XIIII.

*Laus Pipini.*

PIpinus verò, vt præmisimus, eo tempore, sub Rege Theodorico, regnum Francorum strênuè gubernabat. Cuius principatum præcipuè illustrabat, & rerum in bellis à se gestarum claritas, & cum morum temperantia, iustitiæ æquitas. Sed ô misera, semperque incerta, & casui obnoxia, humanæ fragilitatis conditio! vir tantus & bellator præcipuus, superueniente tentatione, de seipso triũphare non potuit; quem sicut virtus & industria inter aduersa bellorum effecerat modestum & fortem: sic superatis aut pacatis hostibus, securitas & potentia resoluit in adulterij turpitudinem. B

*Fragilitas eius & tentatio.*

*Grimoaldus & Drogo filij Pipini legitimi.* *Repudiat Plectrudem legitimam vxorē, & superinducit Alpaidem.*

Cùm enim filij eius Grimoaldus, & Drogo, paternæ fœlicitatis gloriam, eo maximè exornarent, quod iam in ipso iuuentutis flore, à nobilitatis suæ splendore, non videbantur esse degeneres: Pipinus matrem eorum Plectrudem, vxorem suam legitimam repudiauit, eique superinduxit puellã elegantem, Alpaidem nomine, quæ erat soror Dodonis, viri inter Francos proceres nobilis & potentis. Et factum est in oculis totius Franciæ publicum hoc adulterium. C

*Occasio martyrij Lamberti pontificis.* *Episcopi Austriæ fiunt canes muti.* *Esa. 56.*

Sed hæc, quæ tanti principis gloriam maculauit, incœstus turpitudo, facta est amatori puritatis Lamberto pontifici, dignissima honestæ mortis occasio. Nam rectores ecclesiarum Austriæ, tanti reatum criminis in principe manifeste cõsiderantes, non delictum corripiendo sanare, sed penitus per adulationem dissimulando, augere studuerunt: sicque dum aut beneficia eius amittere, aut offensam vererentur incurrere, facti sunt tanquam *canes muti, non valentes latrare.* Sed veritatis præco Lambertus, qui Pipinum spirituali, iamdudum diligebat affectu, eiusque casum, non sine graui cordis sui afflictione, videre poterat, zelum Phinees, vel Eliæ tota mente concepit, plusque tanto viro, in hac causa prodesse, quam placere appetens, ingressus est ad eum, in spiritu & verbis Ioannis Baptistæ, sanctamque, pristinæ dilectionis, in corde conseruans dulcedinem, & in ore sacerdotalis constantiæ præferens authoritatem: *non licet*, ait, *tibi eam habere vxorem.* D

*Math. 2.* *Solus Lambertus pontifex Pipinum corripit.* *Math. 16.*

*Pipinus benignè correptionē suscipit.*

Exceperat Pipinus, in humilitate cordis, verba huius salutaris increpationis, totusque in conspectu beati pontificis confusione plenus, visus est velle, quod redintegrato coniugio, & abiecta pellice, niteretur obtinere remedium pœnitentiæ. Sed mox, vt amatæ pellicis

A licis species, oculis eius se ingessit; animus æger & adhuc incertus, vim tantæ tentationis ferre non præualens, facile succubuit, & quod in eo iam videbatur extinctum, reuixit acrius illiciti amoris desiderium.

*Tentationi rursus succumbit.*

Nec sic tamen destitit Lamberti constantia, sæpiusque præsentiã Pipini repetens, tanquam bonus & spiritualis medicus, infundebat vulneri eius, modò increpando aspera, modò demulcendo leuia, aliquando etiam referebat laudando crebros victoriarum eius titulos, patriæ valde vtiles: asserens eum specialiter solum principem, cuius labore & industria, per Dei prouidentiam, pax & iustitia vigeret in regno Franciæ, & floreret status religionis ecclesiasticæ, & ob hoc,

*Qua dexteritate Lambertus pontifex increpet Pipinum.*

B verendum sibi esse dicebat, ne tantæ gloriæ præconium, decoloraret huius infamiæ opprobrium.

Interea, dum non cessat pontificis admonitio, dum speratur & expectatur fructuosa principis correctio, vir memorabilis Hubertus, per omnia beati pontificis vsus consilio, Romam profectus est. Proposuerat siquidem triumphalia Apostolorum visitare limina, vt feruorem religionis, & contemptum mundi, quem ex disciplina, & institutione Magistri sui Lamberti, iam conceperat, per eorum merita ad effectum perduceret, seque apostolicæ sedis præsulis orationibus commendaret. Quem qualiter Sergius papa exceperit, eique

*Hubertus consilio Lamberti pontificis Romam proficiscitur & quare.*

C per angelicam visionem, mortem ipsius beati Lamberti martyris Romæ reuelauerit, Deo annuente, in sequenti narrabimus. Sed nũc narrationis nostræ seriem prosequamur.

ANNOTATIONES.

Sed veritatis præco Lambertus: ] *Vide quæ in Anselmo cap. vndecimo notauimus de causis martyrij sancti Lamberti ex Reginone & Sigeberto. Adstipulantur illis ea quæ habet Marcellinus in vita sancti Suuiberti cap. 23. apud Surium tom. 2.* Cumque, *inquit*, in monasterio Vuerdensi vitæ cœlestis institutio, quotidianum sumeret incrementum, contigit anno ab incarnatione Domini septingentesimo decimoquarto, Pipinum de Herstallo, strenuum principem, & maiorem domus Francorum, dolentem super

D innocente morte sanctissimi Lamberti Tungrensis episcopi, ad mortem ægrotare.

Accersitusque sanctus Suuibertus egregius pontifex ad visitandũ eum per nobiles viros, perrexit prius cum Vuilleico & Theodorico discipulis suis Coloniam ad Plectrudem illustrem ducissam Lotharingiæ siue Austrasiorum, consilium ab ea expetens, quidnam facere deberet. Quæ eum religiose suscipiens & tractans, tandem retento Coloniæ pio Vuilleico presbytero sancti Suuiberti apud se, causa deuotionis & consolationis (erat enim fœlix Vuilleicus, euangelicus sacerdos) misit sanctum Suuibertum & Agilolphum Coloniensem archiepiscopum cum plerisque alijs prælatis, ad Pipinum principem, coniugem eius, ad informandum eum, si obiret, ne illustres

ftres legitimos fuos filios, Drogonem ducem Campaniæ, Grimoaldũ maiorem domus Childeberti regis Franciæ, exhæredaret, hæredem fcribendo Carolum Martellum illegitimum, ex Alpaide pellice genitum, in detrimentum & damnationem animæ fuæ, & in confufionem fui & totius ecclefiæ, atque in fcandalum fuorum primatum & fubditorum. Et quia fanctus Lambertus epifcopus eundem Pipinum de illicito connubio Alpaidis increpauerat, martyrium fubijt. A

Venientes igitur præfati pontifices Ioppiliam ad ægrotantem principem Pipinũ, benignè ab eo fufcepti funt. Qui ipfum cõfolantes, & ad tolerantiam aduerfitatum temporalium & infirmitatum corporalium confortantes, aiebant, quod Deus electis fuis iter afperum facit, nòdum delectarentur in via, obliuifcerentur eorum quæ funt in patria. B

Tandem nacto oportuno tempore & congruo, inter cætera pro falute & remedio animæ fuæ, caufam pro qua venerant, ei deuotè & falubriter pontifices exponentes, & de illicito matrimonio increpantes, ftatim cum indignatione repulfam patiebantur.

Alpais verò legationem fanctorum pontificum fcifcitãs & comperiens, irata valdè, pontifices abire celeriter præcepit: & ipfa interpellans importune pro Carolo Martello filio fuo apud Pipinum, impetrauit cuncta pro eodem filio fuo quæ petierat.

Pipinus verò eodem anno moriens, eũdem Carolum Martellum fuorum principatuum reliquit hæredem. Quod cernentes præfati põtifices, inglorij & triftes Coloniã redierunt, enarrantes præclaræ Plectrudi omnia, quæ gefta erant in Ioppilia à Pipino, cofolantes eam, & ad tolerantiam patientiæ animantes. *Hactenus Marcellinus.* C

## *Dodo nequiter promiſſu & obſequÿs fruſtra ſtudet delinire s. Lambertum.* D

## CAPVT XV.

*Alpais Dodonem fratrem accendit in odium Lamberti pontificis.*

ALpais verò illicitę copulæ fibi confcia, in metum fufpicionemque deuoluta, grauiter intrinfecus angebatur, fratrique fuo Dodoni quotidie deplorabat, quas à Lamberto pontifice perferebat contumelias, qui fuam cum principe coniunctionem, pręfumebat vocare fornicationem, fummoq; ftudio laborabat inurere ipfis, & omni eorum pofteritati, tantæ infamiæ opprobriũ, fi per eius importunitatem, inter ipfam & principem, fieret diuortium.

Potuit facile, ad quamlibet nefandam huius iniuriæ vltionem, mẽs Dodonis impelli, in cuius pectore, naturaliter regnabat fuperbia, & crude-

A crudelitas, omnemque publicarum legum contemnebat seueritatem, propter Pipini affinitatem. *Dodo natura superbus & crudelis.*

Et licet graui indignatione permotus Dodo, ignominiam sororis diluere iam deliberâsset, sacri peremptione pontificis, non tamen furioso impetu rem exequutus est: videbat enim tantæ sanctitatis, & authoritatis virum, non posse interfici, sine maxima totius Austriæ perturbatione & scandalo. *Dissimulat ad tempus furorē conceptum in pontificem.*

Dissimulato itaq; ad tēpus furore, & motū suę indignationis cōtegēs aliqua rationis specie, B. virū per domesticos & familiares suos, prius cōueniendū iudicauit, studiose pertētatus, si quo modo posset promissis maioribus muneribus, & obsequijs, libertatem vocis eius B corrūpere, & animi constantiam infringere. Iactabat etiam quanta in regno Francorum generis sui claritas excreuisset & potentia, quam ipse præsul, in sui perniciem incitatam grauiter sentiret, si sororis suæ matrimonium, saltem tacendo non approbaret. *Studet promissis & obsequijs delinire animū pontificis.*

Sed animus beati præsulis, qui zelo religionis feruebat, nec blanditijs decipi, nec terroribus ad hoc potuit emolliri, vt per veritatis silentium, videretur tantæ iniquitati præbere cōsensum. Cuius religionem & constantiam, ad contemptum suum, vir nequam Dodo retorquens, acriori aduersus eum sæuire cœpit inuidia, tempusque oportunum quærere, quo voluntati suæ satisfaceret, in eius occisione, cuius explendæ matura venit occasio. *Pontifex nec blanditijs nec terroribus permouetur. Accenditur Dodo magis ac magis in pontificem.*

C

---

*Situs Legiæ & sancti Lamberti constantia.*

## CAPVT XVI.

FOrtè his diebus, videlicet circa autumni initium, Pipinus Iopiliam venerat, villam regiam, & ad ministrandos principales sumptus, tam ex seipsa, quam ex adiacentium regionum commoditatibus, habilem & copiosam. *Pipinus venit Ioppiliam.*

D Eodem etiam tempore morabatur Christi sacerdos Lambertus, in viculo, non longè superius à nobis dicto, Legia: qui in valle situs, inter opaca nemorum, inter ardua montium, fontibus & fluuiolis per prona decurrentibus, valdè erat delectabilis & irriguus. Distat autem à Tungris, versus meridiem, vix tribus miliaribus. *Legia vicus delectabilis. Eius situs.*

Hunc locum, sicut narrat antiquitas, & scripta patrum edocent, cùm beatus Monulphus, vicesimus primus Tungrorum episcopus, quadam die, cum suis intrâsset, captus situ & amœnitate, substitit, propheticoque spiritu tactus: eia, inquit astantibus, locus quem Dominus, ad salutem multorum fidelium suorum elegit, & quem, per merita cuiusdam serui sui, postmodum magnificè illustratum, summis ciuitatibus æquabit. Statimque ecclesiolam illic ędificare præce- *B. Monulphi prophetia de vico Legia.*

 pit,

*B. Monulphus aedificat ecclesiã in honorem sanctorũ Cosmae & Dam.* *Legia meritis S. Lamberti martyris creuit in ciuitatis amplitudinem*

pit, quam, in honorem Sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum, A Domino dedicauit.

Hæc idcirco de statu & habitu Legiæ interseruimus, vt liquidò sciamus, à quibus augmentum acceperit initijs, & collato huius & illius temporis statu, meritò magnificemus Deum in martyre suo Lamberto, patrono nostro: per cuius merita, per cuius corporis præsentiam, promotus est locus iste in ciuitatis amplitudinẽ, & in episcopalis cathedræ sublimitatem. Quam equidem causam, suo tempore, suo ordine, si Dominus permiserit, scribere curabimus.

*Lambertus põtifex frequẽtabat Legiã vicũ causa orationis vel lectionis.*

Hunc ergo locum, vir Dei Lambertus, valde diligebat, & frequenter, vt illic orationi aut lectioni liberius vacaret, inhabitabat: quia tunc temporis adeò erat inuius & solitarius, vt quandã eremi videretur habere similitudinem. Nam ab Occidentali & Septentrionali plaga, montibus & syluis maximis claudebatur, meridianã verò partem, Mosa fluuius, reducto & curuato paululum sinu ambiens, inaccessibilem faciebat, sed qua orientem spectat, adiri facilius poterat; montanis à Mosa aliquantulum recedentibus, seseque iuxta eius ripam, quinque ferè miliaribus, vsque Traiectum, in directam & speciosam longitudinem clementer extendentibus. B

*Domus Lamberti pontificis prope oratoriũ Cosmae & Damiani ex lignis compacta.* *In nullo differt à cuiuslibet priuati habitatione.* *Eius habitus exterior moderatus.* *Cilicium, ieiunia & orationes.*

Habebat illic, iuxta præfatum sanctorum martyrum oratorium, Lambertus compactam ex lignis cellulam, & alia huiusmodi ædificia suorum vsibus necessaria: in quibus hi qui tanti viri digni habebantur contubernio, eius moribus viuebant, & instituebantur exemplo. Ipsa autem domus pontificis, in nulla re differre videbatur, à cuiuslibet priuati mansione, nullum penitus sæcularis pompæ, nullum libidinis aut luxuriæ signum, sed multimoda patientiæ, & abstinentiæ preferens indicia. C

Et quamuis extrinsecus, in oculis hominum, ad declinandum iactantiam, moderato & competenti, nec penitus abiecto habitu vteretur, intrinsecus tamen, caro eius vili & asperrimo atterebatur cilicio.

*Excellit gratia humilitatis & castitatis.* *Authoritas et episcopalis cũ paterna dulcedine.*

Abstinentiæ verò eius, & vigiliarum, seu orationum assiduitatem & instantiam, ætas imbecillior nullo modo retardabat; quę sexagesimum annum iam excesserat. Qui, licet summis eremi cultoribus, D in omni spiritualium perfectione virtutum, iure creditur æqualis, specialius tamen & peculiarius, ornabatur humilitatis gratia, & castitatis. Effulgebat in eius angelico aspectu, & paterna dulcedo, & episcopalis sanctitatis authoritas: vt; vel sola faciei eius contemplatio, aliorum maxima esse posset instructio.

*Lambertus põtifex euocatur Iopiliam ad palatium Pipini.*

Igitur, vt præmisimus, cum Pipinus eo tempore, ad tractanda regni negotia, in Iopilia aliquamdiu resideret, & Lambertus Legiam suam, sancta & verè angelica conuersatione illustraret; euocatur quadam die, idem vir Dei, pro summis Reipublicæ causis, ad palatiũ: ad quod, propter locorum vicinitatem, non erat ei laboriosus ac difficilis transitus: exiguo enim spatio à se inuicem distant Iopilia & Legia

A Legia: duobus fluuijs, Mosa & Vrta, interfluentibus, sefeque illic cõmiscentibus. Descendit itaque Iopiliam, expletisque pro quibus venerat, inuitabatur à principe ad conuiuium, multisque eius victus precibus, discubuit: gaudentibus maximè summis, & illustribus viris, qui aderant, quod obtinere meruerint. *Inuitatur à principe ad conuiuium.*

Cùm verò inter prandendum, minister Pipino poculum obtulisset, ille religiose admodum innuit, porrigendum episcopo, summopere desiderans, resumere sanctificatum illius benedictione. Exemplum ducis sequuti reliqui proceres, qui simul accũbebant, cum pateras suas, viro Dei, ad benedicendum, summa cum deuotione, transmitterent, essetque inter ipsos pincernas, dum alter alterum praeuenire contendit, quantum principalis conuiuij disciplina patiebatur, B religiosa quaedam decertatio; diabolica non defuit tentatio. *Princeps petit benedici poculum suum ab episcopo.* *Reliqui proceres imitantur principem.*

Nam praedictà Alpais, occasione huius piae iocunditatis, credens sibi non debere negari, quod videbat omnibus sic distribui; cyphum suum sanctificandum latenter ingessit episcopo. Sensit hoc Lambertus: & conuersus ad Pipinum, importunitatem & audaciam mulieris incusat, relictoque prandio, ipsam aulam egreditur, ne per cuiuslibet communionis, vel benedictionis consortium, reatui impudentis adulterae, aliquem videretur praebuisse consensum. Statimque immutata est tota illa conuiuantium procerum laetitia, timentium ne vincente rationem furore, Pipinus, per suggestionem mulieris, grauius quid agere cogeretur contra salutem, & vitam ponti- C ficis. *Alpais vult etiam suum cyphum benedici ab episcopo, sed repulsam patitur.* *Lãbertus episcopus aulam egreditur.* *Tota conuiuãtium laetitia immutatur.*

Pipinus tamen, dissimulato magis, quàm sedato animi sui motu, missis à latere suo honorabilibus viris, Lambertum iterum reuocauit ad palatium, eumque multis blanditijs, & magnis beneficiorum promissionibus est aggressus: quatenus saeueritatem & constantiam ipsius inflecteret, ad approbandum Alpaidis matrimonium, dicens eam claritate & potẽtia generis sibi cõuenire, ex qua legitimos principatus sui generaret haeredes: nec debere vocari adulterium, sed potius honestatis duplicationem & augmentum. Affirmabat praeterea sub attestatione diuini nominis, non leuius se ferre posse huius cõiugij dissidium, quàm propriae vitae & honoris dispendium. *Reuocatur Lãbertus à Pipino blanditijs & promissis.* *Blanditiae Pipini.* *B. Lãberti constantia.*

D Sed cùm Lambertus, his parum moueretur, nolletque prioris sententiae rigorem dissoluere; Pipinus dissimulatum hactenus indignationis suae aestum, intra se vlterius non valuit cohibere, totoque habitu, legitimi & christiani principis transgressus modestiam, furore plenus, talem se ei praebuit, qualem se vel sacrilegus Ahab Eliae, vel adulter Herodes Ioanni Baptistae. Praecepit itaque ei irâ tumens, si vitae vel honoris sui periculum nollet incurrere, vt Alpaidem, tanquam honestam principis vxorem, placaret sibi humili satisfactione, eamque debito salutationis officio honoraret, antequam de palatio recederet: iam enim declinabat dies ad vesperam. *Furor Pipini in B. pontificẽ.* *3. Reg. 17.* *Mar. 6.*

*Maxima B. Lamberti constantia.*

Tunc verò amator castitatis,& veritatis defensor,Lãbertus,Christi sacerdos,supremo religionis feruore succensus,erexit se aduersus Pipinũ intrepidus,& manifestè loquẽte in se Spiritu sãcto:hactenus, inquit,spem salutis tuæ habens, paterna dulcedine, mitioribus verbis,ad remedium pœnitentiæ te exhortari,& incitare non destiti,tãquam humilem & religiosum, verèque christianum principem; sed, vt video, immanitatem perpetrati à te facinoris, dedignatur recognoscere sublimitas tuæ potestatis, nosq; per eam coactos, vis diuinæ legis præuaricari præceptũ: si tantam, tamque manifestam iniquitatem tuam dissimulando,voluerimus cum adultera tua habere dãnatæ communionis consortium; viuit omnipotens Deus, cuius ego sum seruus, me nunquam communicaturum huic fornicariæ,ex cuius cõiunctione, pristinæ virtutis tuæ gloria, tam turpiter obscuratur:et,quod grauius doleo,æternæ perditionis interitus,nisi resipueris, tibi certissimè præparatur. Si verò potestatem quam à Deo accepisti, commutas in tyrannidem; paratus sum pro veritate, pro castitatis defensione, quascunque intuleris persequutiones, ipsam etiam mortem, libenter excipere. Statimque, in his verbis, à conspectu Pipini & aula, cum summa constantia recessit, transmissoque Mosa fluuio, ad dilectam sibi Legiæ solitudinem, regressus est.

## ANNOTATIONES.

1. Statimque ecclesiolam illic ædificare præcepit. ] *Meminit huius ecclesiolæ SS.Cosmæ & Damiani Godeschalcus cap. 7. quam primam ædificatam in Leodico vico per Monulphum tradit Aegidius Aureæ vallis, apud Anselmum cap. 33. quam deinceps sanctus Lambertus ornauit; adiectis ecclesiæ quibusdam cellulis ex ligno compactis: ad quas ipse, & qui tanti viri digni erant contubernio, frequenter diuertebant, vt illic lectioni & orationi liberiùs vacarent, vt hic pulchrè depingit Nicolaus.*

2. Inuitabatur à principe ad conuiuium. ] *Huius conuiuij non meminit Godeschalcus, sicut nec Stephanus. Meminit illius Renerus infra cap. 18. & post illum omnia nostratia chronica.*

---

*Sanctus Lambertus à Dodone eiusque socijs interficitur: & eius mors Sergio papæ, angelica visione reuelatur.*

## CAPVT XVII.

*Math. 14. Alpais malitia se refert Dodo ni verba increpatoria,quæ B. pontifex Lambertus habuit cum Pipino.*

ALpais verò,nimia confusione plena,tanquam altera Herodias, ad vltionem huius contumeliæ, muliebri furore inflammata, Pipini animum, verbis Lamberti exasperatum grauiter, facilè impulit ad interfectionis eius consilium.

Et missis

A Et missis statim, per noctem, de palatio multis satellitibus, & viris audacibus, fratri suo Dodoni, qui non longè aberat, quid Lambertus cum duce recenter egerit, quid dixerit, malitiosa mandat relatione, verbis deprauatis, ad deterius persuadendũ studiosè compositis. Addit præterea, tanquam oleum camino, vt dum principi placet, dum dolor eius recens est, Lambertum maturet occidere, quia eius vita, eorum erat opprobrium & ruina.

Quibus ille auditis, totus in rabiem versus, vix se continet: oblatam, quam diu desiderauerat, explendæ huius nefandæ cædis opportunitatem, inhianter arripit: & quamuis à ratione alienus, in effusionem sanguinis innocui, iam iamque præceps ageretur, rem tamen B differt in crastinum, metuens, ne crudelitatis suæ maximam pateretur iacturam, si Lambertus aut quilibet eius contubernalis, latitando, aut fortè fugiendo, huic occisioni eximeretur, obscuræ noctis beneficio. Conceptæ itaque iniquitatis eum exagitante conscientia, peruigil & quietis impatiens, huc illucque, velut animi impotens, rapiebatur, armatos aggregans, & ad tam detestandum facinus informatus, sæpissimæ causatus tardiorem noctis recessum, quæ sola desiderij sui morabatur effectum.

*Furor & rabies Dodonis.*

At mitissimus Christi sacerdos Lambertus, solitas sacrarum vigiliarum Deo exhibebat excubias, offerens in conspectu altissimi, ex ingenti cordis contritione, spirituales & placabiles, mundissimæ C orationis hostias: solebat enim degustata modici somni requie, post primam noctis vigiliam, ad orationem, cum silentio, solitarius exurgere, atque in feruore spiritus constitutus, vberiores preces, quæ de charitatis ardore procedebant, effundere, cùm pro commisso sibi grege, pro totius mundi, & eorum qui in sublimitate sunt, salute & tranquillitate supplicabat: seu cùm de collatis sibi diuinæ misericordiæ beneficijs, modò præterita recolendo, modò præsentia, vel quæ reposita sunt in futuro Sanctorum præmia, purissimæ mentis oculis contemplando, & sperando, ineffabiles Deo gratias exhibebat.

*Lambertus post primam noctis vigiliã exurgit ad orationem.*

In his itaque, cùm plusquàm mediam noctis illius partem trans- D egisset; dato signo, discipulos à somno excitauit: cum quibus nocturnos hymnos, vt à sanctis patribus est institutum, summa cum deuotione celebrauit. Quibus solemniter completis, ad orationem iterũ procubuit: quam vsque ad ipsius auroræ viciniam deuotè producens, corpusculum suum, longo ieiuniorum & vigiliarum vsu attritum, exigua somni requie refecturus, in lectulo deposuit: quia eius discretionis spirituali experientiæ valde notum erat, quòd immoderatæ & irrationabiles pernoctationes & vigiliæ, frequenter deiecerunt, quos somnus superare non potuit.

*Excitat discipulos, ad cantandum nocturnos hymnos iuxta SS. patrum institutum.*

*Finitis hymnis lecto dormiturus decumbit.*

Rarescentibus itaque tenebris, & apparente iam luce, ecce Dodo, ad explendum detestabile carnificis ministerium, furẽtibus animis, veniebat cum armata satellitum suorum multitudine.

*Sub auroram venit Dodo cum suis satellitibus interfecturus pontificem.*

*Crux rutilans apparet super cellã B. Lamberti.*

*Quid illa significet.*

Sed & abs re videri non arbitramur, huic operi inserendum, A
quod, ad declarandum martyris sui Lamberti meritum, omnipotens Deus, quibus voluit, dignatus est ostendere. Nam quidam ex militaribus viris qui Dodonis exercitum sequebantur, cùm iam in prospectu esset Legia; erectis sursum oculis, viderunt supra cellam, in qua idem vir Dei Lambertus pausabat, in ipso sereno aëre, victoriosissimæ crucis Domini signũ flammeo colore, vltra solis radios, rutilare: vt enim vere credimus, Lamberto, qui mundo crucifixus erat, & per crucem de antiquo hoste promittebatur victoria, & per claritatem splendoris, in cœlestibus martyrij gloria.

*Dodo cum suis hostiliter aggreditur cellã pontificis.*

Dodonis igitur satellites & commanipulares, cum atroci tumul- B
tu, & terribili armorum strepitu, ducem suum circumuallantes, locum pacis, domicilium religionis, cellam tanti sacerdotis, hostiliter sunt aggressi: omnibus qui illic in obsequio eius aderant, ad insolitam armatorũ aciem stupentibus, atque ipsius mortis expectatione trepidando, huc illucque discurrentibus.

*B. Lambertus à somno excitatur strepitu armatorum militum.*

*Tandem aduertit se ad mortem peti, & confugit ad diuinũ auxiliũ.*

*Psalm. 73.*

Vir autem Dei, repente à somno excitatus, quid præter solitum vellet tanta suorum inquietudo & trepidatio, non facilè inprimis potuit aduertere: sed cùm aforis furentium inconditum clamorem, & armorum collisionem audisset, rem vt erat, se videlicet peti, veraciter intellexit. Tandemque in se reuersus, ad diuinum confugit auxilium, & fidei scutum: & consueta orationum arma corripiens, *Exurge*, inquit, *Domine, & iudica causam meam: & ne obliuiscaris pauperum* C
*tuorum in finem.*

*Petrus & Andoletus pontificis nepotes ad resistendum se præparant.*

Aderant illic duo nepotes eius, Petrus videlicet & Andoletus nomine, viri genere, & diuitijs insignes, & rebus militaribus magnanimes. Hi tam inopinato, tamque graui, cum beato viro, intercepti periculo, pristinæ virtutis suæ non immemores, arreptis fustibus, quos casus obtulerat, in sacrilegos, qui effractis foribus atrij, interiorem domum pontificis conabantur irrumpere, audaci feruntur impetu, eisque longiùs proturbatis, mutua se, & suos, exhortatione ad virtutem exacuentes, ad resistendum aduersarijs, se viriliter præparant.

*B. Lambertus eos officij christiani admonet.*

*Rom. 12.*

*Psalm. 129.*

Quod cùm mitissimus Christi sacerdos Lambertus subintellexisset, aduocatis nepotibus suis: continete, ait, dilectissimi filij, manus D
vestras, & ab effusione humani sanguinis seruate innoxias: valdè enim alienum est à viris fidelibus, & à nostræ disciplinæ sectatoribus, *malum pro malo reddere*, & illatas manu propria vlcisci velle iniurias. Audite itaque, charissimi, vltima hæc patris vestri verba, & ad eum, *apud quem est misericordia & copiosa redemptio*, spem cordis vestri firmiter erigite, atque ante eius conspectum, omnes reatus vestros humiliter confitendo, proprio vos condemnate iudicio.

*Petrus & Andoletus concepto pœnitentiæ spiritu deponunt arma.*

Tunc Petrus & Andoletus, per Spiritum sanctum, veræ pœnitentiæ affectu concepto, abiectis armis, per humilitatem confessionis, implorant

A implorant salutarem gratiam indulgentiæ, & reconciliationis. Quos cùm sacerdos Christi, secundum vrgentis periculi instantiam, absoluisset, & episcopali benedictione corroboràsset, ait: Exite nunc, eia, verè milites Christi, cum omni fiducia, ad eos qui quærunt vos occidere, nobilitatemque animi, per contemptum iniuriarum & ipsius mortis, viriliter demonstrate: vt sicut in vobis est causa iustior, conscientia purior; ita & virtus patientiæ, quam diligit Christus & coronat, effulgeat hodie robustior. De me, pro quo vos plurimum sollicitos video, *Domini voluntas fiat*. Illi autem, tanquam diuino accepto oraculo, statim, velut ad præparatas ingentes corporum delitias, festinàrunt: ostio cubiculi, inermes, sed vultu interrito, proruunt, B non carnificum manibus tracti, sed amore feruentes martyrij, ceruicesque suas furentibus, & ferientibus aduersarijs, constanter obiectantes.

*Absoluuntur à B. pontifice.*

*Amore martyrij constanter obijciunt se inermes aduersarijs.*

Quibus crudeliter interfectis, satellites Dodonis, quasi quodam gustu huius cædis, ad acriorem sæuitię rabiem instigati, diruptis sepibus, effractis parietibus, truculentiores belluis, introrsùs irruunt, laniando, & mactando inuentum illic modicum gregem seruorum Dei: qui innocentiam suam, etiam inter gladios carnificum conseruantes, non resistendo, aut fugiendo, sed mortem constanter excipiendo, victoriam suam, forti patientia maximè decorabant.

C At electus Dei sacerdos Lambertus, ante altare Sanctorum martyrum, Cosmæ & Damiani, martyr mox ipse futurus, in modum crucis se prostrauerat: horam martyrij sui in loco sacrato, & sacerdoti congruo, in summa orationis deuotione expectans. Vnus autē ex illa sacrilega impij Dodonis caterua, ad facinus cæteris audacior, super fastigium oratorij, armatus incunctanter euolat tanquā in conspectu principis sui, rem gratam, rem facturus egregiam. Statimque disiunctis cum impetu tegulis, cùm beatum virum introspexisset humi prostratum orare; non dedit honorem Deo, sed diabolico exagitatus spiritu, lanceâ quam tenebat magno libratâ conamine, percussit eum, & mortali transfodit vulnere. Sic sacrilegus Dodo, & D Deo odibilis, propter sororis suæ adulterium, in viro Dei Lāberto, apostolicæ authoritatis constantiam, & salutarem linguæ sacerdotalis increpationem, per turbæ carnificis ministerium, nefanda cæde vltus, & æternæ damnationis incurrit interitum, & posteritati suæ tanti facinoris iugem pœnam, & indeficiens vsque hodie dereliquit opprobrium.

*B. Lambertus horam martyrij expectans in modum crucis se prostrauit in terram, ante altare sanctorum Cosmæ & Damiani.*

*Transfoditur lancea.*

*Opprobrium Dodonis perpetuum.*

Sic Lambertus martyr beatissimus, annis quadraginta Tungrēsis ecclesiæ venerabiliter functus sacerdotio; vir diuina religione, & ætate venerabilis, omnium virtutum gratiā adornatus, angelicæ castitatis puritate conspicuus, Taxandrorum specialis apostolus, tanquam matutinum sacrificium, in conspectu Domini, primo manè immolatus, verè sacerdos & hostia, ad basim altaris occubuit: itaque inter ipsa arcana affectuosæ orationis verba, in laude & contemplatione.

*Martyrium B. Lamberti pontificis.*

tione Dei, extremum spiritum exhalauit.

*Psalm. 115.* O quam *pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Nam ipsa vniuersi orbis imperio sublimis, & apostolica sede gloriosa vrbs Roma, mortem & meritum beati martyris Lamberti, in ipso temporis momento iam cognouerat, quo eum diuina dispositio, in humili & ignobili tunc vico Legia, manibus iniquorum laniandam tradiderat. A

*Vrbis Romæ laus.*

*Mors B. Lamberti martyris ipso martyrij momento Romano pontifici miraculosè innotescit.*

*Angelus Domini apparet Sergio pontifici.*

Siquidem beatæ memoriæ Sergius, qui Romanæ ecclesiæ sacerdotium, vitæ merito, vt præmisimus, adornabat, vigilijs & orationibus fatigatus, modicum somnum fragilibus membris indulgens, circa ipsius diei obdormierat auroram, qua sacerdos Christi Lambertus, propter virtutis & castitatis defensionem & testimonium, per manum scelerati Dodonis, cõsequutus est martyrium. Et ecce, angelus Domini cęlesti luce conspicuus, ei in visione assistens: diligenter, inquit, frater, ijs quæ tibi à Domino per me manifestantur, intende: & fidem verbis adhibe, & quod præcipietur, studiosius exequere. Lambertus Tungrorum episcopus, hac ipsa hora, intra sanctuarium Domini, ab impijs est pro pietate immolatus: & quia in terris, martyrum Christi imitari studuit fidem & constantiam, eorum in cœlesti curia consortium obtinere promeruit & gloriam. En, eius pastoralem baculum, in quo gregem Christi sibi creditũ vigilanter rexit, & pauit, à loco passionis eius tibi subitò translatum, suscipe. Et visus est ei baculũ porrexisse, dicẽs: In hoc substitues ad regimen Tungrẽsis ecclesiæ, tali viro dignum hæredem, & successorem ipsius Lamberti, doctrina & moribus institutum, à Deo in sacerdotem iam electum, Hubertum nomine, quem ad apostolorum limina hodiè venientem, his & his signis inter alios poteris agnoscere. B C

*Reuelat martyrium pontifici Lamberti.*

*Tradit ei baculum pastoralẽ quo gregem Christi B. Lambertus regere consueuerat.*

*Designat pontifici Sergio Hubertum futurum successorem.*

Statimque euigilans papa, cùm de visione adhuc hæsitaret, inuenit iuxta se repositum, sicut ab angelo in visu acceperat, pastoralem beati Lamberti baculum. Quem cum timore & admiratione maxima suscipiens, & oculis perlustrans; non iam inanem & phantasticam, sed plenam fide, & certè diuinam esse visionem, intellexit, virisque religiosis, quos in obsequio suo habebat, quid viderit, quid audierit, quod signum acceperit, ex ordine aperuit.

*Euigilans Sergius pontifex agnoscit verã esse visionem*

Factâ igitur oratione, & immolatâ laudis hostiâ, ad exequendum visionis præceptum, circa apostolorum limina, studiosus aduenientiũ perscrutator, consedit. Et fortè memorabilis vir Hubertus, finito longo peregrinationis suę labore, eadem nocte, in proximo vrbi vico, mansionem acceperat. D

*Hubertus appellit Romam.*

Qualiter autem à papa Sergio, eodem die cognitus, & de nece dilecti magistri sui Lamberti, per signum baculi eius certior fit factus, si quis plenius scire desiderat, libellum illum relegat, quem à viris fidelibus editum, de vita & conuersatione ipsius Huberti ante episcopatum, à plerisque apud nos, & haberi, & legi, non est dubium. Sed ad propositum redeamus.

*Qualiter à Sergio pontifice agnitus.*

Ad eptus

A Adeptus itaque impius Dodo tam ſceleratam victoriam, in multa ſuperbia cordis ſui, regreditur per vicini montis aſcenſum, qui nũc publicus dicitur, qui ab occidentali plaga longo quidem, ſed leui tractu,& clemente cliuo verſus orientem ſe extendens,ferè in ipſo ſeptentrionali latere prædicti oratorij terminatur.

*Montis publici ſitus.*

Quam verò pœnam, pro commiſſo hoc piaculo,& quàm horrendum nefariæ vitæ exitum,Dodo ſacrilegus,cum ſuo exercitu incurrerit; ſequens libellus indicare poterit,quem de tranſlatione,& miraculis beati Lamberti martyris, ſcribendum diſpoſuimus.

*Horrendus vitæ Dodonis exitus.*

*Nicolaus inſtituit ſcribere de trãſlatione & miraculis B. Lamberti.*

ANNOTATIONES.

B 1. Tandemque in ſe reuerſus, ad diuinum confugit auxilium.] *Godeſchalcus, Stephanus,& Renerus, dicunt arripuiſſe gladium, quaſi ſe defendere vellet. Nicolaus hic,& clarius Anſelmus,dicunt ad diuinum ſolum confugiſſe auxilium. Anſelmi verba in geſtis pontificum cap. 10. ſic habent* : At vir Dei intrinſecus ſomno, cui poſt vigilias defeſſa membra reclinauerat, improuiſo tumultuantium fragore expergiſcitur, ſtatimque nihil, vel cõtra moliri quęrẽs,cùm & poſſet (ſciebat enim quia bellatores Chriſti,exemplo magiſtri, moriendo potiùs quàm repugnando norũt vincere) totum corpus in oratione proſternens, pretioſam conſtantiſſimè mortem operitur.

3. Glorioſa vrbs Roma mortem & meritum B.martyris Lamber-C ti.] *Godeſchalcus, Stephanus & Renerus, huius reuelationis non meminerunt. Recitat illam Aegidius Aurea vallis in Anſelmo cap. 21. ab eo addito, ex hoc loco Nicolai, vt exiſtimo.*

---

*Beatæ exequiæ & ſepultura S. Lamberti.*

## CAPVT XVIII.

IGitur pauci, qui ex domeſticis ſancti viri, euaſerant periculum mortis,licet homicidarũ illorum cuneus receſſiſſet,adhuc tamen D nimiùm pauidi & vix ſui cõpotes,ſacratiſſimũ ſacerdotis & martyris ſui corpus exanime inueniunt, præcioſo proprij ſanguinis rore perfuſum, in eodem orantis habitu, quò ante altare Sanctorum martyrum, proſtratum mors occupauerat.Quod cum multo gemitu, lachrymoſiſque ſuſpirijs deoſculantes, ab oratorio venerabiliter efferunt, impoſitumque nauiculæ, per defluum Moſæ alueum,ad vicinum oppidum Traiectum dirigũt ſepeliendũ. Ruit in obſequiũ funeris ferè tota regio,quam fama tanti ſceleris,velox nuntia,circumquaque iam excitauerat.

*Corpus exanime martyris defertur Traiectum.*

Cum verò nauicula portui Traiectenſium applicuiſſet,ſacrumque martyris corpus expoſuiſſet, vehementi clamore, ploratuq; & plãctibus, vtraque fluminis Moſæ ripa perſonabat, virorum ſcilicet &

*Luctus publicus de morte Lamberti martyris.*

mulierũ, quorum innumerabilis multitudo, extincti pastoris desiderio, illuc confluxerat. Pauperum, viduarum, pupillorum vlulatus maximè exaudiebatur: qui tanto patre, tanto consolatore & defensore, inuidiâ, & malitiâ iniquorum se esse destitutos, protensis in cœlum manibus, conquerebâtur. Sed & sacer ecclesiasticus ordo, in lugubri veste, suo assistens pontifici, exequiarum celebrationem, & psalmodiæ spiritualem modulationem, crebris interrumpebat singultibus, & suspirijs, quæ in recordatione amissi patris, eliciebat vis interni doloris, & amaritudinis. Sic diei subsequentem noctem continuât, nullis quæstibus prætermissis, quos, in tali casu, doloris magnitudo suggerebat. A

*Pipini & domesticorum offensio.*

Sed tantam lugentium multitudinem, subitus rumor grauiter consternauit: dicebatur enim, nec id vanum erat, Pipinũ, eiusque domesticos, valdè super hoc indignari: reputantes ad suam inuidiam studiosè fieri, tam liberam, tam publicam, de occisione pontificis, popularium querelam, tam illustrem, & inter lachrymas, gloriosam beneficiorum eius memoriam, tam celebrem, circa eius exequias, lamentantium frequentiam. B

*Omnes timent crudelitatem Dodonis.*

*Ad mitigandã Pipini offensionem B. pontifex sepelitur humili loco.*

Exterritis itaque omnibus, maximè quia Pipinus non longè aberat, communis planctus in silentium vertitur, nec iam credebant quenquam ipsorum, Dodonis crudelitatem effugere, cui in sacerdotem Domini, videbât tantum licuisse. Quapropter, hi qui potentiores inter eos videbantur, & penes quos specialiùs erat eius exequiarum cura, accepto ad inuicem consilio, statuerunt, ad mitigandam principis indignationem, sepelire eum in loco humili, minori quidem apparatu, quàm exigeret dignitas tanti sacerdotis & martyris. C

Erant in ipso oppido Traiecto, duæ celebres ecclesiæ: quarum vna, beatæ Mariæ perpetuę virginis, Tungrensium pontificum eo tempore secunda sedes habebatur: altera verò beati apostoli Bartholomæi, quæ sanctissimi confessoris & episcopi Seruatij, meritis & corpore magnificè decorabatur. Sed in his venerabile beati viri corpus tumulare minimè prę sumpserũt: ne claritas loci augere videretur gloriam & honorem sepulti. Vnde mane facto, feretrum eius, sine aliqua funeris pompa, intulerunt in quandam ecclesiam sancti Petri apostolorum principis: in qua vir illustris Aper (quem sancti Lamberti supra memorauimus patrem) in lapideo sarcofago, corpore requiescebat. Erat autem solitaria, sita fere in ipsa Mosæ ripa, ad orientalem cliuum montis, quem incolæ, castra vocant: habens inter se & Traiectum, quasi quendam limitem, Iecoram fluuiolum. Igitur, monumentum hoc aperientes, sacrosancta martyris filij membra in eo, cum patris ossibus, tunc verè fœlicibus, reuerenter composuerunt: astantibus multis fidelibus, quorũ deuotio in recordatione extincti pastoris, nec affectum suum cælare, nec lachrymas poterat cohibere. D

*Inferitur sepulchro patris sui Apri.*

Cùm verò beatæ illæ celebrarentur exequiæ; maxima dulcissimi odoris

A odoris, in eodem loco, cęlitùs effusa est fragrantia: cuius mira suauitate, omnes qui aderant, refecti sunt. Sed magnis maiora succedunt. Nam clauso & obsignato diligenter martyris tumulo, & recedente populi frequentia, sanctorũ angelorum cum hymnis cœlestibus, & immenso lumine, illic affuit manifesta custodia. Quorum præsentiã & dulcisonam modulationem, multi religiosi viri sæpius audire, & videre meruerunt, beatique Lamberti vocem, tanquam sibi cognitam, protestati sunt, se verè audisse, inter illum fœlicem chorum, beatorum spirituum, sanctæ & indiuiduæ Trinitati, hymnos decantantium.

*Maxima sentitur in exequijs odoris suauißimi fragrantia.*

*Audiuntur hymni angelici.*

*Agnoscitur vox S. martyris cũ angelis cantantis.*

B Quæ visio quotidiè circumquaque diuulgabatur, plebsque Traiectensium, & tota vicinia, cum omni alacritate & deuotione, sepulchrum martyris frequentabant, publicos crebrosque conuentus illic agentes: nec iam poterat eos alicuius potestatis violentia absterrere à veneratione martyris, circa cuius sepulchrum, tantam considerabant gloriam & magnificentiam nostri redemptoris. Qui viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

*Fiunt celebres peregrinatiões ad sepulchrũ Lamberti martyris.*

Passus est autem beatus Lambertus, quintodecimo kalendas Octobris, sub Rege Francorum Childeberto, filio Theodorici Regis, quo tempore fastigium Romani Imperij inuaserat Tiberius, qui & Absimarus, Leontio ab Imperio excluso, & in custodiam retruso.

*Tempus passionis B. martyris.*

A

*Baronius in notationibus ad martyrologium Romanum, ad diem 17. Septembris.*

SAncti Lamberti episcopi Traiectensis acta, à pluribus authoribus scripta reperiuntur: Et primùm, &c. Quintò denique à Renero monacho.

B

*Molanus in annotationibus ad martyrologium Vsuardi, ad diem eundem.*

VItam & passionem sancti Lamberti, primò scripsit Godeschalcus, &c. Postmodum eiusdem martyris historiam scripserunt, Sigebertus Gemblacensis, Nicolaus canonicus sancti Lamberti iam nominati, & Renerus ad S. Laurentium prope Leodium monachus. C

*Desumpsimus hæc scripta Reneri ex duobus vetustis codicibus M.S. vno S. Laurentij prope Leodium, altero Cruciferorum conuentus Leodiensis.*

A

RENERI AD S. LAVRENTIVM PROPE
LEODIVM MONACHI

# GESTA S. LAMBERTI
## PONTIFICIS ET MARTYRIS.

Floruit hic Renerus, circa annum Domini 1130.

B

*De nobilitate sancti Lamberti: & quorum principum tempore natus sit.*

### CAPVT PRIMVM.

GLoriosus vir Lãbertus, æterno Regi martyr acceptus, & vero sacerdoti sacerdos dilectus, insigni ex prosapia, Traiectensis oppidi vico, extitit oriundus: cuius, ipsiusque maiorum, multa in ecclesia Dei gratia, multa in Frãcorum Republica gloria & fides eminuit; quibus, inconcussa christianitatis custodia, inter orthodoxos augebat reuerentiam, & carnis nobilitas, per opulẽtiam rerum, pariebat dignitatẽ sæculi, & inter proceres regni, multã potestatem. *Parentes S. Lamberti nobiles & christiani.*

C Hanc generis claritatem, ad se de longinquo deriuatã, pater & mater ipsius, de proximo illustrabant. Is pater, scilicet Aper nomine dictus, in palatio Regis, inter illustres viros, dignitate nobilitatis excellebat: matrem eius inter Francorum nobiles pernobilem, recepit à patribus posteritas, vocatam fuisse Herisplindem. *Pater Aper nomine dictus est.* *Mater Herisplindis.*

Regnum autem Francorum regebat filius Mediani Lotharij Dagobertus, qui regnum Austrasiorum filio suo Sigeberto commiserat, eique tutores dederat, Cunibertum Coloniensem episcopum, & maiorem domus Pipinum primum, patrem sanctarum Gertrudis & Beggæ. *Natus est sub Dagoberto Francorum Rege.*

### ANNOTATIONES.

D

Et maiorem domus Pipinum primum. ] *Hic Pipinus filius fuit Carlomanni, qui vxore capta ex gente Aquitanica Sueuos, Suenos, aliosque Germaniæ populos, bello vicit. Huic tres fuere liberi: Filia, Begga, & Gertrudis, quarum hæc est postea relata in numerum Sanctarum: filius Grimoaldus, qui patre mortuo dux factus, Reipublicæ præfuit. Barlandus in chronico cap. 1.*

### *Quod primùm à S. Lãdoaldo nutritus sit.*

## CAPVT II.

*Puer Lambertus bonæ spei & indolis.*

QValis hic puer in mundo foret, ab incunabulis, Dei dispensatio præmonstrabat: quæque enim bonæ indolis rudimenta, quæque lineamenta pulchritudinis, in bonæ spei puero, solet præformare natura, vel, quod verius est, ipsius auctor naturæ: hæc omnia iam in eius infantia apparebant; quia iam & membris formosus & pro ætate, inter cognatos & famulos, vultu & affectu benignus esse videbatur, ac per hoc, omnium dilectione dignus. B

*Pater enim diuino mancipat seruitio. Traditur erudiendus S. Lãdoaldo.*

Vnde pater eius, non ingratus Deo, qui tantum sibi de filio promittebat, diuinæ voluntati suam contemperat voluntatem, & filium diuino mancipat seruitio, ad quod eum iam quodammodo videbat aspirare. Et quia doctrina, vim promouet insitam, rectique cultus, corpora roborant; sanctum sancto filio magistrum elegit, ne simplicem oculum discipuli, tenebraret aliqua culpa magistri.

*Martinus papa Landoaldũ ad Gallias misit, vt esset adiumento S. Amãdo Traiectensium episcopo.*

*Landoaldus fit vicarius episcopi Traiectẽs.*

Initiandum ergò studio literali, commisit eum Landoaldo, viro satis spectato sapientiâ & scientiâ, sanctitate & industriâ. Hic Landoaldus, sanctæ Romanæ ecclesiæ præsbiter fuit: & quia sanctitate, vt dictum est, & scientia præminebat, à Martino papa Romanorum, sancto Amando Traiectensium episcopo, ad auxilium exercendæ C prædicationis deputatus, ad Gallias venit, & ordinatus Traiectensis ecclesiæ archipræsbiter, ibidem Deo militabat, sub sancto Amando episcopo: & quia idem episcopus, studio prædicandi, se expedierat episcopali sarcina; ipse vices episcopi diligenter, & oportunè supplebat, & per nouem annos rexit ecclesiã episcopo vacantem, donec Remaclus cathedram Traiectensis ecclesiæ suscepit.

### *De fonte per orationem Sanctorum producto.*

## CAPVT III. D

*Aper VVentershouum dat Lamberto & Landoaldo ad ecclesiam construendam.*

LAndoaldus, teneros annos sancti pueri, paterno sinu suscipiens, ad normam sanctæ vitæ informabat primæuæ ætatis mores.

At vir illustris Aper, vt filium suum Lambertum faceret tenaciorem propositi, fundum suæ proprietatis, vocabulo Wentershouum, iure, perpetuo delegauit illi, illiusque tutori Landoaldo, vt ecclesiâ ibi constructâ, tantò instantiùs vacarent, ille docendi studio, ille discendi, quantò remotiùs degerent à sæculi vanitate.

Vbi dum insisteretur in ædificanda ecclesia, artifices super penu-

ria

A ria potabilis aquæ conquerebātur, quia ibi aqua ex paluſtri colluuie collecta, eos bibētes magis torquebat amaritudine, quā aliqua ſuauitate refocillabat; S. magiſter, ſanctiorque magiſtro diſcipulus, fidem habentes in eum, qui amaris aquis de mari, dulcedinem indidit, & qui aquas etiam de petra produxit, communicato voto, pariter exorant pietatem omnipotentis. Inuocato ergò S. Trinitatis nomine, baculo deſignatur locus in modum S. crucis, (res mira, ſed fidei non inuſitata) fons ibi emanauit limpidiſſimus, qui & aperuit quantum Sancti apud Deum poſſent: & incolis ex tunc & modò, omni vſu habilis fuit. Cuius beneficij memoriam, dum patres generatim narrādo, tranſmittunt ad filios, merita ſanctorum accumulant, dum per B eos, nomen Domini, benedici faciunt. Ita Lamberto & Landoaldo *diligentibus Deum; omnia cooperabantur in bonum*, qui, vt eſſent ſancti, *ſecundum propoſitum Dei, vocati ſunt*.

*Exod. 15. Deut. 8.*

*Oratione fontē aquæ dulcis excitant.*

*Hoc miraculū ſcimus per traditionem patrum.*

*Rom. 8.*

Et puer quidem ſtrēnuus, iam tunc nitens totis viribus fieri vir perfectus, quantum ſub ferula ſancti magiſtri profecit, quàm puro pectore adhibeerit pietatis, ac ſcientiæ verba, otioſum eſt hîc inculcare verbis, cùm fructum tam proficui laboris, adhuc hodie paſſim exuberare videamus.

*Puer Lambertus conatur fieri vir perfectus.*

Sub Landoaldo, fœlix adoleſcens non leuiter exercitatus, ad genitorem regreſſus eſt. Nec eſt facile dictu, quo vterque affectus ſit gaudio, dum ei filius, pro paterno affectu, & pater pro filij profectu gratulabatur.

C

---

## *Quod à S. Theodardo Lambertus inſtructus ſit.*

## CAPVT IIII.

Sancto Theodardo Traiectenſium epiſcopo ſubſtituto, commendatur etiam huic Lambertus à ſuo patre, vt ad eius exemplar erudiatur, qui in eccleſia, & in curia, multùm videbatur ſuſpiciendus.

*Cōmendatur Theodardo epiſcopo.*

D Ex cuius viri latere adeò profecit, vt in cunctis negotijs, non tantùm exemplo, ſed etiam miraculo eſſet omnibus: erat enim verè dignus, aſpectu amabilis, colloquio affabilis, in recta conuerſatione, & omnibus conformi, vix vlli imitabilis. Parui pendebat pręſentia, veluti deuouerat in pueritia; ęſtimans pro nihilo omnia, pręter quod erat æternæ ſalutis gratia: cœleſtibus animo inhærens, ſeſe holocauſtum Domino mactabat.

*Eſt non ſolum exemplo omnibus ſed etiam miraculo.*

*Fit holocauſtū Domino.*

Sed quid opus eſt, hinc inde quæſitis laudationum fucis, illum colorare, quem ſapientia ipſis colorauit virtutibus? Superfluū eſt extra quærere materiam laudis, cùm eum creator, ad tantam formauerit gratiam; vt in toto corpore eius, vix ſurrepſerit aliqua naturæ menda: in animo verò eius, vix aliqua nociua macula apparuerit.

*Eſt corpore & animo integer & perfectus.*

De

## De habitudine corporis sancti Lamberti, & dotibus animi.

### CAPVT V.

*Propria corporis eius habitudo.*

QVia tamen oportet eum laudare, vt ex vero eum laudemus, decet. Is qui habitudinem corporis eius aut nouit, aut ab his qui eũ nouerũt, didicit; scripsit eum fuisse fortem, velocem, multùm agilem, firmum in bello, formâ præcipuũ, staturâ procerũ, facie decora, cæsarie formosa, inclitis oculis, manibus honestis, digitis longis, carne candida, vt à planta pedis vsque ad verticem capitis, esset irreprehensibilis. B

*Dotes animi & virtutes.*

Et, vt veniamus ad bona animi, erat charitate plenus, castitate præcinctus, fundatus in humilitate, oportunè orationi, oportunè lectioni, oportunè negotio sæculari, vel rei familiari intentus. Ecce, vides hominem adeò donis gratiæ, adeò donis naturæ ditatum, vt dicas eum in virum perfectum formatum à Deo. Ecce, inquam, habes hominem, cuius personæ habilem conformari: in quo, si attendas ea quæ sunt laici; quid de laico ei defuisse dicas? Si quæras quæ sunt clerici; totum clericum inuenias.

*S. Lambertus omni honore, omnique amore dignus. S. Theodardus optat eum sibi successorem.*

His rebus facilè comparatum erat, vt omni honore, omniumque amore dignus iudicaretur. Per hoc ita Theodardo episcopo erat cordi, vt præoptaret eum sibi eligere successorem, nisi sciret Apostolica authoritate esse decretum, ne sacerdotes audeant alios, designatis nominibus, sibi subrogare; ne episcopatus non diuinum munus, sed hæreditarium putetur esse compendium; & ne quisquam quod Dei est, putet homini deberi. Porrò, in aula Regis, non leuis erat æstimatio de Lamberti nomine, quem & regalis sollicitudo, & procerum multitudo reuerebatur. C

#### ANNOTATIONES.

1. Is qui habitudinem corporis eius aut nouit, aut ab his qui eum nouerunt, didicit.] *Godeschalcum intelligit, qui ex Thiedoëno, S. Lamberti famulo, & habitudinem corporis illius, & animi virtutes scribit se cognouisse in vita S. Lamberti cap. 3.* D

2. Nisi sciret Apostolica authoritate esse decretum.] *Habes hoc decretum, De filijs præsbiterorum ordinandis vel non cap. 7.* Non minus, *inquit*, obseruato Apostolici rescripti decreto, quod successionem in ecclesia Dei hæreditariam detestatur.

*De relato*

A

### *De relato corpore sancti Theodardi.*

## CAPVT VI.

THeodardo præsule, per innocentiæ viam, ad gloriam martyrum perducto; Vangiones, in quorum territorio mortem oppetierat, non credebant hoc fortuitò accidisse, sed Dei, sua inter omnia disponentis, nutu, præsens noui martyris tutamen, sibi procuratum esse, sperabant. Ideò non patiebātur corpus eius asportari B à sua parochia, cuius præsentiâ optabant æternaliter gloriari. *Theodardus subit martyriū* *Vangiones non patiuntur corpus martyris asportari.*

Hæc acerbitas rei nimiū perculerat Traiectenses, & Lāberti mentem plus, credo, omnibus consternauerat: sed ipse temperans dolorē, quippè, in quo, post Deum, tota vrbs inclinata recūbebat, ad repetendū præsulis corpus se accinxit. Et primò frustratus, non destitit, sed toto animo & sensu suo, ad explendam operam suam vsus, rem effecit ex sententia. *S. Lambertus illud tandem impetrat.*

Relatum itaque sancti corpus, in villa publica, Legia tumulauit; præsciens, quòd eam diuinitas, ipsius etiam sanguine & nomine specialiter consecrandam, præuidebat, & ad ampliandam martyrum gloriam, parabat in vrbem ampliare. *Sepelit Leodij & quare.*

C

### *Quòd ad episcopatum electus sit.*

## CAPVT VII.

QVis Traiectensium ecclesiæ substitui deberet episcopus, multùm deliberabatur in ecclesia Dei, multùm super hoc in aula Regis Hildrici tractabatur, qui mortuo patruo suo Sigeberto, regnum Austrasiç à patre suo Clodoueo acceperat. Iamque paulatim D sermo, de palatio ad ecclesiam, ab ecclesia, ad populi frequentiam discurrebat, nullum Lamberto meliorem esse, ac per hoc, nullum episcopatu Traiectensium esse digniorem; ei competere, ex canonica authoritate, vt in ecclesia sua, fructum militiæ suæ perciperet. Cum palatio concordat ecclesia: consentit clerus cum populo: vnum optant omnium corda: milia populi vno ore acclamant. Se illi oneri negat esse parem, ac per hoc, magis cogi meretur. Tandem vir, ditatus honoribus sanctimoniæ, illustratus commercijs parcimoniæ, annuit vnus omnibus morigerari, vt omnes de se vno in Christo gloriari possent. *Lambertus successor Theodardi ab omnibus acclamatur.* *Negat se parem oneri.* *Tandem oneri se subijcit.*

Adeptus culmē religionis perpetuæ, studuit pietatis augere opera, qui pontificali auctus erat infula. Mactabat omni die holocaustum *Auget pietatis opera.*

*Septem donis S. Sancti exornatur.*

Domino non ex pecore alieno. Consilium & opus suum semper ad Deum conuertebat, cor & pedes dirigebat ad euangelizandam pacem. Septem quippè dona Spiritus sancti quæ Christo substantialiter insunt, huic quoque, pro captu humano, accidentaliter aderant. Spiritus consilii in eo vigebat egregiè : & quicquid agebat, spiritu sapientiæ moderabat. A

*Est Hildrico Regi à secretis consiliis & commentariis.*

Rex verò Hildricus, videns eum cunctis præstare, pluris eum habebat cunctis regni primoribus, ipsisque episcopis, eique apud animum suum, apud aures & os suum, primum locum dabat : & cuius cor credebat Spiritus sancti oraculum esse, cuiusque linguam habebat pro veritatis organo, ei vltrò dederat amicitiæ suæ summam, eumque sibi à secretis fecerat, qui, vt fertur, erat ei etiam à commentariis : vnde à corde & ab ore illius, omnis Austrasia pendebat, eumque tota regalis curia reuerebatur. B

*Amatur quoque à Theodorico rege Neustriæ.*

Frater quoq; Hildrici regis Theodoricus, qui in parte Fràciæ, quæ Neustria dicitur, regnabat, præsentiam appetebat Lamberti, & inter proceres & amicos suos, ei seruabat gratiæ copiam : & si quid in regno suo auctorisandum erat, non putabatur satis ratum fore, nisi etiã Lamberti approbatum esset consilio.

---

## *Qui fuerint episcopi & abbates contemporales S. Lamberti.* C

## CAPVT VIII.

*In vtroque Franciæ regno prosperatur fides ecclesiæ.*

IPsi sanè Frãcorum Reges, Theodoricus & Hildricus, quamuis pro simplicitate, minùs per se saperent, in hoc tamen sapiebant, quia audiebant sapientes : primus enim sapientiæ gradus est, sapere ; secundus, audire sapientem. Vnde, quia Lamberti, tam sancti & tam prudẽtis viri, aliorumque sanctorum episcoporum consilio, disponebant regni negotia ; erat in vtroque regno pulchra rerum facies, & prosperabatur fides ecclesiæ.

*Episcopi contemporales Lamberto.*

*Lambertus aureum sydus ecclesiæ.*

Erant quippè tunc temporis sancti episcopi, qui sciẽtiã præditi & sapiẽtiã, sanctè & iustè secundas regni partes administrabant. In his præeminebant, Andoënus Rothomagẽsis, Austrigisilus Biturigensis, Eligius Nouiomensis, Vindicianus Cameracensis, Audomarus Teruanensis, Leodegarius Augustidunensis, Faro Meldensis. Inter hos emicabat Lambertus, aureum sydus ecclesiæ, velut inter ignes luna minores emicat. Hos Lambertus suspiciebat, vt patres & natu maiores, eosque imitando, à singulis eorum, aliquid gratiæ hauriebat. Porrò, illi Lambertum præcordialiter amabant, vt filium iam de flore ætatis, fructus emittentem, eique post se, quasi ex hæreditaria successione, regimen ecclesiæ competere gaudebant, quem iustum ante Deũ & homines videbant, sine querela, in omnibus incedere, & ire in dies de virtute in virtutem. D

Erant

Erant præterea etiam abbates, & tunc & nunc nominabiles sanctitate, Bertinus, Philibertus, Wādregisilus, Vrsmarus Lobiensis in tyronem Christi adolescebat. Hi erant Lamberti contemporales, tales erant eius contubernales. Hi, vt Cherubim, virtutum suarum alas concutiebant, alter ad alterum, & in laudem Dei, orbem terræ cōmouebant. Horum meritis diu tranquillata est ecclesia Dei, diuque status regni prosperatus est. *Abbates contemporales Lamberto.* *Ezech. 10.*

Postmodum, propter populi torporem, dormiente Iesu in naui sanctæ ecclesiæ; ecce, *motus magnus factus est in mari* huius mundi. Facile est causam tanti motus edi scere. *Fit motus magnus in naui S. ecclesiæ. Math. 8.*

---

## *De interfectione Hildrici Regis.*

## CAPVT IX.

Theodoricus & Hildricus fratres, bipartitum Franciæ regnum regebant, sed quia Teodericus hebetioris ingenij erat, Ebroinus maior domus, simplicitate eius abusus, commouit in Regem odia totius populi: Franci enim alienam inuidiam in Theodericum retorquentes, deijciunt eum regno: & fratrem eius Hildricum ex Austrasia inuitantes, eum sibi regem præficiunt. Quos quamdiu habuit Hildricus moderate, potenter vtrique regno præfuit; vbi & ipse modum excessit, insolentius agens, diu contra torrentem brachia tendere non potuit: nam quia seuerior iusto, quendam nobilem Francorū Bodilonem, contra legem cædi fecit ad stipitem ligatum, ab eodem Bodilone in venando exceptus, interijt. Theodericus totum regnum recipit, recrudescit malitia Ebroini, quoscumque reperiunt fauisse pertinatiùs partibus Hildrici, hos pessundant, trucidāt, priuāt honoribus, mulctāt proscriptione, relegant exilijs. *Ebroinus maior domus abutitur simplicitate Theodorici.* *Hildricus quoque Rex se insolenter gerit.* *Bodilo contra legem iusu Regis cæsus, regem occidit.* *Recrudescit malitia Theodorici & Ebroini.*

---

## *Quòd episcopatu S. Lambertus priuatus sit.*

## CAPVT X.

Qvia Hildrico nullus fidelior, vel amicior fuit quàm Lambertus, totum pondus tribulationis super eum incubuit: videbatur enim nihil actum fuisse morte Hildrici, si intimus Hildrici Lambertus, impunitus abiret, de quo certum tenebant, quòd nunquam factioni iniquitatis suæ assentiretur. *Causa depositionis S. Lamberti.*

Ideò consilio Ebroini, à Rege Theoderico, conuocatâ ad Synodum episcoporum turbâ, qui, quasi *canes muti, non valebant latrare* contra *Oēs episcopi à Rege & Ebroino vocati canes muti. Esa. 56.*

falsitatis testimonium, alios episcopos exordinant. Et, ne quis in regno vel ecclesia restaret, qui pro veritatis defensione fidei clypeum auderet erigere, vel exemplo vel instinctu Lamberti, qui præ cæteris, & pro cæteris, liberiùs iniustitiæ aduersari audebat; omnes Diaboli complices, insurgunt in Lambertum, veritatis amicum, & concinnatis iniustitiæ causis, eum ab episcopatu deponunt. A

*Lambertus deponitur ab episcopatu.*

*Id procurat Coloniensis episcopus, & quomodo.*

Fertur Coloniensis episcopus conspirâsse huic prauorum factioni; zelo inuidiæ ductus, & primores populi, datâ pecuniâ, ad odium Lamberti concitâsse, qui etiam clericum ecclesiæ suæ Pharamundum, ad episcopatum Traiectensem, contra ius & fas, passus est promoueri. Qui miser, quia *abijt in consilio impiorum, in cathedra pestilentiæ sedit*: de quo quid aliud poterit dici, quàm quod veritas dicit: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat,* B

*Pharamũdum ecclesiæ suæ clericum patitur promoueri in episcopatum.*

*Psalm. 1.*

*Ioan. 10.*

---

## *Quòd Stabulaus monasterium expetierit.*

## CAPVT XI.

LAmbertus pastor bonus, exemplo pastoris essentialiter boni, *paratus dare animam suam pro ouibus suis, non vt mercennarius fugit*, sed declinauit procellosum domesticæ persequutionis naufragiũ, & clementer ferens cuncta, præsulatus liquit sceptrum, commendans curam ouiũ ei, qui lauit baptismate, ac redemit sanguine. C

*Lambertus bonus pastor non mercennarius.*

*Ioan. 10.*

Expetens ergò Stabulaus monasterium, à Sigeberto Rege fundatum antè aliquot annos, & pro feruore sanctæ religionis, vbique nominatum; monasticæ quietis portum elegit, ibique per septem annos angelicam ducens vitam, habitauit secum. At ex omni ecclesiasticæ familiæ numero, duo tantùm pueri, eius obsequio adhæserũt: quorum alter, Theodoënus nomine, illi qui primus scripsit vitam sancti viri, relator verax & testis idoneus operum eius fuit. Ecce, habemus virum ad exemplar virtutum omnibus propositũ: qui sciens, quod solùm summus magister à se discere mandârat, in humilitate, mitis corde, & in patientia sua, quærebat requiem animæ suæ: in obedientia verò se cohæredem suo Christo conformabat, qui *obediuit patri vsque ad mortem.*

*Confert se ad Stabulense monasterium.*

*Solum duo in eius obsequio perseuerant.*

*Theodoënus relator verax gestorum sancti Lamberti.*

*Philip. 2.*

Quale, rogo, erat videre virum nobilem natu, nominabilem sanctitate, præsulem officio, rebus olim potentem, in tantillo temporis agentem iam probatum monachum, quod vix quilibet alter posset assequi multa annorum quantitate? Reuera, non eum plus nimio res delectauêre secundæ, quem mutatæ non quassauerunt: nunquam enim amittitur sine dolore, quod cum amore possidetur.

*Breui tempore fit probatus monachus.*

Qui

A Qui cupit, ille etiam metuit: qui metuit, nunquam liber vel securus viuit. Lambertus noster nihil mundi doluit perdere, quia nihil concupiuit, ac per hoc, semper securus sui fuit, & liber in Christo. Amotus ab episcopatu per iniustitiam, quando expostulauit de irrogata sibi iniuria, quam appellauit personam? Ad cuius se audientiam addixit? Cui Iurisperito suam commisit causam? Nullum regno vel ecclesiæ scandalum concitauit: suæ ruinæ nullius voluit miscere ruinam; soli Deo causam suam reuelans, dicebat quod filius Dei ad patrem dicebat per prophetam: *exurge Domine, & intende iudicio meo, Deus meus, & Dominus meus, in causam meam.* *Apud neminẽ quærelam deponit.* *Psalm. 34.*

B

## *De obedientia & humilitate sancti Lamberti.*

## CAPVT XII.

IAm nunc videamus in vno testimonio obedientiæ quanti æstimata sit Lamberti cœnobialis conuersatio. Tendens semper ad perfectionem, augebat aliquid ad seruitutis suæ pensum, sciens quicquid supererogaret, à vero Samaritano sibi reddendum esse: vnde noctibus canonicas vigilias præueniens, soluebat Deo priuatas excubias. *Opus supererogationis.* *Luc. 10.*

C Ad hoc vnâ noctium, dormitorio volẽs egredi, inquietauit fratres dormientes, altero sandalio à manu sibi elapso. Qui sciens, quod ex censura regulæ, adire deberet crucem qui fratrum quietem turbâsset; statim, vno tantùm aspero indutus cilitio, clàm lecto exiliuit, & dicto citius, ad nutum indignãtis abbatis, sandalijs, & quę habebat in manibus, relictis, nudis plantis, discalceatis pedibus, penè nudus, crucem adijt, ibique psalmis & hymnis intentus, pernoctauit immobilis. *Casu sandalij turbat quietẽ fratrum.* *Pernoctat penè nudus ad crucem tota nocte in aspero frigore.*

Hec crux lapidea erat, inter oratorium & dormitorium, ad hoc statuta, vt respectu ipsius crucis, hi qui erant Christi, carnem suã deuotiùs crucifigerent cũ vitijs & concupiscentijs, & si quando grauiusculis delinquerent excessibus, ad hanc addicti, regulariter pœniterent. *Qualis crux & vbi collocata.*

D

Frigus noctis illius, gelu exasperabat, & nix, cùm largè deflueret, non tamen vltra talos præsulis ascendebat. Tota prorsus hyemalis facies nimis horrebat: sed ille mitissimus, quia ardebat planè interiùs flãmâ paracliti spiritus, idcircò exteriùs frigoris non sensit cruciatus. Cœlum eius patuit precibus, & oratio ad supernos peruenit auditus. Ipso interim canente versum psalmi: *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* solito citiùs cantum dabant galli. *Cùm nix larga deflueret, non ascendit vltra talos præsulis.* *Psalm. 41.*

Fratres surgunt ad præscripta vigiliarum munia, & post hæc domum introgressi, accendunt ignem copiosum. Inter calefaciendum, abbas inquirit, vbinã sit Lambertus, qui fratrũ conuentui desit! Vnus

Hhh 3 fratrum

fratrum dixit, Lambertum esse, qui regulari iudicio, per intempestã noctem, cruci sit addictus. Abbas expauescit, & ire fratres ad eum reuocandum vrget. Eunt, eumque canentem offendunt: *cor contritum & humiliatum Deus non spernit*. Eo reuocato, aduoluitur eius genibus abbas, & omnis congregatio. Abbas se incusat, & culpam excusans, veniam de ignorantia vel intemperantia postulat. Lambertus accusator sui, imputat sibi culpam, nihil esse dicens quod eis ignoscat. Fratres beneuolentiæ eius recompensant gratiã, & balneum illi parantes, vestimenta eius mutant. Inde manus eius pedesque exosculantes, gratulantur ei vnanimes, dicentes hoc factum esse pro eius augenda gloria. A

*Psalm. 50.*

Egregius verò præsul, expansis in cœlum manibus, fratres sic benedixit: B

O Deus omnipotens, cœlestia lumine complens,
Qui cœlum, terras, pontum ditione gubernas,
Vt sint cuncta tuis in tempore subdita votis;
Hos, exposco, tuos benedic per sæcula seruos,
Protege ab insidijs, serua virtutibus almis,
Donec te videant, & cœli regna prehendant,
Te tribuente Deus, qui nunc & semper in æuum
In triplici virtute tui, benedictus haberis.

---

C

## *Quòd ad episcopatum reuocatus sit S. Lambertus.*

## CAPVT XIII.

*Euoluto septennio Deus sedat tempestatem contra S. excitatam.*

EVoluto septennio, tãdem altissimo placebat, vt post horridam, & diuturnam tempestatem, cœli faciem serenaret. Pipinus secundus, Ansigisi & Beggæ filius, vbi cunctos qui inter se concertando Franciam discindebant, viriliter vicit, solus sub Theoderico Rege, totius Franciæ principatum obtinuit, & perturbatum regni & ecclesiæ statum, disposuit meliorare.

*Pharamundus expellitur.*

*S. Lambertus reuocatur.*

Cui, inter alia, hæc laudis materies occurrit: Traiectensis mercennarius Pharamundus, tandem iustâ cleri, & populi abdicatus sentẽtiâ, non tantùm ab ecclesia Traiectensi, sed etiam à tota prouincia expellitur. Ilicò omnium ad cœlum tollitur oratio: omnium ad principem Pipinum oratio dirigitur, ne amplius Traiectenses, pij patris Lamberti careant solatio. Placet iusta petitio principi, & edicit pastorem ouibus suis restitui. Ita miles emeritus, per maxima tribulatione purgatus, omnium suorum vocibus attollitur, & in cathedra Traiectensium decenter relocatur. Et meritò, quia in corde illius erat sinceritas, & legis plenitudo; in ore illius veritas, & pulchritudo. D

Quanta super eius reditu fuerit exultatio omni ordini, ætati & sexui

A xui, quantùm clerici & monachi, quantùm aduenæ & peregrini, quantùm senes & pueri, quantùm iuuenes & virgines, in sua vnusquisque causa, fuerint iocundati, cuiuslibet etiam diserti, non sufficeret lingua, si vellet currere per singula. *Exultatio de reditu S. Lamberti.*

Regressus igitur vir apostolicus ad propriam vrbem, deprauatam à pseudochristianis, ecclesiasticæ institutionis reparauit normam.

---

## *Quòd S. Lambertus Taxandriam ab idolatria liberauerit.*

B

## CAPVT XIIII.

Malens ergò esse, quàm dici episcopus, superintendebat instantiùs sibi, & *vniuerso gregi, non subterfugiens quo minus omne consilium Dei annunciaret omnibus:* timensque serui mali & pigri notam, qui *reposuit in sudario pecuniã Domini sui*, nihil remissi faciebat cordi, & corpori suo, sed vrbes & municipia lustrabat, & per corda, ligonibus verbi exculta, semen vitæ in tempore iaciebat. Aliquando etiam limites suæ Diœcesis excedebat, ne à Domino diceretur seruus inutilis, quòd id solum fecerit, quod facere debuerit. *Act. 20. Visitat Diocesim. Luc. 19. Excurrit ad vicinos infideles.*

C Erat in proximo prouincia Tessandrorum, vbi adhuc vigebat idolatria. Et dolens fortis Christi athleta, hostes christiani nominis, de tam contiguo, aduersari regno Regis sui, armis fidei accingitur, & calore virtutis inflammatus, crebris eos assultibus lacessebat. Et oblata eis pace Domini, ea tentabat omnimodis, si quomodo super *filios pacis, pax sua requiesceret*: nunc verbi dulcedine eos mulcebat, vt ad viam veritatis errantes adduceret; nunc vltrôse ingerens bello, templa & simulachra Gentilium destruebat, vt quauis occasione, fremitus eorum compesceret. Illi fremebant, vt barbari, & eum, vt bestiæ ferocissimæ, discerpere cupiebant. Aliquando tamen, humanitatis respectu adducti, attendebant virtutem, & pietatem sancti viri, qui quod prædicabat ore, opere explebat; & eum imitari volentes, D patiebantur se ab eo in fide Christi cõfirmari. Ita belligerator Christi, paulatim abolens ab eorum cordibus, barbariem gentilitatis, inescabat eos ad christianitatis mansuetudinem: & idolatriæ fœtorem remouens, spargebat vbique bonum Christi odorem. Nec ante destitit signifer Christi, quàm omnem illam gentem de regno Diaboli abactam, ad regnum Regis Regum transduxit. *Tessandri tempore S. Lamberti adhuc Idololatræ. Math. 10. Fremunt in eũ. Compescit eorum fremitum verbo Dei & vitæ exemplo. 2. Cor. 15.*

Hæc est, Christe, tua gratia: hæc est boni militis tui constantia; qui opus apostolicum aggressus, ad castra tua tam insignem adduxit triumphum. Ecce Tessandriæ apostolum, meritò apostolis, & apostolicis viris conferendum. Cùm enim ad indicandum venerit princeps pastorũ, & quisq; pastorum, ei repræsentauerit quotam partem mundi, sua prædicatione adduxerit ad fidem; hic pastor noster, inter *S. Lambertus Tessandriæ apostolus.*

pastores

pastores non inanis, apparebit; sed etiam ipse, multos suo labore, ab A
idolatria, vel malitia retractos, post se trahet, & accipiet multiplicem coronam gloriæ.

---

## *Visio sancto Lamberto ostensa, de sepelienda sancta Landrada.*

## CAPVT XV.

*Deus quare in Sanctis mirabilis.*

QVam gloriosus sit Deus in se ipso, nullo modo deprehenderetur ab hominibus, nisi aliqua mirabiliter in sanctis suis operaretur, per quæ à nobis intelligatur verè esse mirabilis. B

*Landrada aduocat S. Lambertum pro viatico vitæ sumendo.*

*Nihil Deo gratius fraterna charitate.*

Francis Pipino principante, cōstruxit cœnobium in villa Belisia, sancta Landrada virgo, per omnia sancti Lamberti cōsilio animata, & vsa auxilio: quę imminente die sui exitus, vt parata ad nuptias sponsi intraret, cum accensa bonorum operum lampade, accersiuit familiariter eundem sanctum Lambertum, vt ab eo, vitæ viaticum acciperet. Accelerante viam sancto viro, illa interim soluta est carnis ergastulo. Sed Deus, cui nihil gratius est fraterna charitate, nec illum, nec illam, passus est priuari fructu mutuæ amicitiæ.

*Apparet S. Lādrada S. Lamberto.*

*Math. 25.*

*Landrada reuelat locū suæ sepulturæ lumine ad instar crucis in terrā demisso.*

Nam in veniendo, iocunda præsuli apparuit visio. Ante oculos C
iacentis, & quasi per extasim semiuigilantis, adstabat clara videri ipsa Christi virgo Landrada, eumque amicabili vultus & oris gratiā cōpellans: vnde, inquit, tibi, ô mi amice, hæc insolita mei incuria, vt te, ad me visitandum, tanta tenuerit mora? Lambertus, prætendens affectum familiaritatis, reddebat hęc verba excusationis: me nec incuriæ, nec moræ incusare habes, quem ad te venire maturantem, præuenit ocior mortis tuæ necessitas. Ecce, quia adsum, & tu iam *intrāsti in gaudium Domini tui*, iusta tibi soluam ex debito: tu, quęso, mihi indica, quo in loco corpus tuum, ex tuo placito, sepeliam. Et illa: suspice, inquit, in cœlum, & diligenter illum in terris locum notato, in quo videris modò, per micantem lucem cœlitùs, apparere sanctæ D
crucis signum. Lambertus eam mōstrantem sequens oculis & mente, ecce, videt locum in terris cœlesti luce designari in modū sanctæ crucis, & ab ore colloquentis sibi virginis, hæc vltima verba accipit: Hunc, Lamberte, locum tibi cœlitùs insinuatum, scias olim delegatum à Deo meæ sepulturæ. Hac vice sermonum, sancta virgine cœlo recepta, vir sanctus somno solutus, applaudebat sibi, de cœlestis visionis miraculo.

*Locus est in VVētershouuo*

Locus autem qui cœlestis lucis signo irradiabatur, Wentershouum erat; quem ipse sanctus Lambertus, à sancto Landoaldo inibi nutritus, prima sui tyrocinij indole insigniuerat.

Lamber-

A Lambertus tantò quidem properantiùs maturabat viam, quantò sciebat hoc Deo, & sponsæ eius fore gratius. Et veniens Pelisiam tardiùs voto quàm pedibus (animo enim cupienti nihil satis festinatur:) visionem omnibus pandit, eosque ad illam exequendam nititur flectere quàm potest blandiùs & facundiùs. Omnes contra vnum reclamant: omnes vno ore tumultuando conclamant: absit, Lamberte, absit, ô præsul beate. Hîc ipsa sancta virgo à te Deo consecrata fuit: hæc ecclesia eius operâ & impensis constructa, à te per eam est dedicata; hîc omnia eius, per te, ab ea Deo relegata sunt: hîc Deo famulantium turba, per eam, & per te adulta est; & vbi digniùs ossa eius quiescent, quàm hîc, vbi præsentialiter, tot bonorum eius operum apparent testimonia? Et hæc quidem omnia, etiam tuæ B sanctitatis merita, Lamberte, accumulant, dum per tuæ pastoralitatis studium, hîc & merito, & numero aucto fideliũ populo, fidei & virtutis exuberant dona.

Lambertus offensus peruicaciâ omnium: gratum est, inquit, præesse ciuibus, sed graue est omnibus placere: ecce, quia *sermo Dei & meus non capit in vobis*, vos omnes, inuitus sequar; certus sum tamen, quia cœlestis oraculi non deerit effectus. *S. Lambertus inuitus acquiescit contradicentibus.* *Ioan. 8.*

Lambertus igitur, sepulta sancta virgine, magis ex populi, quàm ex suo placito, animo fluctuabat, hinc de cœlesti oraculo certus, illinc incertus de sepulto virginis corpusculo. Ob hoc, omni orandi modo se addicens, quærebat rem ab eo, *cui nihil impossibile esse*, sciebat. *Luc. 1.*

C Sic exacto triduo, côuocato populo, ait: virginẽ Christi pridẽ defunctã, vestro etiã iudicio, magni dico fuisse meriti, & ideò duco nô leue esse, quod ab ore eius, iam cũ Christo regnãtis, mihi indicatũ teneo. Ideo, ne grauemini, quod precor, vt apertâ virginis tũbâ, rem ipsam oculis experiamini. Ab oĩbus obeditur ei, tũba aperitur, sed nihil reperitur de sancto ibi sepulto corpore, cũ ipso sarcofago alias trãspo sito. Expallet vultus omnium, solus Lambertus gaudet, & attonitos paternè demulcens: quia, inquit, diffidentiam vestram experti estis; iam nunc Dei mirificentiam experiamur, & in loco mihi designato, sancti corporis glebam quæramus. Eo duce, Wentershouum curritur: qui mente & oculis, relegens cœlestis signi ostensa sibi vestigia, ostendit locum beneplacitum sanctæ virgini. O rem nouam. Ibi D sancti corporis glebã, cum ipso sarcophago, transportatam inueniunt, tam compositè tamque decenter relocatam, vt nulli esset dubium, angelico ministerio, sanctam virginem illuc translatam fuisse. *S. Landrada miraculosè in VVentersl ouo sepulta reperitur.*

Attollunt cuncti Dei virtutes, super omnia prædicant fidem, & meritum gloriosi Lamberti, *cuius conuersatio iam in cælis* erat, quamuis corpore adhuc teneretur in terris, in quo videbant impleri illam Domini vocem: *omnia possibilia sunt credenti*. O virum dignum Deo, cui nihil deest ad perfectionis cumulum, paratum ascendere etiam ad illam charitatem, quâ *maiorem nemo habet, vt animam suam poneret pro amicis suis*! Quam enim maiorem gloriam daret Rex suo emerito mili- *Celebrantur fides & merita S. Lamberti.* *Philip. 3.* *Mar. 9.* *Ioan. 3.*

Iii liti,

liti, quàm vt coronatum martyrio, donaret rude æternæ quietis. A

Nos, vt extremam manum operi imponamus, iam nunc passionis eius vexillum erigamus.

---

### *Quòd Lambertus Pipinũ argueerit pro illicito matrimonio.*

## CAPVT XVI.

*Pipinum accedebant ad virtutem nobilitas & sanctitas parentum.*

PIpinus, vt prædiximus, principabatur egregiè super omnes principes Francorum: cuius gloriam augebant, crebri victoriarum tituli: quem ad virtutem incitare poterant, saltem deducta ab vtroque parente nobilitas, & sanctitatis monumenta. B

Vt enim sileam de sanctitate Gertrudis, materteræ eius, vel Clodulphi, filij sancti Arnulphi, Metensis episcopi, qui fuit patrinus ipsius; quis sanctæ Beggæ, matris eius, vitam non miretur? Quis nesciat sanctimoniam paterni aui eius Arnulphi, qui primò maior domûs Regis, pòst, Metensis episcopus, & in vita, & in morte mirabilis mundo fuit? Iam verò etiam filiorũ eius potentia vigebat in regno: è quibus Drogo, dux erat Campanensium: at Grimoaldus, hæreditarium patris principatum expectabat. Hos illi genuerat legitima sua coniunx Plectrudis. C

*Filiorum quoque potentia.*

Et cùm Pipino nihil gloriæ, nihil potentiæ vel fœlicitatis deesset, nunquam ei super industriam fortuna fuit. O nihil vnquam tutum apud Diabolum! Vir tam victoriosus, de seipso non potuit triũphare, & ferreum pectus suum passus perforari molli telo libidinis: puellam nobilem & elegantem, nomine Alpaidem, superduxit ligitimæ coniugi suæ Plectrudi, ex qua etiam suscepit filium Karlum, cui postea, propter indomitam bellandi fortitudinem, Tudentes, siuè, Martellus, agnomen fuit. Hæc soror erat Dodonis, qui domesticus Pipini principis erat, vir plenus opibus, genere clarus, per amicos & cognatos, & multos sibi obsequentes pueros, multam potentiam assequutus in regno.

*Pipinus in reliquis gloriosus, de seipso triumphare non potuit.*

*Genuit ex Alpaide adultera Martellum.*

Cùm autem nullus esset episcoporum, qui staret ex aduerso, & opponeret se murum pro domo Israel, vt *staret in bello in die Domini*, Lãbertus solus, *Zelo Zelatus, pro domo Domini, oportunè, importunè arguebat principem*, & alterum se Heliam, vel Ioannem exhibebat. Quod animi habebat Herodias, cùm Herodes Ioanni, eum pro adulterio arguenti, libenter accommodabat aurem; hoc animi habebat etiam Alpais, cùm Pipinus Lamberto, eum pro pellicatu suo arguenti obediebat. Equidem, vir aliàs laudabilis & religiosus, hoc excepto, multùm Lamberti iocundabatur consilijs, & monitis flectebatur: qui, si amantem pellicem fallere potuisset, nimirum, lucrosè audîsset, se meritò increpantem præsulem.

*Ezech. 13.*
*3. Reg. 19.*
*2. Tim. 4.*
*S. Lambertus increpat Pipinum adulterii.*

*De bello*

A

### De bello nepotum Dodonis contra familiam sancti Lamberti.

## CAPVT XVII.

PEllex rem ad fratrem suum Dodonem refert, eique omne consilium suum deferens precatur, vt eius ope, aboleatur opprobrium generis sui, quod nimis inualesceret, si per Lamberti censurã, contingeret suum à Principe diuortiũ. Ille causam suam & *Dodo studet compescere S. Lambertum.*
B sororis, cum valentioribus sui generis communicans, per se, & per eos, episcopum compescere ab increpatione principis, laborat. Quẽ quia inuenit inflexibilem, nec faciem alicuius contra iustitiam reuereri sensit; proximis & amicis suis promittit, de causa sororis vltionem.

Hinc duo fratres, Gallus & Rioldus, consanguinei Dodonis, neptis suæ Alpaidis miserantes vicem, lacessendi episcopum oportunitatem quærunt: & insurgentes cum omnibus suis, in ecclesiæ Traiectensis familiam omnem, qualicumque arte, contra eos calumniã concinnant: nullam quam eis inferre possunt, molestiam prætermittunt, si quomodo possent per hoc, sententiã præsulis inflecte- *Gallus & Rioldus nepotes Dodonis infestant cognatos S. Lamberti & quare.*
C re, vt saltem, causã suorum, à redargutione principis desisteret. Sed res aliter ac rati erant, cessit: *iustus nẽpè, vt leo, confidens* clypeo patientiæ, contra omnes se protexit incursus, *& gladio spiritus, quod est verbum Dei,* contra minas terrenæ potestatis, se accinxit, *& galeam salutis indutus*, agebat indubitanter rem veritatis. Et primò quidem, blandè compellabat eos, & quibus modis pietas patris, & censura præsulis poterat, eos ab iniusta deterrebat violentia. Sed quia in ventum fundebat verba, se quam familiariter in Deum reijciens, dicebat. *Exurge, Domine, & iudica causam meam, memor esto opprobrij seruorum tuorum.* At filij Belial, acrius Dei fideles impetebant, & omni genere nocendi, tribulabant innocentes. *S. Lambertus manet constãs. Prouerb. 8. Eph. 6. Psalm. 73.*

D Illi, quibus res erat pro anima, & quibus tota spes in sola innocentia pendebat; inconsulto episcopo, armis obuiam ire parant, vt aut vlciscantur suas iniurias, aut ne moriantur inulti. Concursum est, pugnatum est. Pugnant illi pro temeritate: repugnant illi pro salute. Gallum & Rioldum, consanguineos Dodonis, locat superbia in prima fronte belli: Petrum & Andoletum, consanguineos præsulis, ex aduerso, in prima acie, opponit iustitia. Galli & Rioldi *degeneres animos timor arguit*: Petri & Andoleti dexteras, ad virtutem erigit innocentia. Virtus innocentiæ fauit, victoria cessit parti ecclesiasticæ. Gallus & Rioldus, factionis iniquæ principes, cæsi oppetunt: Petrus ac Andoletus, ecclesiæ vindices, referũt victoriæ vexillum. Confusi sunt impij, nec erubuerũt: victi sunt, sed defatigati non cesserũt. *Petrus & Andoletus occidũt consanguineos Dodonis Gallum & Rioldum. Virg. 4.*

Dodo

Dodo enim, qui fuerat incentor omnium malorum, iam & ipse efficitur belli auctor, & vilipendens quod de sacerdotibus dicitur ex ore Dei: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*, grassatur in ipsum caput S. episcopi: deuouet eum morti, in eum solum retorquet nepotum suorum vltionem. A

*Zach. 2.*

## *Quòd S. Lambertus à Pipino Iopiliam inuitatus sit.*

## CAPVT. XVIII.

Pipinus princeps illis diebus Iopiliã venerat, ad villã Legię cõtiguã: vbi vir S. Lambertus, quasi pro regni negotio, ad eius curiã inuitatus, suam præsentiam non negauit. Princeps, & principis pellex, vultum serenant cõtra eum: alij iram dissimulant: simulant alij lætitiam: multi, pro suo quisque arbitrio, habitum cordis variant. B

*Varij motus animorum in aula de S. Lamberto.*

Tractabat pellex oportunè aliquẽ parare sibi precatorẽ; per cuius instinctum, posset sibi conciliare animum episcopi, vel saltem ab importuna reprehensione principis, inpræsentiarum mitigare.

Conuiuium apparatur: inuitatur episcopus: iocundatur prorsus omnis curialis præsentia. Princeps oblatum sibi à pincerna poculum, innuit offerendum esse episcopo, ducens benedictionis vice, si de consecrata sancti episcopi manu, poculum acciperet, quod olim à Martino, episcopo Turonensi, sciebat quæsisse Cæsarem Imperatorem maximum. Sed Pipinus maiorem benedictionem à Lamberto percepisset, quàm Imperator maximus à Martino perceperit, si talem gratiam apud Lambertum vxor Pipini meruisset, qualem apud Martinũ, vxor Maximi promeruit. Martinus melioris maximo Imperatore æstimauit præsbiterum suum, cui poculum porrexit ante Regem, Lambertus nullum Pipino prætulit. C

*Pipinus petit à S. Lamberto benedici suum poculum.*

Exemplum verò principis sequuti minores proceres, omnes à sancta manu sancti episcopi, poculum sibi porrigi efflagitant. Dumque ad hoc omnes mixtim irruunt, & se confusè ingerunt, vt alter alterũ præueniat; ecce pellex sua manu clanculùm manibus aliorum intermixta, satagebat, vel sic, de manu episcopi præripere poculum. Ille ante & retro oculatus, præcauit fœmineas insidias callenti animo: & ad principem conuersus, de nimietate fœmineæ præsumptionis conqueritur, quæ callida arte quæsisset, inurere sibi notam non placitæ Deo communionis. Inde se aulâ proripuit, & omnem illam principalis conuiuij imminuit iocunditatem, nec sic quieuit versutia fœminæ, nihil volentis relinquere inexpertum. D

*Minores proceres petunt pariter benedictionem.*

*S. Lambertus conqueritur de præsumptione Alpaidis. Exit aula.*

Vesperi parante redire episcopo, ei, per suggestionem pellicis, à principe iubetur ne abeat, insalutata sua coniuge. Episcopus, loquente in se constanter spiritu veritatis: testor, ait, ô maxime princeps,

testor

A testor verè Iesum, spem vitæ nostræ, me nunquam fornicariæ communicaturum, quia scripsit & mandauit Paulus nobis dicens: *ne commisceamini fornicarijs.* Testor, inquam, Deum, me nunquam eam salutaturum, quia scio dixisse amicum Dei Ioannem: *Si quis non permanet in doctrina Christi, non eum recipiatis, nec aue ei dixeritis; qui enim dicit illi aue, communicat operibus illius malignis.* Te ei communicare, nimis doleo, te nolle resipiscere, ægre fero, propter hoc, Dei iram tibi timeo.

*Pipino mandāti ne abiret insalutata pellice, quid respōderit.*

*1. Cor. 5.*
*2. Io. in fine.*

Pellex, videns causæ suæ nihil esse reliqui iamiamque si diu adiuuat Lambertus, timens sibi imminere diuortium, rem totam seriatim fratri furioso mandat, & oleum camino addens, obtestatur, vt quantociùs agat de occidendo episcopo. Dolorem quem Dodo habebat de nece nepotum suorum, exaggerabat geminatus, de repulsa B sororis suæ, dolor: iāq; totus in hoc erat, vt sibi, & sorori satisfaceret.

*Pellex Alpais instigat Dodonem fratrem in necem Lamberti.*

---

## *De furore Dodonis festinantis ad necem S. Lamberti.*

## CAPVT XIX.

C PRæco veritatis Lambertus, iam tendens ad brauium supernæ vocationis, venerat Leodium: Dodo verò ad vicum auridum secesserat, Leodio satis contiguum. Parat arma, socios aggregat, à domo etiam Regia, suo vel sororis suæ nomine comparatos euocat auxiliarios. Dilationis moras odit, iras colligit differendo, irascendo, stimulos furoris, ad cotem durissimi cordis acuit.

Lambertus interim præscius instare suum agonem, noctem illā insomnem duxit, non quia terrerent eum aliqua insomnia mortis, sed quia spe præoccupabat futuræ quietis gaudia. In ipso namque conticinio noctis surgens, ad confitendum Domino, angelico in terris se obsequio exercebat. Horâ celebrandæ nocturnę synaxis, excitatis discipulis ait: Surgite ociùs, promisit Deus coronam vigilantibus. Officio expleto, cæteri se lectulo reddunt: ipse perstat boni ope-D ris cursui consummando.

*S. Lambertus præscit agonē suum.*

*Tota nocte vacat orationi.*

Circa crepusculum, corpore corruptiuo aggrauante animam, cœpit exemplo Domini euntis ad passionem tædere; & oculis grauatis somno, captabat dormiens modicum quietis; cùm ecce circa auroram, rarescentibus tenebris, hostilem exercitum cuneatim incedere videt, & nunciat excubitor episcopalis domûs, nomine Baldoueus. Et quamuis nebula mane ascendens liberum intuitum retunderet, facile erat rem deprehendere, vel ex visa multitudine virorum, vel ex audita armorum collisione. Micabant loricæ, prominebant cassides in capite, leuæ tegebantur clypeis, dexteræ armabantur spathis & lanceis, præibant fundibularij cum sagittarijs.

*In crepusculo dies Dodo cum militibus cingit domum S. Lamberti.*

*De viso crucis signo.*

CAPVT XX.

AVdite rem mirabilem diuinæ pietatis indicem.

Vt enim clareret Lambertum *in nullo gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem ei mundus crucifixus erat, & ipse mundo*, eique iam à terra in cœlum, per virtutem crucis, ascensum parari, quidam sequentes exercitum, vident signum admirabile, stupentes, supra domum in qua erat pontifex, instar Dominicæ crucis, clariùs omni metallo, à terra vsque ad cœlum rutilare.

*Gala. 6.*

*A quibus visa fuerit crux.*

Hoc qui videre meruerunt, credo quod Dodonem magis ex debito stipendij, & spe pactæ mercedis, & ad augendum numerum militum, quàm ex studio innocentes persequendi, & auiditate fundendi sanguinis, prosequuti sunt.

*De interfectione S. Lamberti sociorumque eius.*

CAPVT XXI.

ACies hostium iam quasi ad procinctum parata appropinquabat: excubitor domûs inclamat dormientes, quibus ipse iam circumstans exercitus nuncius horroris esse poterat.

Testis Christi Lambertus, attonitus grauedine somni, & rei acerbitate, discalceatis pedibus surgit, & arripit gladium, quasi se suosque defensurus. Sed ad se reuersus, se temeritatis damnauit: & quia illicitè saltem attentauerat arma, se ante Dei oculos cõgruenti addixit pœnitentia. Te, inquit, bone Iesu, qui dixisti, *mihi vindictam ego retribuam*, te precor, ne perdam victoriam meam, quia satiùs est mihi mori in te, quàm super iniquos bellando mittere manus. Tu, bellator fortis, *apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.*

*S. Lambertus attonitus grauedine somni arripit gladiũ, se suosque defensurus.*

*Heb. 10.*

*Sanctus pœnitet facti.*

*Psalm. 34.*

Iam irruptis portis, iam effractis foribus, ipsos domûs parietes impingebant lanceis, aliqui etiam introgressi, ignem intentabant. Petrus & Andoletus, introgressos eliminabant, & tam multis, tam paucorum viribus, frustra conabantur resistere.

*Petrus & Andoletus frustra conantur resistere.*

Quos sanctus pro tempore consolans: si me, inquit, fratres, vicarie amastis, Christum, sicut ego diligo, diligite. Vestra Iesu peccata cõfitemini, & orate pro inuicem, vt saluemini: me oportet iam dissolui, & cum Christo viuere. Scitis vos, ô nepotes mei, reos & noxios fuisse, in crimine isto, de quo modò vltio expetitur: quod tũc iniustè egistis, modò, precor, iustè & patiẽter luite. Non iudicabit Deus bis in idipsum

*S. Lambertus suos nepotes consolatur.*

A idipsum, nec consurget duplex tribulatio. Ne, quæso, peccatum vestrum ante Deum inundet, nec per manus vestras, *sanguis sanguinem tangat*. Non timeamus sæuitiã persequutorum: quia illis erit in vindictam gladius, & ignis, qui manducabit carnes illorum vsq; ad medullam. Vos, tantùm manus vestras seruate innoxias, &, vt spiritus vester in ęternū sit saluus, vestras etiã carnes date illis ad dilacerãdū. *Osea. 4.*

His vltimis monitis patris sui, iam in agonia constituti, animati sunt omnes ad occumbendum pro innocentia. *Parati sunt occumbere pro innocentia.*

Ipse arrepto psalterio, & primum psalmi versum, qui occurrit, pro præsagio, accipiens: *quoniam requiret Dominus sanguinem seruorum suorum*, hoc subiunxit vltimum: *videat Deus & requirat*. Et egressis omnibus B extra cubiculum, & quasi agnis in medio luporum furentium expositis; ipse, extensis manibus, terræ, in modum crucis, prosternitur: & orans cum lachrymis, in manus Domini, animam commendauit, vt nemo vnquam affectuosiùs se Deo commendauerit. *Præsagium. Psalm. 9. 2. Paral. 24. S. Lambertus prosternit se in terram, & animam Deo commendat.*

Carnifices interea, Petrum & Andoletum peremerunt, & quotquot ecclesiasticæ clientelæ ibidem inuenerunt. *Luc. 23.*

Vnus cæteris truculentior, ascenso tecti culmine, eumq; videns hærentem solo pauimenti, cor eius iacto telo transfixit: animã verò eius, cum ipso orationis murmurillo, angeli intulêre cœlo. *Petrus & Andoletus occiduntur.*

Pretiosus ergò sacerdos Domini Lambertus, qui hîc fuerat *particeps omnium custodientium mandata Dei*, fruitur illic gaudens & exultans, C omnium sanctorum contubernio. Cum continentibus & virginibus, redimitur serto castitatis: confessor cum confessoribus, ante Deum, bibit sanctum calicem confessionis: monachus cum monachis, accipit centuplum æternæ recompensationis: apostolus cum apostolis, in sede iudiciariæ potestatis sedet: propheta cum prophetis, spe gaudet: patriarcha cum patriarchis fide fulget: postremò martyr cum martyribus, *calicem salutaris accipiens, nomen Domini inuocat*; quia maius nō habuit quod Dño retribueret, pro oĩbus quę retribuit sibi. Inter nouē etiã ordines angelorū, habet in quo singulis, pro merito officij sui, participet. Ita factus oĩū particeps, allectus est in ęterna curia, municeps, vbi obtinet palmã perēnis glorię, & stolã iocūD ditatis æternæ. *Cor S. Lāberti telo trãsfigitur. Psalm. 118. Fruitur omniū sanctorum contubernio. Psalm. 115. Similiter & Angelorum.*

## *De exequijs sancti Lamberti.*

### CAPVT XXII.

PAuci ex satellitio S. martyris, qui euaserunt mortis periculū, tegentes vili tegmine corpus, roseo cruore perfusū, quantocius nauigio Traiectū transuexerūt. Volat fama per populos, pauore & horrore vniuersos concutiens. Pauent oẽs, pro offensã principis: horrent õnes, pro indebita nece præsulis. Dolent Traiectenses, se amisisse pij patris beneuolentiã; nec tamē satis audent, debitã tãto patri reuerentiã exhibere. Vix charos lugere, vix reos vacat odisse. *Corpus exanime Traiectum transuehitur. Non exhibetur corpori S. debita reuerentia.*

Exposito

Expoſito ad portum ſancto corpore; cōcurrit populus ſine nomine & numero, & quanti apud omnes æſtimatus fuerit; ex confuſis omnium planctibus æſtimari poterat. A

*Defertur ad baſilicā S. Petri.*

Impoſitus feretro, defertur ſanctus ad baſilicam ſancti Petri, cum debito honore. Clerus cum pſalmis & canticis proſequitur: populus complodit manus, cum lamentis. Populus pernoctat ſolēniter: clerus ritè frequentat excubias. Iuuat omnes adlambere veſtigia pij patris: magna ſe putat ſuffragia meruiſſe, cui contingebat ſanctis membris infigere oſcula. Delectabile & pium erat, videre oues paſtori ſuo dependere pignus amoris.

*Celebrantur exequiæ.*

Sed miſerabile, & mirum erat, circa erraticas oues, iram pij paſtoris aduertere. Traditur enim à maioribus, quia cùm omnibus ſanctum exoſculandi liber aditus pateret; ſi qua pellex ſe ingerebat, ad corpus martyris oſculandum, quaſi quodam rotata turbine, retrocedebat. Per pellicum ergò repulſam, clarebat nimis, Deo & ſancto martyri, pellicem illam odioſam fuiſſe, quæ duplici crimine, Franciam infamauerat, & ſanctam conturbârat eccleſiam. B

*Pellex nequit oſculari corpus ſancti.*

Tantus autem timor Traiectenſes, pro huius rei acerbitate, inceſſerat, vt nec mauſoleum dignum tanti nominis viro, auderent præparare. Ideò, apertâ tumbâ Apri, patris ipſius S. Lamberti, mane facto, cum oſſibus patris ſui, corpus ſanctiſſimi filij tumulârunt.

*Sepelitur in tumba patris Apri comitis.*

C

## *De obſequio angelico ad tumulum S. Lamberti.*

## CAPVT XXIII.

Exanimes artus, non liquit cœlica virtus:
Monſtrauit populis, quantæ fuerit bonitatis.

*Chorus angelicus ad tumulū S. Lamberti.*

NE enim terrerētur populi humano terrore, quò minùs S. Domini Lambertum, digno honore venerarentur; cœpit ad tumulum eius noctu, & interdiu, audiri chorus angelicus pſallentium, quoties ibi eſſe humanum ſilentium videbatur. Nec defuerunt qui rei ipſius veritatem ſcrutarentur. Et cùm apponerent omnem mentis & aurium diligētiam; videbatur eis (ex qualitate vocis ſancti Lamberti benè ſibi nota) quòd ipſe ſanctus, cum alijs qui ſecum occubuerāt, diuinæ maieſtati dulcem melodiam cātaret. Si quis eâ horâ vellet adire baſilicam, præ horrore non poterat introire: & quantò quis ſe propiùs ingereret, tantò minùs angelicas voces admittebat, retuſis auribus. Cùm autem elongabatur, angelica amplius iterabatur melodia. D

*S. Lambertus cum ſocijs ex vocis qualitate cum angelis cantare agnoſcitur.*

O ineffabilis, Chriſte, tua potētia! Quis compenſet tua magnalia? Eccè, palàm facis quod tuo ore dixiſti: *non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum*: omnes enim tibi viuunt, qui viuis & regnas in ſęcula ſeculorum

*Mar. 12.*

De vindicta

*De vindicta Dei in Dodonem & complices eius.*

## CAPVT. XXIIII.

MIles Christi gloriosus Lambertus, quantus apud Regem Regum in cœlis esset, cœpit statim in terris patefacere; per hoc multò beatior, quòd per eum, etiã post mortem, nomen Dñi benedicebatur in populis.

*Quanti apud Deum S. Lambertus sit patefit miraculis.*

B Apparens enim nocte thesaurario, nomine Amalgisilo, iudici olim suo, blando eum alloquio compellabat. Qui, de causa aduentus sui, ab eodem viro diligenter inquisitus: Romam, inquit, iuimus, Româ ecce redimus, visitaturi Dodonem, & complices eius: sanguis enim innocentiũ, qui mecum pro Christo super terram effusus est, iam iamq; à Deo expetit vindictã, nec suam Deus ab eis gratiã elongauit. His dictis, disparuit, sed quia visio non fuit phantastica, rerum exitus docuit.

*S. Lambertus miraculosè apparet Amalgisilo.*

Dodo nẽpe sancti antistitis interfector, statim incurrit iram diuinę vltionis: & omnia intralia putrefacta & fœtida, per eos suũ proijciens, ostendit omnibus infœlicitatem suã, per miserabilem vitæ exi-
C tum: & qui hîc pompâ sæculi abusus est, deputatus est in inferno igni inextinguibili, & *vermi non morienti*. Fertur etiam quod propter intolerantiam nimij fœtoris, corpus eius in fluuium Mosam proiectũ, sit vermibus, & tabe corruptum; nec aliam sepulturam meruerit, qui miserabilem tanti criminis acquisiuit memoriam.

*Dodonis miserabilis exitus.*

*Esa. 66.*

*Cadauer eius propter intolerantiam fætoris, proijcitur in Mosam.*

Dodoni in crimine æquandus ille, qui sanctum Dei suis manibus peremit, fratri suo miser bello congreditur, & fratrem perimens, mutuò à fratre perimitur.

*Qui S. Lambertum telo traiecit, fratrem occidit & à fratre occiditur.*

Vt paucis omnia concludam, infra anni ipsius spatium, vix aliquis euasit, qui in nece sancti martyris reus fuit: & si quis superfuit,
D in tantum se, aut sensu perdoluit annullari; vt illos fœlices duxerit esse, qui citata, quamuis miserabili, morte consumpti sunt.

At Christi martyr, coronatus triumphat, & victoriæ palmam tenens, in sinu Abrahæ exultat. Sic, Christe, in sanctis tuis, de inimicis triumphas, *diligentes te diligens, honorificas honorantes te.*

*Prou. 8.*
*1. Reg. 2.*

 A

### *De miraculis Legiæ ostensis in loco passionis S. Lamberti.*

## CAPVT XXV.

Legia, quæ illustrari meruit patroni sui martyrio, quamuis corpore eius se ad tempus doluerit viduatam esse, tamen miraculorum eius immunis non fuit.

*In loco martyrij luminaria diuinitùs accēduntur.*

In cubiculo namque martyrij illius conscio, luminaria, diuinitùs accensa, sæpiùs resplendebant, vt tota domus, quasi solis radijs, refulgeret, vt lucem illam vix humanus ferret oculus. B

Hæc famæ primordia, verificabat sequēns gratia miraculorum, quorum hic summa capitulanda est.

*S. Lambertus ab inuito pectinem recipit.*

Theoduinum quendam, vir sanctus, semel ac bis, per visum monuit, vt pectinem suum optimum redderet, ab vxore eius sibi prærepitum. Tertiò non parentis sibi, pectus affecit insanabili ictu, sicque suum ab inuito recepit.

*Duo cæci lumē recipiunt.*

Baldigisilus, iussus per visum, excubare ad locum eius martyrij: & alter quidam Raginfridus, eundem locum emundare monitus, ambo lumen oculorum, quo carebant, receperunt, in suo quisque tempore. C

*Oda cæca etiā illuminatur.*

*Hisce miraculis augetur veneratio S. Lāberti.*

Veniebat cum fide ad hunc locum virgo Oda, & ipsa cæca, & loco proxima; vt nomen inuocauit sancti martyris, quod volebat, accepit. His augebatur recens veneratio noui patroni, & accensa populi deuotio, basilicam sancto ædificabat tantò citiùs, quantò deuotiùs. Lectus etiam sancti à fidelibus fabrefactus, in illo loco positus est, vbi sanctus telo iniqui transfixus fuit.

---

### *De translatione sancti Lamberti: & miraculis in ea ostensis.*

D

## CAPVT XXVI.

*Per visionem S. martyr petit referri ad locū martyrij.*

HÆc Legiensium deuotio, adeò Domino placuit; vt iam crebrò, multis Dei fidelibus, cœlitus visio appareret, vt sanctus martyr, relatus Traiecto, martyrij loco restitueretur. Sanctus Hubertus, sancti Lamberti discipulus, & successor, non contraibat Dei & martyris voluntati.

*S. Hubertus anno 13. sui episcopatus reperit corpus S. Lāberti integrum.*

Anno ergò episcopatus sui decimo tertio, tumbam sancti aperiens, corpus eius solidum, & illibatum, & miro odore respersum, inuenit: mutauit vestimenta, & priora, pro dandis pignoribus, seruāda sigillauit.

Claruit

A Claruit in transferendo hoc, benè placitum fuisse Domino. In villa quippè Niuella requiescente populo, pauper cæcus ditatus est, reddito sibi officio oculorum. *Niuellæ cæcus illuminatur.*

Nec multò pòst, in villa Harmala, cunctis requie releuantibus laborem, paralyticus ibidem adductus, in conspectu sancti feretri, solidata compage membrorum, sibi redditus est. *Paraliticus sanatur.*

In singulis his locis, statim basilicæ, in honore sancti martyris, fundabantur.

Cum tali tripudio, appropinquabatur tuo, ô Legia, municipio. Quanta & qualis fuerit processio cleri & populi, quanta & qualis exultatio vndique concurrentiũ, quanta omnium liberalitas in dandis sancto muneribus, quanta fuerit fidelibus orandi & vota vouen-B di puritas; hæc & huiusmodi, faciliùs à sapiente æstimari poterunt, quàm alicuius ore, vel stilo narrari. *Exultatio totius populi de aduentu sui martyris.*

Habes, Legia, tuum gaudium: ecce, tenes tuum speciale patrocinium: hinc cœpit tui prouectus initium: per hunc, in vrbem exaltata, proueheris de filia in matrem: per hunc, in episcopalem sedem promota, in omnem profecisti honestatem: alijs vrbibus in senium quodammodo vergentibus; tu per hunc effloruisti in pulchræ iuuentæ statum. Protegat te in æuum, suis sanctus martyr suffragijs, qui te ad hoc prouexit, vt inter vrbes, nomine & merito magnificeris. *Apostrophe ad Legiam.*

Ex tunc, in reliquum tempus, non est modus vel numerus mira-C culorum, cùm omnibus per Lamberti nomen ibi Deum inuocantibus in veritate, semper patuerit ostium diuinæ misericordiæ. Erat illic videre compeditorum vincula, debilium sustentacula, in argumentum virtutis Dei appensa. Quicumque veniebat fidei tenax, nunquam redibat inefficax. *Non est numerus miraculorũ S. Lãberti.*

---

*De Grimoaldo ante altare S. Lamberti interfecto.*

## CAPVT XXVII.

D HIc sanctus martyr, sicut pijs & fidelibus pius & oportunus adiutor erat; ita, erat contra impios, aut seuerus correptor, aut iustus vltor.

Post paucos annos translationis eius, ægrotante sæpè nominato Pipino maiore domûs, ibat ad eum visitandum, filius eius Grimoaldus: qui deuotus sancto Lamberto, (ideò fortè amplius, quia occubuerat, pro defenso matris eius Plectrudis matrimonio) diuertit Legiam, & ad tumulum sancti, oraturus accessit. Inter orandum, exceptus ibidem ante altare sancti Lamberti, perimitur à quodam satellite Rabbodonis, ducis Fresionum, cuius filiæ, à patre suo Pipino sibi desponsatæ, connubium expectabat. Sed Rabbodo id impunè *Grimoaldus quare deuotus S. Lamberto.* *Perimitur à satellite Rabbodonis.*

*Rabbodo perimitur à Dæmone.*

non tulit, cuius instinctu, innocens occubuit Grimoaldus. Nam nõ multò pòst, idem Rabbodo mirabiliter à Dæmone ludificatus, perijt subita, & æternali morte. A

Quia longum & tædiosum est, singula sancti Lamberti miracula, particulariter enarrare; Dei per eum operantis potentiam laudemus vniuersaliter.

---

## *Epilogus.*

## CAPVT XXVIII. B

*Godeschalcus, primus scripsit vitam S. Lamberti.*

*Non est prosequutus [illegible] causam martyrij.*

*Quo tempore passus est S. Lambertus.*

VItam S. Lamberti primus, iussu Agilfridi episcopi, scripsit Godeschalcus diaconus, ipsius cõgregationis clericus, qui fuit tẽpore Pipini & Caroli magni: & gesta quidem eius veraciter prosequutus, de causa martyrij parum libero ore loquutus est. Quod hac de causa fecisse creditur, ne sui temporis Regibus, culpam maiorum suorum videretur exprobrare. Ex illicito quippè Pipini & Alpaidis connugio, natus est Carolus Martellus: de Carolo Pipinus tertius, qui ex principe, in regem Francorum promotus est: de Pipino Carolus magnus, quo nemo ante eum, vel post eum, inter Francorum Reges, fuit maior, de quo dubitari potest, fortior an fœlicior esset: potentior in Republica, an religiosior in ecclesiastica disciplina. C

Passus est S. Lambertus 15 kalend. Octobris, anno episcopatus sui quadragesimo, sub Rege Francorum Hildeberto, Theoderici Regis filio: à quo Theoderico, Reges Francorum solo nomine regnabant; penes maiores domûs potentiâ regni constitutâ vsque ad Pipinum tertium.

# DISPVTATIO HISTORICA

## DE PRIMIS TVNGRORVM, SEV LEODIENSIVM EPISCOPIS.

Item CHRONOLOGIA Posteriorum.

STVDIO ET OPERA
ÆGIDII BVCHERII,
è Societate IESV.

*Si quæ hæreses audent interserere se ætati Apostolicæ, vt ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille episcopus, aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris (qui tamen cum Apostolis perseuerauerint) habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.* Tertullianus de præscript. c. 32.

Cum gratia & priuilegio S. C.

## *Ieremiæ* 6. *v.* 16.

HÆc dicit Dominus: ſtate ſuper vias & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in eâ: & inuenietis refrigerium animabus veſtris.

## *S. Auguſtinus lib.* 1. *de Trinitate, cap.* 2. *&* 3.

NEc pigebit me, ſicubi hæſito, quærere; nec pudebit, ſi cubi erro, diſcere. Proinde, quiſquis hæc legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum; vbi pariter hæſitat, quærat mecum; vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; vbi meum, reuocet me.

LAmbertus ſocios ſacræ ſibi iure tiaræ
 Obſcuros populis ſenſerat eſſe ſuis:
Vtque æuo magis, atque magis tenebreſcere ſentit;
 Quis mihi Tungrorum nubila ſoluet? ait.
Lumen habes propiùs, ſubiecit Legia, ſoluet
 Qui fidei ſacrâ fundit in æde iubar.
Lux erit ÆGIDIVS: Doctrinæ lumina genti
 Ille meæ ſpargat, Patribus ille meis.

I. S.

# ADMODVM REVERENDO

## DOMINO D. IOANNI CHAPEAVVILLE, ECCLESIÆ CATHEDRALIS D. LAMBERTI LEODIENSIS CANONICO, ARCHIDIACONO, ET Vicario generali : D. Petri Præposito, ac Sereñ. ERNESTI BAVARI, Electoris Coloniensis, Episcopi Leodiensis, &c. Consiliario priuato.

ÆGIDIVS BVCHERIVS è *Societate* IESV.

DISSERTATIVNCVLAM de primis Tungrorũ siue Leodiensium episcopis, cum posteriorum expansâ chronologiâ, mitto ecce tibi, Vir amplissime. Illam virtus & dignitas tua à me exegit; amor, quo Societatem nostrã hactenus prosequutus es, etiam extorsit. Tu hanc historiam, primus certam in lucem protulisti: tu eam ad fontes suos reuocatam, vt puriorem biberemus, effecisti; tot fabulis quibus antea scatebat, iudicij tui censurâ notatis, & ab ijs quæ vera essent, aut vero certe similia, sagacissimè sepositis. Cumque paucula reliqua, ab Ægidio præsertim addita, nonnullam videres lucem exigentia, vt ea pro viribus enodarem, persuasisti: dubias præsertim ac vacillantes narrationes ad annos suos ac tempora reuocando: sine quibus spirare non amplius potest historia, quàm sine animâ corpus. Scio. Meliùs id tu argumentum tractauisses: sed vt in alium trãsfunderes, assiduæ officij tui amplissimi occupationes adegerunt. Et suscepi non illibenter, fateor; iam quidem antea rei splendore inductus: maximè autem incensus, cùm ad conciones ad ecclesiam hanc habendas, sanctissimo obedientiæ imperio missus sum. Et certè quid in alijs nostratibus episcoporum sedibus simile reperies, aut antiquitatis excellentiâ, aut cleri frequẽtiâ, aut diuitiarum abundantia? Sunt quidem in hodierno Belgio nostro plusculæ aliæ episcopales ecclesiæ: sed eæ tamen eiusmodi, vt si cum hac nostrâ conferantur, tenellæ omnes (Cameracensem, Tornacensem, & Atrebatensem excipio) virgines appareant, & quæ iam primùm in nouas Christi sponsas adolescant.

Procedit

Procedit certè hęc inter Belgicas, aut veluti mater inter filias, aut veluti Regina inter priuatas. Mater, niueâ canicie venerabilior: Regina, diuitijs, clero, & sæculari etiam dignitate, velut totis humeris elatior. Amplius dicam. Quid tantopere maius ad sui commendationem afferre possunt, aut Constantinopolitana in Græciâ, aut Carthaginiensis in Africâ, aut Toletana in Hispania, aut Rhemensis in Francia? Nam, vt Metropolitana dignitate nos superent, antiquitate certè, sanctorum episcoporum examine, diuitijs, aut iurisdictionis (priscæ præsertim) amplitudine non vincent. Cleri frequentiâ etiam cedent. Sed nimirum ita naturâ cōparatum est; vt externa nobis, & ab vsu remota splendeant; domestica & nimis familiariter vsurpata vilescant. His igitur alijsque similibus inductus; texui primò dissertatiunculam de prioribus nostris ante Francorum tempora præsulibus: quod ij scriptorum seu incuriâ seu contēptu subobscuri sint, & si non fabulis, certè dubijs inuoluti. Posteriores episcopos, iam & temporum propinquiore viciniâ, & scriptorū vberiore frequentia notiores, in tabulas chronologicas expandi: quò eorum historia, cum externorum temporibus euidenti synchronismo comparata, primùm certior euaderet; deinde clarissimis ad oculos, animosque legentium tabulis exposita, etiam facilior atque iucundior. Id operis, vir amplissime, ita meum agnosco, vt tamen tibi debitum esse non nesciam. Tu vnus me, etsi similia iamdiu meditātem impulisti: tu manuscriptos non paucos suggessisti: tu denique hancce qualēcumque lucubratiūculam, tuis sumptibus edi voluisti. Ergò pro tua humanitate hūc libellum tui maioris appendicem ita accipe, vt meum, sed tibi debitum; ita protege, vt tuum, sed à debiliore vulgatum. Vale, è Collegio Leodiensi Societatis IESV. 26. Ianuarij, 1612.

# DISPVTATIO HISTORICA DE PRIMIS TVNGRORVM EPISCOPIS.

## CAPVT PRIMVM.

### *Prisca Belgicorum Episcopatuum sub Romanis partitio.*

1. COnstat Belgicam nostram, vt & reliquas Galliæ partes iam inde ab ipso Iulio Cæsare, anno ante Christi natiuitatẽ plus minùs quinquagesimo, in prouinciam redactam, sub Romanorum imperio per annos propè quingentos permansisse: donec inclinatis sub Honorio & Valẽtiniano tertio Romani Imperij rebus, Gallia primùm septentrionalior, tum etiam australior, in ius, ditionemque Francorum, tota concederet. Vnde, nemo non videt, ei qui veterem Belgij, nostri statum, per illud annorum interuallum, explicare voluerit, ad veteres Romanorum historias recurrendũ, & conformiter ad antiqua eorum monumenta scribendum. Huius siquidem rei, seu ignorantiâ, seu contemptu, superioribus maiorum nostrorum ætatibus contigisse videmus, vt de vetustis rebus suæ regionis scribentibus, multa, parum admodum Romanis historijs consonantia, irrepserint, quæ veris immixta, non modicum eisdem offecerint. Ego verò, vulgaribus istis omnibus omissis, & cui placuerint libenter relictis, reliqua ad historiam Romanã, tanquam ad Lydium lapidem, admouebo: imò nihil de Tungrensis sedis antiquitate prolaturus sum, nisi quod Romanorum conforme sit monumentis. *Gallia Belgica primò sub Romanis.*

2. BELGICAM imprimis eam Galliæ partem Cæsar appellauit, quæ Matronâ, Sequanâque, fluminibus, Oceano Germanico, ac Rheno, ab eius ostijs, ad Heluetios vsque, concluditur. Idem fecit, qui Cæsari in Imperio successit, Augustus: sed cùm hunc totũ terræ tractum non modicũ aduerteret; rursum in varias prouincias, velut corpus in membra, distinxit, tresque partes esse voluit: *Germaniam* videlicet *Superiorem*, siue *Primam*; *Germaniam Inferiorem*, siue *Secundam*, & *Belgicam* propriè dictam. *Galliæ Belgicæ diuisio. Lib. 1. In Germaniam Superiorem, seu Primam, Germaniam Inferiorem: seu secundam, & Belgicam propriam.*

*Nam Celtæ quidam* (ait Dion in diuisione prouinciarum inter Augustum, Senatumq; factâ) *quos Germanos vocamus, quùm omnem Celticam* (seu Gallicam) *regionem, quæ ad Rhenum est, occupâssent; effecerunt vt ea* GERMANIA (licet cis Rhenum esset) *vocaretur Superior, quæ Rheni fontibus propior est, Inferior, quæ ab hac vsque ad Oceanum Britannicum, se extendit.* Fauet Tacitus, dum de Augusti morte refert: *Duo*, inquit, *apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen* SVPERIORI *sub C. Silio legato;* INFERIOREM *A. Cæcina curabat.* Et addit mox: Inferioris exercitus legiones duas *Lib. 33. Lib. 1. ann.*

LLl apud

apud aram Vbiorum (seu Coloniam) nomine Primam atque Vice-
ſimam, hyem iſſe, cùm ſeditionem occœperunt: duas alias Quintã
& vndeviceſimam, ſexageſimo exinde lapide ſtatiua habuiſſe, *loco
cui Vetera nomen eſt*: nunc *Santen* dicitur in Ducatu Cliuienſi.

Sed hanc vtramque *Germaniam Belgicam*, ſiue Ciſrhenanam, clariùs
*Lib. 2 cap. 9.* diſtinctiuſq; deſcriptam videre poſſumus apud Ptolemæũ, inſignem 3.
ſub Antonino Imperatore geographum, qui inferioris Germaniæ
*Germaniæ inferioris oppida* loca hęc inter alia enumerat; *Batauodurum, Vetera, Agrippinam, Bonnã, &c.*
Nam Atuacutum Tungrorũ, paulò ante, velut inter mediterranea
*Germaniæ Superioris oppida.* nominârat. Superioris populos recenſet; *Nemetos*, (nũc Spiram) *Vangiones*, (Wormatiam) *Tribocos*, (nunc Alſatios). Deniq́ue Ammianus
*Lib. 15.* Marcellinus, fidus imprimis & oculatus harum prouinciarum, ſub
Iuliano apoſtata luſtrator, ita refert: *Secunda Germania, prima ab occidẽtali exordiens cardine, Agrippinâ & Tungris munitur ciuitatibus amplis & copioſis. Dein prima Germania, vbi præter alia municipia, Maguntiacus eſt, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus, barbaricis cladibus nota.* Hæc ibi.

*Belgica propriè dicta.* Tertia porrò ac reliqua Belgicæ pars, BELGICÆ nomen propriũ
*Lib. 7. cap. 16.* retinuit: & à Germaniarũ finibus, in Oceanum vſque, verſus Occi- 4.
*Ann lib. 13 & hiſt. 1.* dentem porrigebatur. Ea ſimplex, ac indiuiſa ab Auguſto ad Conſtã-
*Lib. 2. Geog. cap 9.* tinum vſque permanſiſſe videtur ex Plinio, Tacito, Ptolemæo, Spar-
tiano, & Eutropio, qui Belgicæ ſemper indefinitè meminerunt. A
*In Didio Iuliano.* Conſtantino demũ gemina facta, PRIMÆ ſimiliter ac SECVNDÆ no-
men obtinuit: in quibus quænam celebriores nominarentur ciui-
*Lib. 9.* tates, ex antiquis auctorum ſcriptis ita diſcimus. BELGICA PRIMA
*Belgicæ propriè ſubdiuiſio à Conſtantino Imperatore in primã & 2.* (inquit Ammianus) *Mediomatricos prætendit & Treuiros, domicilium principum clarum. Huic adnexa eſt* SECVNDA BELGICA, *quâ Ambiani ſunt, vrbs inter alias eminens, & Cathelauni & Rhemi:* Idem paulò fuſiùs, diſtinctiuque
*Lib. 15.* libellus prouinciarum Romanarum: *In* BELGICA PRIMA, *ciuitates
*Belgicæ primæ ciuitates.* numero 4. Metropolis, ciuitas Treuirorum, ciuitas Mediomatricorum, id eſt, Metis: ciuitas Leucorum, id eſt, Tullum: ciuitas Verodunenſium. In prouincia* BELGICA
*Item ſecundæ.* SECVNDA, *ciuitates numero 12. Metropolis, ciuitas Remorũ, ciuitas Sueßionum, ciuitas Catalaunorum, ciuitas Veromanduorum, ciuitas Atrebatum, ciuitas Cameraçenſium, ciuitas Tornacenſium, ciuitas Siluanectum, ciuitas Bellouacorum, ciuitas Ambianenſis, ciuitas Mormorum, ciuitas Bononienſium.*

*Belgicarum prouinciarum termini veteres cum nouis comparati.* Ex his qui Belgicarũ prouinciarum ſub Romanis termini fuerint, 5.
veluti punctis quibuſdam, ad oculum oſtenditur. GERMANIA INFERIOR (nam Superior ad inſtitutum non pertinet) eum omnem ter-
ræ tractum continebat, qui modò diœceſibus Coloniẽſi & Leodiẽſi,
comitatu Namurcenſi, Brabantiâ pene vniuerſâ, ac Rheno conſtrin-
gitur. BELGICA PRIMA, Lotharingiâ hodiernâ, ſaltem quæ gallicè
loquitur: & parte Lutzenburgenſis ducatûs meridionaliore, Treuirenſiq́ue diœceſi: SECVNDA, Campaniæ parte aquilonari, Veroman-
duis, Picardis, Arteſijs, Hannonijs, Flandriſq́ue finiebatur.

Ad hanc Romani Imperij in Belgicã partitionem ab Auguſto pri- 6.
mum inſtitutam, ab Hadriano renouatam, à Conſtantino denique
immu-

immutatã, Belgicã propriã in duas vt notaui, distinctã: Ecclesia quoque priscas suorum Episcopatuum diœceses aptâsse videtur, diuerso quidem tempore diuersas, sed propiùs ad Romanam accedentes, cùm *Dionysius Papa* circa annum Christi 270. parochias omnes diuisit: per omnia autem conformes, cùm *Constantinus Magnus*, velut alter Augustus, singula Imperij membra, aptiori ordine distinxit. Sub hoc enim, ceu parente ac tutore optimo, tandem aliquando respirans Ecclesia, planè se ad eius partitionem composuisse videtur; quo liquidior esset sacri profanique Imperij gubernatio, altera alterius auxilio subnixa. Quod facilè mecùm videre poterit quisquis priscos Episcopatuum, non tantùm Belgicorum, sed & omnium omninò limites cum Romanarum prouinciarum terminis comparauerit, vt docte ante nos Rhenanus annotauit: prorsus vt cùm in tota INFERIORE GERMANIA (in quã modò *Leodium* situm est) duas tantum frequentes & celebres per ea tempora ciuitates à Constantino censitas animaduerteret, Agrippinam Metropolim, & Tungros: Agrippinensem quoque Metropolitanum & Tũgrensem duntaxat statuerit Episcopũ: quorum iurisdictio sese ad vniuersos huiusce prouinciæ fines extenderet. Nam de *Vltraiectino* quidem nihil hîc attinet dicere; quòd ea regio, tum extra Gallias, adeoque Romanorum Imperium, maiore saltem sui parte censeretur; ideoque vix ante septingentesimum Christi annum, religione nostra imbuta, ac Pontificis honore decorata fuerit. In BELGICA autem PRIMA, sub Metropoli nominata Treuirẽsi, prædictas quoq; ciuitates Episcopales instituit; Metẽsem, Tulleñ, & Virduneñ. In SECVNDA similiter, sub Metropolitano Remensi, Suffraganeos vndecim ordinauit; Suessionensem, Catalaunensem, Siluanectensem, Bellouacensem, Veromãdensem, seu Nouiomensem & Ambianensem in regno Franciæ hodierno: in *Belgio* autem nostro etiam *Atrebatensem, Cameracensem Tornacensem*, & denique *Morinensem*. Nam hi certè posteriores episcopi, cùm continuã Barbarorum, presertimq; Francorum, in Belgicã irruptione defecissent, à S. Remigio, non tam instituti quàm restituti sunt, vt patet ex *Superiore Neuiorum*, & *Diogene Atrebatum* Episcopis, longè ante Remigij tempora florentibus. Imò Chronographus Cameracensis (quem breui notis illustratum, Deo fauente, dabimus) Atrebatensem, Cameracensemque sedes, audet ad *Dionysij Papæ* tempora reuocare. Certè sedium harum vetustatem satis arguit Hilarij liber de Synodis Germaniæ Primæ & Secundæ, Belgicæ item Primæ & Secundæ Episcopis inscriptus, & anno Christi 358. emissus; à morte Constantini vicesimo primo.

*Belgica diœceses sacræ, cadẽ cum prophanis*

*Lib. 3. rerum Germ.*

*Germaniæ inferioris seu secũdæ Cisrhenanæ episcopi.*

*Belgicæ primæ episcopi.*

*Belgicæ secundæ episcopi.*

Stetit hæc diuisio ad patrum vsque nostrorum memoriam donec
7. *Paulus quartus* Pontifex maximus, petente Philippo 2. Hispaniarum Rege, Belgijq; Principe, anno Christi 1559. antiquã illam partitionẽ, aptiùs ad hodiernam Principum, populorumque constitutionem

 im-

*Noui Belgij Hodierni Episcopi.* immutaret. Nã prouincias duas nouas, in hoc Belgicæ nostræ tractu instituit, vtramq; ex *Belgica secunda*, & *Germaniæ inferioris* partibus cõpositã: vnã sub *Cameracensi Metropolitano*, quæ *Atrebatensem Tornacẽsemq;*, veteres episcopatus, nouũ *Andomarensem* ex *Belgica secunda*; nouum item *Namurcensem* ex *Germania inferiore* contineret; quòd omnes eæ ciuitates gallicâ lingua vtantur. Alteram, quæ Teutonicè loquitur, sub *Mechliniensi* nouo *Episcopo & Metropolitano*, in sex item nouos distinxit episcopatus; *Ypreusem, Brugensem*, & *Gandensem* ex *Belgica secunda*: *Antuerpiensem* verò (saltem potiore sui parte) *Buscoducensem* & *Ruremundanum*, ex *Germania inferiore* decisos. Ita ex *Tungrensi* nostra, seu Leodiensi Diœcesi, tres integras nouas erexit, *Namurcensem, Ruremundanam*, & *Buscoducensem*: duarum insuper aliarum partes, *Antuerpiensis* potiorem, & *Mechliniensis* penè mediam amputauit & ei tamen tantundem adhuc reliquit. In *Belgica* vero *Prima*, vetus diœceseon partitio etiamnum stat.

## CAPVT II.

### *Status ciuitatum Treuirensis, Coloniensis, & Tungrensis: quo tempore SS. Eucharius, Valerius & Maternus sacris præfuerunt.*

EVcharium, Valerium & Maternum, Româ à S. Petro in Galliam septemtrionalem missos, tradunt antiquissima Treuirensis, 8.
Coloniensis, & Tungrensis ecclesiarum monumenta: quæ eos, vt apostolos suos & verè patres agnoscunt ac venerantur. Adstipulatur eruditissimus Baronius, & alij passim. De Colonia tantùm dubium ingerit Rupertus: *Treuirensi, inquit, ecclesiæ Maternus à B. Petro missus, hæreditatem pallij suis successoribus dereliquit, Sed primatum Metropolis Coloniæ obtinuit, eâ maximè causâ, quia Crescens prædictus* (Moguntiæ scilicet apostolus) *Coloniæ quoque apostolicam verbi Dei prædicationem* PRIMVS *intulit*. Sed nos antiquiorem tantarum Ecclesiarum traditionem sequimur. Cur autem tres hasce ciuitates potissimùm excoluerint, causa videtur, illarum supra cæteras eminentia.

*Lib. 1. de diuinis offic. c. 27.*

*Treuirorũ eminentia.* Treuiros sanè, non solum aliorum Belgarum, sed & totius Galliæ populos, laude bellica, ac imperij amplitudine superâsse, 9.
*Lib. 2. & 5. de bel. gal. Lib 4. hist. & alijs.* testantur vno consensu, Cæsar & Tacitus. Nec ea vnquàm auctoritate, etsi in ius, ditionẽq; Romanorũ concessissent, exciderũt. Cerealis sunt hæc apud Tacitum verba ad ipsos prolata: *Ipsi plerumque legionibus nostris præsidetis: ipsi has, aliasq; prouincias regitis.* Erat & Treuiris Curia semper libera, quam Senatus Romanus de noua Taciti Imperatoris electione commonendam duxit: quod non nisi principibus Imperij ciuitatibus fieri cõsueuit. Quin Panegyrici Maximiano, & Cõstãtino magno Augustis dicti, eos, cùm aduersus Germanicas gentes Rhenanum Imperij limitem tuerentur, Treuiris vt plurimum egisse nos docent

*Vopiscus in Floriano.*

docent. Denique Ammianus Marcellinus sua ætate *domicilium principũ clarum* appellat: speciatimque Constantinum filium, fratremque eius Constantem, Iulianum apostatam, Valentinianum primum, Gratianum, Maximumque, sedem Imperij in ea maxime ciuitate fixisse, passim eorum rescripta, ac res gestæ fidem faciunt. Prorsus vt de illa meritò cecinerit Ausonius: *Treuiricæq; vrbis solium, Imperij vires quod alit, quod vestit, & armat*: iure etiam Saluianus: *vrbem Gallorum summam, opulentissimam, & excellentissimam* pronunciauerit.

*Lib. 15.* *De clar. hist.* *Lib. 6.*

10 Vicina, eiusdemque pene magnificentiæ (vt idem loquitur) fuit Vbiorum ciuitas Agrippina. Metropolim sane fuisse Germaniæ inferioris, supra ex libello prouinciarum notauimus. Ammianus *ampli nominis vrbem* vocat. Et Vbios quidem transrhenanos sua ætate fuisse scribit Cæsar. Strabo eos ab Agrippa ad interiorem ripam, nec sane inuitos, transductos esse confirmat. Additque Tacitus, Agrippinam Claudij Imperatoris coniugem, *quo vim suam socijs quoque nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, quo genita erat, veteranos coloniamq; deduci imperâsse, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius.* Factum id anno Christi Dionysiano seu vulgari quinquagesimo, Claudij Imperatoris decimo. Nulla inde ciuitas populo Romano in Belgica fidelior. Sedem præbuit Romanis Legatis, qui Germanicis legionibus præsidebant. Ex quibus non paucos in Imperatores allectos infrà videbimus. Narrat Rupertus Abbas, cùm murus quidã dirueretur in cœnobio Tuitiẽsi, repertam quandam ex lapide tabulam, cum inscriptione quæ docebat, Diuitense munimentum in terra Francorum, ab Imp. Cæs. M. Val. Constantino pro militibus illic in tutelam Galliarum collocandis esse erectum.

*Agrippinæ nobilitas.* *Lib. 15.* *Lib. 4 de bel. gal.* *Lib. 12. ann.*

11 TVNGROS omnium primos è transrhenanis regionibus in Gallias transmisisse, auctor est Tacitus, primos item Germanicum nomen vsurpasse. Vnde non inepte scribit Harigerus, Tungrorum vrbem Germaniam olim nominatam. Quod cùm ante aut circa Teutonica, Cimbricaque bella omninò factum oporteat; mirum Cæsarem & Hirtium tam profundo silẽtio Tungros inuoluere. Nisi quis prætexat, Cæsaris æuo illos Eburonum late dominantium imperio pressos, obscuriores fuisse; mox Eburonum stirpe ac nomine funditus à Cæsare sublato, veluti postliminiò reuixisse. Ego tamen castrum, quod Cæsar *Aduatucam* nominat (sic enim coniunctim lego) idem esse cum Atuacuto Tungrorum Ptolemæi, & Aduaca Antonini existimo, in medijs Eburonum finibus patentiore loco situm. Quod deinde Eburonum ruinis auctum, paulatim emerserit; mox etiam superuenientibus crebris Treuirorum, Menapiorumque finitimorũ rebellionibus ac pœnis auctum, in eam tandem ciuitatem euaserit, quæ post Agrippinã amplissima esset, & copiosissima; quæq; tandem antiquato odioso nomine Atuacuto seu Aduatuca, Tungrorũ simplici appellatione claruerit; vt Durocortorũ Remorũ, Diuodurũ, Mediomatricorũ, & similia. Sanè Neronis ac Vespasiani ætate celebrẽ fuisse

*Tungrorum ciuitas.* *Libel de mor. Ger.* *Cap. 7.* *Lib. 6.* *Lib. 2 Geog. c. 9.* *In Itiner.* *Amm. l. 16.*

*Lib. 31. cap. 2. Libro hist.* ciuitatem, satis innuunt Plinius & Tacitus. Quod autem addunt plerique, mare quondam Tungris affusum, nescio an satis congruenter
*An mare Tungros alluerit.* asseratur. Ego quidem eius rei memoriam apud antiquorum neminem inspicio. Imo Menapios amplam gentem, Oceanum inter ac Tungros incoluisse volunt. Certè repugnare loci genium, nemo non videt. Quis credat mare in eos sese tractus infudisse, ex quibus iam tot fontes oriri videmus ac flumina, sese paulò post partim Schaldi, partim Mosæ confundentia? Neque multum roboris habent, quæ proferuntur ex abditis terræ ingentes, malorum instar, arbores; cōchylia item aceruata sparsáue; denique in speciem litoris tumuli, etiamnum ab incolis maris aggeres appellati: nam vt hæc omnia non à fabulis, sed à traditione ducantur; faciliùs tamen crediderim hinc euinci, Naumachias apud Tungros olim à Romanis institutas, exercendo ad naualem pugnam militi; quam mare ciuitatem adeò editā alluisse. Nisi quis eam argutissimi Goropij malit inire sententiam, quædam maris æstuaria per lacus ac paludes Tūgros vsque fluitâsse; arte postmodum & industria hominum coërcita. Forte etiam hæc inde opinio inualuerit, quod mare aut maris certè æstuaria Tungrorum non oppido, sed finibus olim affunderentur.

Ad has igitur nominatissimas ciuitates missi sunt sacri isti à Prin- 12.
*Treuirensis Archiepiscopatus institutio.* cipe Apostolorum Triumuiri. Et circa annum Christi Dionysianū, (quo passim vtitur ecclesia) quinquagesimum, sedem Treuiris pontificiam statuerunt. Vt è quâ ciuitate, ceu regiâ, iura prophana reddebantur, redderentur & sacra; fidesque faciliùs è fonte in riuos emanaret. Nam etsi Treuirensis vrbs in Belgicâ propriâ esset, nondum tunc (vt diximus) subdiuisâ: Senatum tamen eum habebat, seu Curiam, qualem iam *Parlamentum* Galli vocamus. E cuius Senatoribus, supra 113. profugos Rhenum cum Ciuili transijsse, mox è Tacito referemus. Quantus erat reliquorum numerus? Ex hac in vtrâque Germaniam Cisrhenanam iustitiæ responsa dimanâsse, fidem facit, primò Cerealis illa suprà ex Tacito allata sententia, *Ipsi has aliasque prouincias regitis*: tùm perantiquum elogium, quod ciuitas Treuirorum optimo præsidi T. Vario Clementi in Norico posuit; quo inter
*Lib. 4. hist.*
*Apud Rhen. lib. 1. rer. Ger.* cætera ascriptum est; illum *Proconsulem prouinciarum Belgicæ & vtriusque Germaniæ ac Rhætiæ* fuisse. Denique epistola illa, qua Senatus Romanus Treuirorum Curiam de noua Taciti Imp. electione commonuit, quasi à Metropoli ciuitate vicinarū prouinciarū assensū recepturus.
*Lib. 15.* Atque hoc planè est, quod voluit Ammianus; *Superiorem & Inferiorem Germaniam, Belgasq., duas iurisdictiones ijsdem* (ante Constantinū scilicet) *rexisse temporibus*. Quarum vna Treuirorum, adiacentes ad Rhenum Belgas continebat; Rhemorum altera, eam terræ partem, quæ postea Belgica secunda vocata est. Nam Rhemis certe authoritatem haud multò Treuirorum inferiorem fuisse, satis innuit Strabo: *Rhe-*
*Lib. 4. Geog.* *morum* (ait) *vrbs primaria Duricortora maximè incolitur, & Romanorum præ-*
*Lib. 4. hist.* *fectis hospitium præbet.* Et Tacitus; dum bello Ciuilis Batauico refert,

*Principes*

*Principes Rhemos per Gallias edixisse, vt missu legatis in commune consultarent, libertas, an pax placeret*: easque ita conuenisse, vt ne Treuirorum quidem legatio abfuerit, etsi vergentes Gallorum in pacem animos auersata sit. Hinc factum, vt quo tempore S. Petrus Euchariū cum socijs Treuiros misit, eodem S. Sixtum cum socijs Rhemos destinauerit: vt simul hæ natæ sedes, simul creuisse videantur. Quo etiam nomine S. Remigius in testamēto suo, Treuiricam sororem agnoscit; ac dignitate parem. Nisi forte Treurensis ciuitas & latiore iurisdictionis amplitudine, & longo Imperatorum domicilio, vt in prophanis, ita & in sacris primatum quendam tenuisse videri possit. Nam in illustrium sedium assignatione, Ecclesiam rationem aliquam prisci splēdoris ac potentiæ habuisse, in B. Clementis & Anacleti Pontificum epistolis nimis perspicue traditur. Vtcumque res habeat, satis constat ab his duabus sedibus in reliquos Belgas fidei semen sparsum: & Treuirorum Archiepiscopum non tantum partis eius Belgicæ, quæ postea Prima dicta est, sed & vtriusque Germaniæ ante Constantinum primas tenuisse. Sub Constantino Colonia Metropolitam sortita videtur; sub S. Bonifacio Moguntia, circa annum domini 750. Nam Wormatiæ fueritne vnquam Archiepiscopus, merito Serrarius in dubium reuocat. Sic igitur Treuiris Pontificiam sedem Eucharius & socij fixerunt. Qui quia Coloniam postmodum & Tungros fidei lumine illustrārunt, vt refert Harigerus: earum etiam ciuitatum habentur Apostoli Episcopique. Non quod tribus simul episcopatibus præfuerint, aut tres etiam tum instituerint sedes episcopales: sed vnam tum quidem Treuirensem, cuius sacra diœcesis (sicut & prophana) Germaniam secundā amplecteretur, in qua ciuitates Agrippina & Tungri eminerent, singulæ postmodum singulos, crescente fidelium numero, sortitæ Pontifices: vt inferius expendemus.

*Apud Flod. lib. 1. cap. 18.*

*Suprà cap. 7.*

13. Lubet autem hic Galliæ Belgicæ statum per horum Pontificum tempora ex historijs Romanorū inspicere, vt intelligamus in quod mare rete prædicationis immiserint tres hi filij Piscatoris.

Inprimis eo anno Agrippina Claudij Imp. vxor fortè in oppidum Vbiorum nouam Romanorum Coloniam deducebat; vt superius ex Tacito notauimus. *Erant autem* ( pergit idem ) *quieta per id tempus res in Germania; ingenio Ducum, qui peruulgatis triumphi insignibus maius ex eo decus sperabant, si pacem continuauissent, Paullinus Pompeius, & Lucius Vetus eā tempestate exercitui præerant.* ad Rhenum scilicet. *Ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coërcendo Rheno absoluit. Vetus Mosellam atque Ararim factā inter vtrumq; fossā connectere parabat; vt copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subuectæ, per eam fossam, mox fluuio Mosellā in Rhenum, exin Oceanum decurrerent: sublatisq; itinerum difficultatibus, nauigabilia inter se Occidentis Septentrionisq; litora fierent. Inuidit operi Aelius Gracilis* BELGICÆ LEGATVS, *deterrendo Veterem, ne legiones alienæ prouinciæ inferret, studiaq; Galliarū affectaret. Formidolosum id Imperatori dictitans, quo plerumq; cohibentur conatus honesti. Cæterùm continuo exercituum otio fama*

*STATVS BELGICAE SVB NERONE IMP. Lib. 13. ann.*

incessit

*inceßit, ereptum ius Legatis ducendi in hostem. Eoq́, FRISII iuuentutem saltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admouere ripæ (* Rheni *) agrosq́, vacuos & militum vsui sepositos insedere: autore Verrito & Malorige, qui nationem eam regebant, in quâ tum Germani regnabant. Iamq́, fixerant domos, semina aruis intulerant, vtq́, patrium solum exercebant: cùm Didius Auitus accepta à Paulino prouincia (* Germaniâ Inferiore *) minitando vim Romanam, nisi abscederent FRISII in veteres locos, aut nouam sedem à Cæsare impetrarent; perpulit Verritum & Malorigem preces suscipere. Profectiq́, Romam dum alijs curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea quæ Barbaris ostentantur, intrauere Pompeij theatrum, quò magnitudinem populi viserent. Illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum consessum caueæ, discrimina ordinum, quis eques, vbi Senatus percontantur; aduertêre quosdam cultu externo in sedibus Senatorum. Et quinam forent, rogitantes, postquam audiuerunt, earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitiâ Romanâ præcellerent; nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse exclamant; digrediunturq́, & inter patres consîdût. Quod comiter à visentibus exceptum, quasi impetus antiqui, & bona æmulatio. Nero ciuitate Romanâ ambos donauit: Frisios decedere agris iußit. Atque illis aspernantibus, auxiliaris eques repente immißus, neceßitatem attulit; captis cæsisue qui restiterant.* Eosdem agros Ansibarij cùm occupassent, duce Boiocalo, claro per eas gentes & Romanis fido, qui se Tiberio & Germanico ducibus stipendia meruisse quinquaginta annorum obsequia referebat; similiter ab Auito repulsi sunt. Hæc Taciti fusiuscula eò retuli, vt regionis nostræ statum per ea tempora videremus. Subdit autem & hoc mirabile, ad hosce Leodienses tractus referendum.

*Ciuitas* (inquit) *IVHONVM socia Romanis malo improuiso afflicta est. Nã ignes terrâ editi villas, arua, vicos paßim corripiebant; ferebanturq́, in ipsa nuper conditæ coloniæ mœnia; neque extingui poterant; non si imbres caderent, non si fluuialibus aquis, aut quo alio humore niterentur. Donec inopia remedij & irâ cladis agrestes quidam eminus saxa iacere; dein residentibus flãmis propius suggreßi, ictu fustium alijsq́, verberibus, vt feras absterrebant. Postremo tegmina corpori direpta iniciunt, quanto magis profana & vsu polluta, tanto magis oppressura ignes.* Hæc ibi de Romanorum colonia Iuhono, quam Huionum legunt exiguâ literarum transpositione Becanus & Pighius, ac HOIVM nostrum interpretantur; fauente insuper genio loci, in quo sulphureus carbo, qui ignem eius indolis aptissime concipit, etiam nũm effoditur. Vulgus *Houilles* vocat. Hæc autem ad annum Christi 58. referenda sunt, Pontificatus Eucharij apud Treuiros stabiliti octauum aut nonum; Neronis Imp. 4.

*STATVS BELGICAE SVB GALBA, VITELLIO, ET VESPASIANO IMP. ex Tacito.*

*Anno autem Christi 68. Eucharij 18. Galbâ iam imperante*, Vitellius Germ. Inferiori præpositus, Kalendis Decembris hiberna legionum iniuit. Nutabant tum vtriusque exercitûs ad Rhenum animi, nondum satis à Nerone ad Galbã translati. Et rebellionem alebãt Treuiri ac Lingones, aliæque proximæ Germanicis exercitibus ciuitates; quas atrocibus edictis aut damno finium Galba perculerat. Ergo secundo die anni sequentis 69. omnes exercitus Vitellium Imperatorem con-

ſalutant; ſecuti inde Agrippinenſes, Treueri, Lingones, auxilia, equos, pecunias offerunt. Ita Vitellius inſignibus principatûs aſſumptis, Pompeium Propinquum PROCVRATOREM BELGICÆ ſtatim interficit: Valerium autem Aſiaticum eiuſdem prouinciæ BELGICÆ LEGATVM partibus accedentem, in generum aſciſcit. Mox Cæcinam legatum cum 30. armatorum milibus ex Superiore Germania per Pœnina iuga Romam tendere imperat; Fabium vero Valentem cum 40. milibus ex Inferiore exercitu Gallias allicere aut vaſtare, & Cotianis Alpibus Italiam irrumpere. Addita vtrique Germanorum auxilia; è quibus Vitellius ſuas quoque copias ſuppleuit, totâ mole belli ſecuturus. Valentis exercitus primò Treuiros vt ſocios ſecurus adijt. Diuoduri (Mediomatricorum id oppidum eſt) miles ſubita quadam rabie quatuor milia hominum occidit, vix tandem precibus ducis mitigatus. Iſque terror Gallias inuaſit, vt venienti mox agmini vniuerſæ ciuitates cum Magiſtratibus & precibus occurrerẽt, ſtratis per vias pueris feminiſque. Nuntium de cæde Galbæ & imperio Othonis Fabius Valens in ciuitate Leucorum accepit. *Hæc ex Taciti hiſtoriarum libro primo. Pergit autem ſecundo.*

15 Cùm Fabius Valẽs accepiſſet claſſem Othonis imminere prouinciæ Narbonenſi, paulo antea in verba Vitellij adactæ: duas TVNGRORVM cohortes, quatuor equitum turmas, vniuerſam Treuirorum alam cum Iulio Claſſico præfecto aduerſus eam immiſit. Pugnatum eſt primò, marte Vitellianis infauſto: mox iteratâ pugnâ, atrox identidem eorum facta cædes, & TVNGRARVM cohortium præfecti, ſuſtentatâ diu acie, telis obruti ſunt. Paulo poſt fortunâ variante, prelium aliud in Italiâ commiſſum, Othoni aduerſum, ipſum ad volũtariam necem adegit. Ita Vitellius iam ſecurus, Gallorum auxilia ciuitatibus reddidit: ſed lubentiſſimè in Germaniam remiſit Batauorum cohortes, quartædecimæ legionis auxilia, iam tum frementes, externumque bellum cum interno meditantes.

17 Vix Romam tenebat Vitellius, iamque Veſpaſianus mouere cœperat, cum Batauicum bellum, duce Claudio Ciuili regiâ ſtirpe inclyto, ſubito exoritur. Hic primùm quaſi à Vitellio ad Veſpaſianum deficiens, Caninefates vicinam gentem & Friſios in arma compellit; ac per eos duarum cohortium hiberna, proximo occupato Oceano, irrumpit diripitque, viribus à Vitellio abductis inualida, & è proximis NERVIORVM Germanorumque pagis ſegni numero onerata. Secutum mox & aliud infælicius ad Rhenum prælium, quo TVNGRORVM cohors ad Ciuilem ſigna tranſtulit; Germaniæ, Galliæque, animos. Erat Flaccus Hordeonius in vtraque Germania pro Vitellio Legatus; primoſque Ciuilis conatus per diſſimulationem aluerat. Vbi pulſum Batauorum inſulâ Romanum nomen accepit, Mumiũ Lupercum duarum legionum hibernis Legatum egredi aduerſus hoſtem iubet. Sed & ipſe victus fugâ in Caſtra Vetera compulſus eſt. Nec mora, tot popularium victorijs allectæ Batauorum cohortes (de *Tacit. lib. 4. hiſt.*

quibus paulo antè) relicta, ad quam Vitellij iussu reuocabatur Italiâ, spretis ducibus retro ad Ciuilem abiere. Quas transitu arcere conatus Herennius Gallus, BONNAM præsidio primæ legionis obtinens, adiunctis tumultuarijs BELGARVM cohortibus, ingenti & ipse strage funditur. Tum vero Ciuilis castra Romanorum ad Vetera (nunc *Santen* in *Cliuia* vocari dixi) frustra primum aggressus, obsedit. Mouetur lentè ad Castrorum auxilium Romanus exercitus Bonnâ, Coloniam Agrippinam, Nouesium, Geldubam. Ciuilis interim vastari Vbios Treuirosque, & aliâ manu Mosam traijci iubet, vt MENAPIOS & MORINOS & extrema Galliarũ quateret. Actæ vtrobiq; prædæ; sed infestius in VBIIS, quos genus Germanicæ originis, eiuratâ patriâ, Romano nomine Aggrippinenses vocabant. Hoc rerum successu ferocior, cum castra iterum frustra oppugnasset, in Romanos ad Geldubam irruit, ita improuiso, vt NERVIORVM cohortibus, metu seu perfidiâ, Romanorum latera nudantibus, eos plane oppressisset; ni propinquantes tum Wasconum cohortes, nuper à Galbâ lectæ, victoriam pene iam certam extorsissent. Geldubam tamen paulò post cepit. equestri prælio apud Nouesiũ prosperè certauit. Denique discordem Romanum militem, & legati sui Hordeonij paricidam in fugam compulit, versus Magontiacum. Quod interea à Cattis alijsque Germanis obsessum fuerat, sed paulò ante relictum, præda satiatis. Quo tempore & loricam vallumque per fines suos Treuiri struxerant, magnisque inuicem cladibus cum Germanis certauerant: donec egregia erga populum Romanum merita mox rebelles fœdarent.

Anno enim proximo, Christi 70. Pontificatûs Eucharij 20. (quo 18
eodem Hierosolyma à Tito obsessa, capta, & incensa sunt) primùm Classicus præfectus alæ Treuirorum, regio genere ortus; tùm etiam Tutor quidam Lingon, ripæ Rheni à Vitellio præfectus; deniquè Iulius Sabinus Treuir, genus suum à Iulio Cæsare, per proauiæ suæ adulterium, stolidè deducens, fœdus cum Ciuili ineunt, firmantque Coloniæ Agrippinæ in domo priuatâ; nam publicè ciuitas talibus inceptis abhorrebat. Placuit primò Voculam & ceteros legionum legatos interfici, sed dolo. Qui vbi prosperè cessit; Romanus miles deficit, pretio à Gallis emptus; mox etiam pro imperio Galliarum iurat. etiam ij qui hactenus ab Ciuili ad Vetera obsessi fuerant, & tantum fame non enecti, ad eandem pactionem impulsi. Inde omnia Romanorum in Germania inferiore hiberna subuersa cremataque. Legio XIII. à Nouesio in coloniam Treuirorum transgredi iussa. Dubitauere inde Ciuilis & Classicus, an Coloniam Agrippinensem diripiendam militi permitterent, seu cupidine prædæ aut sæuitia, seu quod transrhenanis gentibus inuisam scirent ciuitatem, opulentiâ, auctuque. Placuit clementia nouum imperium inchoantibus vtilis. ergo inita cum ea societas. Etiam Ciuilis proximas Belgarum ciuitates affectabat; cùm Claudius Labeo etsi Batauus, Ciuili tamen inimicus

micus, Bethasiorum, TVNGRORVMQVE, & NERVIORVM tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Verum Ciuilis in ipso prælij ardore cum se agmini Tungrorum intulisset, & libertatem belli causam proclamasset; effecit vt Iuuenalis & Campanus è PRIMORIBVS TVNGRORVM vniuersam ei gentem dederent. Mox Labeonem per auia Belgarum persecutus est.

19 Interea Sabino partium Duce à Sequanis fuso fugatoque, & sparso Domitiani Mucianique cum Italicis legionibus aduentantium rumore (nam iàm placide Vespasianus rerum potiebatur) Galliarum ciuitates ad mitiora inclinantes, edicentibus Principibus Remis conueniunt, ac in commune consultant. Acerrimus belli instinctor fuit Tullius Valentinus Treuir. At Iulius Auspex è primoribus Remorum, vt pax præualeret, obtinuit. Scribuntur ad Treuiros epistolæ nomine Galliarum, vt abstinerent armis, impetrabili veniâ si pœniteret. Valentinus suæ ciuitatis aures obstruxit, etsi non satis instruendo bello attentus.

20 Hoc rerum statu Cerealis Romanorum dux ab Italia Maguntiacum cum exercitu aduenit. Moxque Rigodulum paulo supra Mosellæ ac Rheni confluentiam aggressus, Valentinum, qui locum illum magnâ Treuirorum manu insederat, cum nobilissimis BELGARVM cepit. Posteroque die coloniam Treuirorum ingressus, ægrè militem eruendæ ciuitatis auidum continuit. Dein legionibus quæ turpiter ad Gallos Batauosque defecerant receptis, inopino à Ciuili Classicoque ibidem impetitus, parum abfuit quin vinceretur, perruptis legionum castris. Sed reddito suis animo generosè vicit; secutusque fortunam eodem die castra hostium excidit. Mox Agrippinenses auxilium orantes (cohortem enim Ciuilis flagrantissimam epulis vinoque sepultam igne cremauerant) adijt, recepitque. Eodem tempore Fabius Priscus quartamdecimam legionem è Britannia trahens, in NERVIOS TVNGROSQVE duxit, easque ciuitates in deditionem accepit. Inde Cerealis auctis viribus Ciuilem ad Vetera castra assecutus, pugnâ cum eo primùm ancipiti, mox prosperâ decertauit, ac in Bataulam fugere compulit. Transiere cum Ciuili Rhenum Tutor quoque & Classicus, & centum tredecim TREVIRORVM SENATORES. Paulò post Germaniæ nostræ inferiori pax reddita. Quam diutius stetisse arguunt missæ sub Domitiano ad Agricolam in Britannias Batauorum Tungrorumque cohortes, Romanis eo in bello fidissimæ. *Tacit. lib. 4. hist.*

21 Hæc ex Tacito etsi breuiata, enucleatius tamen explicui; tum quia antiquum Belgij statum exhibent, & gratæ varietatis habent plurimum; tum vt lectori fundamentum examinandum relinquerem opinionis eius, quæ nobis per hæc tempora Tungrorum Reges, Lotharingiæ Duces, Louanij Namucique Comites ingerit: cùm omnia hæc loca Romanorum Imperio tenerentur, istis adhuc nominibus & titulis incognita. Et qui in ijs eminebant, PRIMORES tantum &

# CAPVT III.

## *De Episcopis qui Diuum Maternum in Sede Treuirensi, Tungrensiúe, ad Diuum vsque Seruatium, sequuti sunt.*

24 AB excessu S. Materni sedem Treuirorum, ex eorum annalibus, conscendisse traditur *Auspicius*; aliique per ordinem quatuordecim, *Celsus*( aliis *Serenus*) *Fœlix, Mansuetus, Clemens, Moyses, Martinus, Anastasius, Andreas, Rusticus, Auctor, Mauritius, aliàs Fabricius, Fortunatus, Baßianus, & Marcus*. Hi eodem ordine censiti apud Treuiros sacrarum rerum Antistites, martyrio omnes intra 50. annos absumpti referuntur, penè continuatis Imperatorum persequutionibus: quamuis *Auspicium Materni* successorem Romanæ Diuorum tabulæ Confessorem dumtaxat appellent. Sed nihil prohibet, quin & ipse multa pro Christi nomine ab infidelibus passus, ad confessionis constantiam martyrii quoque palmam addiderit.

*Successores B. Materni Treuiris.*

25 Agrippinenses autem à D. Materno, ad alterum, eiusdem nominis sub Constantino, nullum proprium agnoscunt Episcopum: seu præualente inibi idololatriæ superstitione; seu potiùs Treuirorum, Tungrorumùe Pontificibus eius quoq; Ecclesiæ habenas moderantibus.

*Colonia.*

26 Tungrorum vero Episcopos post *Maternum*, hos recenset Harigerus: *Nauitum, Marcellum, Metropolum, Seuerinum, Florentium, Martinum, Maximinum, Valentinum*. Qui omnes eodem etiam ordine Treuirorum censentur Pontifices, ac immeditate quindecim illis subnectuntur, quos martyrio intra 50. annos sublatos paulò ante notauimus. Hinc magna me incessit suspicio, tribus hisce ciuitatibus nullam aliam rerum sacrarum fuisse conditionem ad tempora vsque Constantini; quam quæ à Materno, aut sociis instituta fuit. Nam Maternum certe tribus hisce locis, quasi tribus Episcopatibus, præfuisse, nemo, opinor, asseruerit; sed vni tùm quidem, postea in tres partito. Quis autem credat exili adhuc Christianorum numero, Ecclesias hasce diuulsas, eodem augescente iterum in vnam coaluisse? Imo parochias à Dionysio Papa circa annum Christi 270. distinctas passim existimant. Et cur Tungris potius Antistes proprius obtigisset, quam eorum Metropoli Agrippinæ? Planè à vero propius abesse videtur, qui Treuiris per 270. circiter annos præfuere Pontifices, Agrippinensibus quoque ac Tungris eodem iure præfuisse: nec ante Constantini imperium harum Ecclesiarum diuulsionem institutam, cum iam ingens fidelium esset ad fidem accessio.

*Tungris. Cap. 17.*

*Non videntur hi Episcopatus diuisi ante tempora Constantini.*

Nec diffidet Harigerus, etfi nullum, *Maternum* inter & *Nauitum*, inferat Antiftitem. Ait enim ecce ingenuè: *Et hi quorum Imperatorum, vel Confulum claruerint tempore; vel quos vita fingulorum habuerit exitus; quotq́, annis adminiftrauerint finguli officium Pontificatus; vel quis illorum fepulturæ fit locus; nullius à nobis requiras exactio: cùm ecclefiarum totius Galliæ memoriam aboleuerit facta per Hunnos euerfio.* Ita cautè & fapienter Harigerus; qui tamen fe fingulorum Leodienfis fedis Pontificum tempora & gefta, quæ vndecumque potuere corradi, collegiffe profitetur: & quidem inftigante Notkero, præftantiffimo huius ciuitatis Epifcopo ac pene fundatore; qui ad eam quam femel infederat cathedram illuftrandam, nihil non protulit de thefauro mentis fuæ ditiffimæ. Si ergo, etiam Harigeri confeffione, nulla de Epifcopis his exftat memoria, quid prohibet ad probabiles coniecturas, fufpicionefque recurrere? 27

*Cap. 1.*

*Vbi fepulti fint primi Tungrorum Epifcopi.* *Sup. pag 23.c. Ibidem & pa. 43.c.*

Eadem totidem penè verbis notauit, qui Harigerum ducentis circiter & 50. annis poftmodum auxit & interpolauit Ægidius. Diffentit tamen in horum Pontificum affignandâ fepulturâ, quam Ecclefiæ S. Mariæ Tungris attribuit. Sed vnde hic fepulturæ locus, minus Epifcopo Notkero, Abbatiúe Harigero, ea dignitate, ætate, & fcientiâ viris, quam Ægidio monacho, tanto ferius oboluerit? Scio cui magis affentiri velim, cum quo fecurius dubitare. Harigero certè per omnia adftipulantur planiffimè Treuirorum Annales. Et fi quis coniecturæ locus effet, longè potior Treuirenfium cōditio foret. Quotquot enim Sanctorum Natales fuis diebus adfcripferunt, Beda, Ado, Vfuardus, Molanus, ac Romanæ potiffimum martyrologij tabulæ, dum Natales eorum memorant, ad Treuiros referunt, ac Treuirorū appellant Epifcopos. Non quod æquè Tungrenfibus noftris non præfuerint, fed quod Treuiris, vrbe Galliarum excellentiffimâ, refederint, ibidemque corpore exuti forte fepulti fint. Vnde etiam nullam videmus eorum in Tungrenfis Ecclefiç officijs memoriam; cùm in Treuirorum officio Natales eorum celebrentur, & nocturnum habeant, auctore Molano. 28

*Apud Molanum 14. fept.*

*Genus & tempus horū Epifcoporū incerta*

De genere, annis, & tempore eorum, idem ingeuuè cum Treuirenfibus & Harigero fatetur Ægidius: nihil certi proferri poffe. Hinc crebra me fubijt admiratio, quâ fronte Scriptores recentiores fingulorum horumce Præfulum ftirpem edifferere, initia & exitus, certis Chrifti annis adfigere adorfi fint. Aiunt enim *Nauitum* Ducis Galliarum filiū, & Tungrenfis Regis ex fratre nepotem, 51. fui Pontificatus apud Tungros anno, ad Treuirenfis Ecclefiæ gubernacula admotum, ac decimo inde anno vitâ functum: *Marcellum* huic per viginti nouem annos fuffectum: Inde *Metropolum* Ducis Lotharingiæ ex filia Regis Hungariæ prolem, per 19. Mox *Seuerinum* Comitis Louanienfis filium per quindecim. Præfuiffe inde *Florentium* ex monacho Anachoretâ, annos 13. tùm *Martinum* patre Namuci Comite genitum, 11. *Maximinum* Maximino itidem parente pagano, ex 29

Helena

Helenâ christianâ ortum, 13. Denique *Valentinum* incognitæ originis, 18. Hæc illi; ita iam vulgo recepta, vt si quis taceat, nihil videlicet de Tungrorum antiquitate peruiderit. Vt Scriptoris ingenui non est priorum errata vel figmenta triumphare velle: ita negligentis est quidquid scriptum reperit, iudicio nusquam adhibito peruulgare. Quæro hic itaque iure tum meo, tum Lectorum: vndenam recentiores aliquot, res tam longo temporum interuallo disiunctas, certius peruidere potuerint, quã aut Treuirorũ Annales, aut primi ac diligẽtissimi Historiarũ nostratiũ patres Harigerus & Notkerus; quam ipse etiam Ægidius, qui omnia diligentissime scrutatus est? an quod inciderint in vetera quædam monimenta, primis illis scriptoribus inuisa? vtinam ita sit! Sed fidem tamen suam liberare tenentur, nominandis ijs, è quibus hauserunt, fontibus. Alioquin si simulac narrationes illas texuerint, Lectoris fidem, quasi suo iure postulant; sanè parum pudentes sunt: & pati debent se eâdem auctoritate reijci, quâ res origine incertas, parumque cum certis Romanorum historijs cohærentes (vt supra vidimus) lectoribus exponunt.

30 Incidi in codicem quendã veterem, & anno Christi circiter 1378. scriptum, cuiusdam *Ioannis Presbyteri VVarnantij*, qui se Harigerum, Anselmum, & Ægidium interpolasse fatetur, ijsque tùm domestica tùm externa multa infulsisse. Is in Valentino nono Tungrorum Pontifice ita scribit: Scire se, Harigerum octo priorum Episcoporum, S. Materni successorum, non signasse annos; quòd eorum gesta omnium Hunnorum persequutionibus interierint. Se tamen *Ioannem* aliter sentire, credereque Tungris tranquillam semper pacem regnasse, dum aliæ Galliarum ecclesiæ persequutionum procellis quaterentur: quin potius Religionem adeo floruisse, vt inibi insurrexerint 72. cõgregationes, prout credimus (inquit) Religionũ; & ordinũ, seu Ecclesiarum. Vnde nec verum esse, quod omnia priorum Episcoporum gesta perierint. Imo se in veteres quosdam annales incidisse, qui à condito orbe ad Fredericum vsque 2. Imperatorem, rerum seriem deducerent, atque inter alia prædictorum Pontificum nostrorum annos ac tempora notarent; quæ ipse fœliciter in sua scripta transfuderit. Hæc ibi, eo ferè sensu: neque enim verba ipsa, æquè parum cum elegantiâ quàm cum veritate comparata retuli.

*Vnde sumpta sint, quæ vulgo de primis Tũgrorum episcopis dicuntur.*
*Pag. 75. illius voluminis.*

31 Puto hanc esse veram ac primam eorum, quæ certiora esse vellemus, originem. Imperauit Fredericus iste secundus (ad quem hi annales deducti sunt) ab anno Christi 1210. ad 1245. vixit etiam ad 1250. iuxta doctissimum Onuphrium. Ergo conditor istorum Annalium eodem tempore scripserit, chronologiamque priorum Episcoporũ nostratium, vt & forte genus & stirpem primus omnium texuerit. En antiquitatem. Vixit & scripsit eâdem ipsa ætate Ægidius; qui cum gesta Leodiensium Antistitum auidissime diligentissimeque corraderet, hos annales vel non vidit, vel contempsit. Et sane omnino

perijssent

perijssent si Ioannes hic Warnantius, centum totis annis Ægidio nostro recentior, eos in opus suum non intrusisset. Quam simplicius temporum obscuritatem ingenuè cum Harigero fateri, eiusque causam in verissimas Barbarorum inundationes transferre! quod & Galliarum cæteris accidit Ecclesijs, adeoque principi etiam ipsi Romanæ: quæ omnes, in primis suis Pontificibus lucem se maiorem requirere fatentur. Illud tantum probabile teneamus, ab excessu D. Materni, ad Imperium Constantini iam Christiani, per annos prope 190. præfatos Antistites æque Tungris ac Treuiris pontificio iure præfedisse.

*STATVS BELGICAE SVB DIVERSIS IMPER. ANTE CONSTANTIN.*

Quo tempore, quid circa has nostras partes à Romanis gestum sit, breuiter, vt cœpi, ex eorum historijs enarrabo. 31

Anno Christi Dionysiano 193. *Pertinax* Imperator seditione militum suorum occisus est. *Tausius quidam vnus è* TVNGRIS (ait Iulius Capitolinus) *quum in iram & timorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis obiecit. Tunc ille precatus Iouem vltorem, togâ caput operuit, atque à cæteris confossus est.*

*Sub Marco & Commodo.*

Illi eodem anno sub finem Martij per dies 66. successit Didius Iulianus. de quo antequam iniret imperium, ita Spartianus: *Post præturam legioni præfuit in Germaniâ vicesima secunda Primigenia. Inde* BELGICAM *sanctè ac diu rexit. Ibi Cauchis Germaniæ populis, qui Albim fluuium accolebant, erumpentibus restitit, tumultuarijs auxilijs prouincialium. ob quæ consulatum meruit, testimonio Imperatoris. Cattos etiam debellauit. Post* GERMANIAM INFERIOREM *rexit.*

*Sub Gallieno.*

*Vide Zosimum lib. 1. Trebell. in Gallieno, & 30. tyr. Vict. Eutrop. Oros. l. 7. c. 22.*

Sub *Gallieno* & proximis Imperatoribus, magna omnino & multa in nostris hisce partibus contigisse certum est, sed scriptorum breuitate perobscura. Nam Francicæ, seu Germanicæ Gentes, velut Dei nutu solutæ, laxatis habenis, in Gallias inuectæ sunt. Huc pertinet suscepta à *Gallieno* expeditio, quâ aduersus hunc impetum Rheni ripas custodire conatus est. Huc Postumius transrhenani limitis Dux, Galliarumque Præses; qui Agrippinam obsedisse, ac *Salonino Gallieni* filio inibi cæso, Galliarum Imperium per septem insequentes annos tenuisse memoratur, easque à circumfluentibus Barbaris validissimè vindicasse. Nam *Victorinos* tyrannos itidem ad Agrippinã cæsos, vt & *Marium* è ferrario Imperatorem triduo velut ad scenam effictum; ac denique *Tetricum*, etsi paulo diutius imperio vsum, ab *Aureliano* postea captum, ac triumphatum vix operæ pretium est nominare. Grauior illa fuit Alemannorum duce *Chroco* in Gallias inundatio; quâ Metensis ciuitas pessundata, Treuirensis obsessa, tota deniq; Gallia miserè vastata est: Donec *Probus* Imperator sexaginta per Gallias receptis nobilissimis Ciuitatibus, ac cæsis Barbarorum prope quadringentis milibus, reliquias longe à Romanorum finibus amoueret: ac demũ *Proculo Bonosoq;*, qui apud Agrippinam tyrannidem inuaserant, superatis, ac ad necem adactis, Gallias liberas Imperio restitueret. 32

*Greg. Turon. l. 1. ca. 32. Aimoin l. 3, c. 1 Vopiscus in Probo, Proculo & Bonoso.*

Non

34 Non omittendum verò lepidum illud (quando ad rem maximè facit) à Vopisco notatum vaticinæ Druidis oraculum, Diocletiano dictum, Imperatori postmodum in Christianos acerbissimo; *Claudio* adhuc imperante, & *Tetrico* in Gallijs tyranno, circa annum Christi 269. *Quum,* inquit, *Diocletianus apud* TVNGROS *in Gallia, quadam in Caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans; & cum Druide quadam muliere rationem conuictûs sui quotidiani faceret; at illa diceret, Diocletiane nimium auarus, nimium parcus es; ioco non serio Diocletianus respondisse fertur: Tunc ero largus cum Imperator fuero. Post quod verbum Druias dixisse fertur: Diocletiane iocari noli; nam Imperator eris cum Aprum occideris. Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperij cupiditatem, idq; Maximiano conscio atque auo meo, quibus hoc dictum à Druide ipse retulerat. Denique vt erat altus, risit, & tacuit. Apros tamen in venationibus, vbi fuit facultas, manu sua semper occidit. Denique cum Aurelianus imperium accepisset, quum Probus, quum Tacitus, quùm ipse Carus; Diocletianus dixit: ego semper apros occido, sed alter semper vtitur pulpamento. Iam illud notum est atque vulgatum, quòd cum occidisset Aprum præfectum prætorij, dixisse fertur: Tandem Aprum fatalem occidi. Ipsum Diocletianum auus meus dixisse dicebat nullam aliam fuisse sibi causam occidendi manu suâ Aprum, nisi vt impleret Druidis dictum, & suum firmaret imperium.* Hanc historiam cum refert Hubertus Thomæ in suo de Tungris commentario, euincere se putat, Tungros Diocletiani æuo nondum fuisse Christianos. Ridicule. Sic enim neque Romæ aut alibi terrarum Christiani fuissent, vbi tum passim Flamines, & publici superstitionum Sacerdotes adhuc vigebant. *Sub Claudio. In Numeriano*

35 Imperium porro capessiuit Diocletianus anno Christi 284. & post biennium, eius Collega Maximianus. Qui contra Bagaudarum factionem in Gallias aduenıens breui omnia tranquillauit. Tum Carausius quidam, Menapiæ ciuis, ob nauatam in eo bello fidelem operam, apud BONONIAM per tractum BELGICÆ & Aremoricæ pacandum mare accepit, quod Franci tùm & Saxones, illud accolentes, infestabant. Cumque etiam ipse pyraticam exerceret, ac Britanniam hausto imperio capessiuisset, Maximianus eum ipso rebellionis initio oppressurus, exercitum secundo Rheno in Oceanum demisit. Quo tempore apud Agaunum primò Mauricium & socios eius è Thebæa legione non paucos, alios apud Veronam seu Bonnam, tùm Gereonem cum trecentis octodecim alijs ad Coloniam; deniq; Victorem cum trecentis triginta *ad Xanthū in Cliuiâ,* quod Christum abnegare nollent, interimi iussit. Diutius inde eum hæsisse in Belgicâ contra Francos & Alemannos Galliæ semper inhiantes, testantur qui ei dicti sunt Panegyrici. Ex quibus Francos tum in hosce Belgij nostri tractus ab eo receptos satis apparet, cùm dicitur: *Tuo, Maximiane Auguste, nutu* NERVIORVM *ac* TREVIRORVM *arua iacentia latus postliminio restitutus & receptus in leges Francus excoluit.* *Sub Diocletiano & Maximiano. Eutrop. Victo. Oros. Acta Mart. & Baron. to. 2*

Nnn Maxi-

*Sub Constantio patre Constantini Magni.*

Maximiano Galliæ administratione abeunti, successit Cæsar Constantius. Hic circa annum Domini 295. Alectum, nouum, Carausio cæso, Britanniæ tyrannum, BONONIA, quam oppugnabat, repulit. Mox etiam Batauiam à Francis occupatam recuperauit. Classem in mediterraneis Belgicæ vrbibus ad fluuios sitis ædificatam, in mare ad Gessoriacum litus deduxit, in Britanniam immisit, insulamque vnico prælio Romanis restituit, circa annum Christi 297. ac deducto cultore quidquid infrequens AMBIANO, Bellouaco, Tricassino, Lingonicoque solo restabat, instaurauit. *Panegyrici.* 36

*Sub persecutione Diocletiani.*

*Vide Molanũ.*

*Martyr. 6. Oct.*

Edicta paulò post, anno Christi 302. atrox in Christianos per totũ orbem à Diocletiano persequutio, etiam Belgicam nostram miserè lancinauit. Fuscianus & Victoricus apud Ambianũ; Piatus & Chrysolius apud Tornacum martyrio affecti. Et licet Galliæ sanguine Martyrum exundarint, constat tamen Treuiris potissimum huius certaminis campum constitutum fuisse, vbi Præses Galliarũ Rictiouarus, vt plurimum degere consueuerat. Quorum numerum Ecclesia cùm inire non posset, eos vnica commemoratione coniunxit in hæc verba: *Treuiris commemoratio innumerabilium penè Martyrum, qui in persequutione Diocletiani, sub Rictiouaro Præside, ob Christi fidem vario mortis genere necati sunt.* Hac tam immani toto orbe procella sæuiente; quis credat Tungrensem agrum Treuirẽsi conterminum, turbinis huius expertem esse potuisse? Sed tot purpureas generosorum pugilum adoreas, subsecutæ paulò post, totiesque repetitæ Barbarorum vastitates, & tempus edax rerum nobis inuiderunt. In his tamen Valentinum Treuirorum per ea tempora Tungrorumque Pontificem, procliue est accensere. 37

*Sub Constãtino Magno.*

Constantinus inde imperare occœpit, anno 306. quem primordia regni in Britannia & Belgica egisse satis affirmant Panegyrici, Eutropius, aliique. Francos Germanosque nunquam non Galliam incurrentes repulit; captosque eorum Reges diris ad prodendum exemplum cruciatibus interemit. Maximianum Imperatorem ad se ex Italia profugum Treuiris humanissimè excepit, Faustamq; eius filiam in coniugium accepit. Sed eum deinde sibi insidiantem Massiliæ cepit, strangulauitq;. Demum anno Christi supra trecentesimũ duodecimo, bellum contra Maxentium tyrannum iniuit, ac signo crucis innixus superauit; Italiaque iugo tyrannorum exemptâ, lætã Imperio, Ecclesiæque faciem tandem aliquando restituit. Quo tempore exactior diœceseon sacrarum, vt & prophanarũ, instituta partitio: ac probabiliter tum primùm Tungrensis ciuitas peculiarem obtinuit Episcopum S. Seruatiũ, vt & Colonia Maternum secundũ. 38

*Chronologia*

## CAPVT IIII.

### *Chronologia sancti Seruatij.*

VAlentinum in sede Tungrensi excepit Seruatius. De cuius ori- *Vita S. Seruatij valde intricata.*
39 gine quod dicam, non amplius habeo, quam Harigerus. Quā-
do autem cœperit, quando desierit, adhuc sub iudice lis est.
Tacet Harigerus. Ægidius etiam implicat. Narrat ecce Seruatium *Pag. 32. C.*
ab obuijs Galliarum primoribus rogatum, vti Romam, ad amoliendos à Gallia Hunnos ope Principis Apostolorum, proficisceretur. Sed illum, cùm minime tutum existimaret Coloniensem Archiepiscopum Euphratem nefanda hæresi infectum post se relinquere, curâsse, prius ipsum conuocato Concilio Pontificiâ dignitate dimoueri. Concilium istud Agrippinæ habitum anno Christi 346. Indictione 4. *Pag. 33. A.* Seruatium paulò post profectum, Auctorem Metensem Episcopum *Pag. 38. A.* in itinere visitâsse. Peracta legatione cùm rediret, latè vagantes *Pag. 40. A.* Hunnorum incidisse in phalanges: diuinitus ereptum, & Tungros *Pag. 43. AC.* regressum, *festinanter dum in cardine res vacillat*, Traiectum ad Mosam *Pag. 45. C.D.* demigrâsse, ibidemque paulò post morte solutum. Quibus quot sententiæ, tot penè nodi plusquam Gordij contexuntur.

40 Primò, si Seruatius paulò post Synodum Agrippinensem, Romam concessit, nec inde redijt nisi paulo ante mortem, quam circa annum Christi 388. contigisse putat Ægidius; *Pag. 46. A.* ergo in ea Legatione totos annos quadraginta immoratus fuerit: tot enim & plures ab anno celebrati concilij 346. ad 388. supputantur. Quo quid insulsius?

Secundo. Seruatius in itu redituque Auctorem Metis Episcopum conuenit; quem Sigebertus anno domini 453. ab Hunnis captum laxatumque memorat. Igitur Auctor Metensibus pontifex præfuerit, supra 106. annos. Tot enim intercurrunt ab anno illo celebratæ Synodi 346. ad 453. Quod quis credat?

Tertio. Ægidius, cum in reditu Seruatij, eiusdemque Traiectum *Pag. 43. C.* demigratione, tam imminentem Hunnorum innuisset irruptionem, subito velut sui oblitus capite 29. cladem illam non nisi euolutis 70. annis ab eius excessu inuectam memorat. Quid erat opus viro sanctissimo, ac futura certissimè peruidenti tantâ festinatione, si post 70 primùm annos inferenda erat illa vastatio? Et vnde ergo Hunnorū illæ phalanges, in quas Seruatius Româ rediens hic incidisse perhibetur?

Has fortè, similesque difficultates, cùm Placentius alijque vidissent; in eam præcipites iuere sententiam, non minùs centum & 76. annos sedi Tungrensi præfuisse Seruatium; vixisse, trecentos septuaginta tres.

*Baronij opinio de Concilio Agrippinensi, & legatione sancti Seruatij.*
*Tomo 3. anno Christi 346.*

Magnæ omninò salebræ. quibus implicita quo se vertat vix habet oratio. Imprimis, quod ad tempus habitæ Synodi Coloniensis attinet, doctissimum Baronium audire libet; *Perlegentes* (inquit) *nos eius Synodi acta, & quæ ipsam præcessisse atque subsequuta esse dicuntur; eadem omnia impostura suspicione vehementer laborare cognouimus. Qui enim hoc ipso anno omnium calculo turpiter è sede deiectus est Euphrates; ille ipse proximè sequenti* (347.) *reperitur ex Synodo Sardicensi vna cum Vincentio Episcopo Capuano honorificentissimâ legatione functus ad Constantium Imperatorem Antiochia commorantem. vt affirmant Athanasius, Theodoretus, & alij passim. Quis credat hominem adeo infami notâ inustum, quantumlibet palinodiam recantasset, tam breui temporis spatio in pristinam sedem restitutū, & inter tot eximios sanctitate ac doctrinâ Galliarum Episcopos, qui Sardicensi Synodo interfuerunt, esse delectum, quem præsertim grauior quam Arrij hæresis infamasset?* Refutat inde Trithemium, qui Synodum hanc eandem in annum Christi 375. reijcit; ex Episcoporum subsignatione; quorum scilicet maior pars cùm in Sardicensi Concilio reperiantur, vitam ad annum illum Christi 375. producere non potuerint. Denique hanc Seruatij nostri legationem ad limina Apostolorum, quam Appēdix ad Synodum addita, vult statim à peracta Synodo obitam, longe post hæc tempora reijcit; cùm Exuperium, qui ibidem nominatur, Tolosanum Episcopum vixisse constet Theodosio & filijs imperantibus. Ita Baronius. cui nos in multis suffragabamur, antequam difficultatem hanc cum ipso contulissemus. 41

*Tom. 1. Conciliorū Colonia.*

*Quomodo leniri possint hæ difficultates.*
*Tom. 1. Conc.*

Ceterum quid mihi preterea probabiliter addendum videatur, exponam. Perlubens imprimis crederem Agrippinense hoc Concilium, post Sardicense celebratum; mendumque verisimiliter in tempus illius irrepsisse. Et pro eo quod legitur, *Post Consulatum Amantij & Albini, quarto Idus Maijas*; ita distinguendum: *Post Consulatum Amantij & Albini quarto; Idibus Maijs.* Quod cùm anno Christi 349. concurreret, biēnio post Synodū Sardicensem. aptissime. Nimirū potuerit Euphrates, quo tēpore legationis munus obibat, crebra cum Orientalibus Episcopis cōmunicatione, peruersis opinionibus imbui; quas cùm in sedem regressus vulgaret, Seruatium & vicinos Episcopos ad Synodi celebratiōem adegerit, in quâ ignominiose depositus fuerit. Quæ autem addūtur de legatione Romana Seruatij, & alia huiusmodi, glossemata sunt indoctorum hominum, multiplices Seruatij nostri in Italiam profectiones confundentium. Anno enim proximo 350. Legatus cum Maximino Treuirensi Pontifice, à Magnentio Galliarum tyranno ad Constantium Alexādriam missus est, vt infra videbimus. Quo in itinere cum Romam forte tenuisset, existimârunt simpliciores, eam esse illius tam celebrem contra Hunnos ad limina Apostolorum peregrinationem. quam tamen ante annum Christi 382. cōtingere non potuisse, mox ostendemus. Quæ denique adduntur reliquæ temporis notæ, ab Ægidio manare videntur: absunt enim à tomis Conciliorum. 42

*Pag. 33. A.*

Hinc

Hinc vanescit paulatim, quæ secundo loco mouetur difficultas, de *Solutio secũda difficultatis.*
43 ætate Auctoris. Nam cùm opinemur Seruatium Auctorem Metis nõ cõuenisse, nisi anno 382. postremo scilicet Romano itinere; non vsq; adeò prodigiosum videretur, si Põtificatus Auctoris 71. annos numeraremus, quot scilicet inter eum annum 382. & 453. quo captus à Sigeberto memoratur, interfluunt. Sed profectò halucinationem hic Harigeri & Ægidij dissimulare nolo. Catalogus Episcoporũ Metensium nullũ Auctoris nomine censet Episcopũ; sed bene duos Victores alterũ alteri succedentem. Quorum primũ Agrippinẽsi huic Synodo, saltem per Legatũ interfuisse, ipse Synodi textus fidem facit; ad quem & Seruatius in illo postremo suo Romano itu reditúq; diuerterit; & quem Harigerus Auctorem appellat vitiose. Sicut etiã Ægidius Amandum Wormaciensiũ appellat Antistitẽ, quem Cõcilij Coloniensis textus Argentoratensibus assignat. Alterũ ego quidẽ eundẽ facio, cum eo etiã corrupto apud Sigebertum Auctore; nisi è contra catalogus Victorem corrupte pro Auctore legat. Qua in re, etsi adhuc fatendũ sit; vtrũq; non minus 50. annis Episcopatum tenuisse; nihil inde tamen tantopere sequitur incõmodi. Nisi forte Auctor ille Sigeberti, etiam Victoris secundi successor est. Interim noto, Attilæ irruptionẽ, quâ Auctor captus solutusq; refertur, male cũ anno Christi 453. à Sigeberto cõparari, cũ eam assignent anno 451. Baronius, Scaliger, alijque passim eruditiores Chronographi. Quo biennij Metachronismo Sigeberti chronicõ in priorib⁹ ãnis peccare, alibi notaui.

*Apud Democharem de diuino Missæ sac. cap. 33.*
*Sup. pag. 33. B.*
*Pag. 38. A. B.*
*Pag. 41. A.*
*Pag. 33. B.*
*Tom. 6. Ann.*
*L. 6. de emẽd. temp. Pa. 575.*

44 Neque quod tertio loco profertur argumẽtum, maioris ponderis est: cur scilicet Tũgris tam properanter impellente Dei spiritu demigrauerit Seruatius; si quod timebat suæ ciuitatis excidium, 70. totis annis ab eius morte seiũctum fuisset? Hoc enim glossema vnius Ægidij est. Meminit quidem Harigerus, & ante eum Gregorius Turonensis, similis properantiæ; sed eius causam non tam in imminens Tungrorũ excidiũ, quam in instãtem Seruatij mortem referunt; hãc enim vt præueniret, laborabat ex Principis Apostolorũ monitu, volens corpus suum procul ab ciuitate, flammis quantumuis sero absumendâ, sepeliri. Et hoc quidem totam difficultatem exhaurit. Nihilominus ego Tungrensium casum ad Attilæ tempora non distulero. quin potius statim à Seruatij excessu cœpisse, sequenti capite demonstrabo.

*Solutio tertiæ difficultatis.*
*Lib. 2. hist. c. 5.*

45 Nunc euolutis his difficultatũ nexibus, fluat D. Seruatij chronologia liquidior. Primũ, vt nõ diffitear nihil me cõperti de Seruatij initio habere: nihil tamen obfuerit, ad vero similes ex historia ecclesiastica cõiecturas recurrere. In Concilio Arelatensi primo, quod anno Christi 314. habitum bene probat Baronius, subscripsisse reperiuntur inter alios *Agricius Treuirensis*, & *Maternus secundus Agrippinensis* Episcopi. Ex hoc ita colligo: Si Treuirensis Agrippinensisque Diœceses hactenus coniunctæ, proprium eo Concilio habuerint Episcopum; non inepte conijciemus & suum Tungrensi circa eadem

*Quando cœperit S. Seruatius*
*Tom. 3. Ann.*

 tempora

tempora assignatum. Qui cum nullus præter Seruatium appareat, plane hunc circa hosce annos occœpisse putandum est. Vnde non male Placentius aliique eius exordium ad annum Christi 315. aut 316 referunt. Rursum cum vitam produxisse reperiatur ad annum vsque 383. (circa quem vigebat Exuperius pontifex Tolosanus) 60. inter & 70. annos Tungris Episcopus præsederit. Quod sanè longum interuallum vulgatæ opinioni causam facile dederit, vt 373. annos vixisse creditus sit. More rudibus familiari, qui res sui insolentiâ nouitateque mirabiles, longe supra verum extollunt; quæ deinde ad posteros falsâ veritatis opinione manâtes, fidem apud multos obtinent; ac in Annales etiam tanquam antiquitatis auctoritate subnixæ transfunduntur.

*Athanasius Treuiris exul à sancto Maximino, & sācto Seruatio sustentatur. Hieron. in chron. & ex eo Baron. Cap. 7. vitæ gallicæ.*

Anno Christi 336. Athanasius Patriarcha Alexandrinus Arrianorum calumnijs in exilium pulsus, Treuiros aduenit. Vbi à Maximino eius ciuitatis Episcopo, & populo Christiano vt Confessor & de impietate triumphans exceptus, biennium & 4. menses substitit; etiam à Seruatio nostro omni officiorum genere recreatus; vt ex antiquis monumentis collegit P. Hallenius e Societate nostrâ. 46

*Concilium Sardicense cui interfuit 34. Galliarum Episcopi.*

Decennio inde euoluto, anno 348. Concilio generali Sardicensi interfuit & subscripsit, cum Maximino Treuirorum, Euphrate Coloniensium, Dioscolo Remorum, Eulogio Ambianensium, Victorino Parisiorum, Superiore Neruiorum, Victore Mediomatricorum aut Vangionum, multisque alijs Galliæ Episcopis; è quâ solâ Athanasius (qui & præsens fuit) 34. fuisse memorat. 47

*Tomo 1. Cōcil. Epist. ad solitar. & apol. 2. Concilium Agrippinense.*

Biennio pòst, anno (vt credimus) 349. Concilij Agrippinensis celerandi auctor fuit, contra Euphratem, hæresis suæ venena iam spargentem. In quo ille omnium omnino Patrum calculo pontificia dignitate deturbatus est. Quod autem Seruatius, prolatâ eo Concilio sententia refert, crebro se cum Euphrate, Athanasio Alexandriæ Episcopo præsente, & audiente contendisse; non existimo ad ea tēpora reuocandum, quibus Athanasius Treuiris exul substitit: necdum enim Euphratem arbitror tunc in hæresin lapsum fuisse: sed potius ad ea, quibus post Concilium Sardicense Euphrates ipse & Seruatius, Athanasiusque aliquando conuenerint; etsi de loco nihil certi habeā. Nisi quis dicat Euphratem diu ante de hæresi dubium quidem timidè priuatimq; mouisse; sed magnificâ demum Synodi Sardicensis legatione inflatum, hæresin fidenter euulgasse ac sparsisse. Quod nec à vero longe abesse videri possit. 48

*Legatio Alexandrina sancti Seruatij ad Constantium Imp. pro Magnentio tyranno Baron. ex Athanas. apolog. ad Constantiū.*

Anno inde proximo, Christi 350. mense Martio, Magnentius tyrannus cæso Imperatore Constante, rerum habenas in Gallijs inuasit. Cumque sibi à Constantio Orientis Augusto, Constantis cæsi fratre metueret, pacemque imperio suo stabiliendo proficuam æstimaret; binos è Gallijs maximi nominis Episcopos ad id munus delegit, Seruatium Tungrensis, & Maximinum Treuirensis ciuitatis Antistites; quibus & additi sunt Comites duo, Clemens & Valens. 49

Appu-

Appulerunt hi Alexandriam, Italiâ prius & vrbe haud dubiè transmissâ; ac ab Athanasio non ita pridem in sedem restituto, magnâ significatione charitatis excepti, vtpote illi in Gallijs ac Sardicensi Concilio probè cogniti; beneque de eo meriti. Hinc conflata illi noua calumnia, quasi per hos ad Magnentium contra Constantium scripsisset. De quo se purgat Apologiâ ad Constantium.

*STATVS BELGICAE SVB IVLIANO IN GALLIIS CAESARE.*

*Ex Ammiano.*

50 Sed & nonnullam Seruatio nostro rem cum Iuliano, Apostata postea nominato, fuisse, ex sequentibus colligere est. Is enim Arbetione & Lolliano Coss. anno Chrsti 355. ab eodem Constantio Imperatore, victo iam Magnentio, Cæsar renuntiatus, in Gallias missus est assiduâ Barborum irruptione per bella præsertim ciuilia fatiscentes; circa annum pontificatus Seruatij 40. Venerat quippe grauis nuncius, Agrippinam ampli nominis vrbem in secunda Germania, pertinaci Barbarorum obsidione reseratam, magnisque viribus deletam. Iulianus ergo cum Viennæ hiemasset, insequenti anno 356. Augustodunum, Antisiodorum, Tricassas, ac Remos aduenit; inde fusis circa Nemetas Maguntiacumque hostibus, ad recipiendam ire instituit Agrippinam ante suum in Gallias aduentum excisam; per quos tractus nec ciuitas vlla visebatur nec castellum, nisi quòd apud Confluentes, vbi Mosella Rheno confunditur, Rigodulum oppidum erat, & vna prope ipsam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingressus, recepta vrbe munitissima, non ante motus est exinde, quam Francorum Regibus furore mitescente perterritis, pacem reip. firmaret interim profuturam. Inde per Treuiros, hiematurus apud Senonas abcessit; vbi etiam ab hoste per 30. dies obsessus est, sed frustra. *Ammianus lib. 14. & 15.*

51 Anno proximo 367. idem Iulianus nobilem illam de Alemannis apud Argentoratum retulit victoriam. Quo eodem tempore Seuerus magister equitum Iuliani, Remos per Agrippinam & Iuliacum petens, Francorum validissimos cuneos, sexcentis velitibus vacua præsidijs loca vastantes, offendit. Hi metu iam reuersi ab Alemannica victoriâ exercitûs munimentis se duobus tuebantur. Sed Iulianus eos insecutus, Castellum oppidum, quod Mosa fluuius præterlambit (*Kessel* hodie rectè putat Ortelius, Ruremondam inter & Venlonam) obsedit; Decembri toto huius, & Ianuario insequentis anni; donec eos desperatione confectos ad deditionem adegit. Parisijs inde hiemem peregit. Vbi cum rationem leuandarum tributis immanibus Galliarum iniret; SECVNDÆ BELGICÆ multiformibus malis oppressæ dispositionem sibi vni reseruandam duxit.

*Iulianus Apostata venit Tungros; vbi verisimiliter cum S. Seruatio congressus est.*

52 Hieme transactâ petit primos omnium Francos eos, quos consuetudo Salios appellauit; ausos olim in Romano solo apud TOXIANDRIAM locum habitacula figere. Cui, cùm TVNGROS venisset, occurrit legatio prædictorum, pacem ea lege prætendens, vt quiescẽtes, tanquam in suis non lacesserentur. Itaque gentem vniuersam in deditionem accepit. Videtur ij fuisse, qui modo Kempinienses appellantur.

pellâtur. Mox munimenta tria rectâ ferie fupercilijs Mofæ fluminis impofita, pro tempore reparauit. *Ammianus lib. 15. 16. 17.*

Mirum Annnales noftros tot alioqui narrationibus, etfi malè cõfutis inflatos, celebrem hunc Iuliani Apoftatæ cum Seruatio cõgreffum tam profundo filentio inuoluere. Neque enim dubito, quin tum Seruatius Principum colloquijs ac legationibus inclytus, fermonem cum Iuliano tantâ occafione contulerit. Præfertim cùm eum videret toties Germaniam hanc Inferiorem vrgenti ita rerum ftatu repetere.

Biennio enim poft hæc, æftate fcilicet anni 359. ciuitates feptem in hac noftrâ vicinia, paulò antè à barbaris excifas recepit, reftituitq; 53
quarum hæc nomina ab Ammiano referuntur: Caftra Herculis (vulgo *Erkelens* Gelriæ oppidulum) Quadriburgum (*Quaetdraet*, inter Iuliacum & Agrippinam) Tricefimæ, Nouefium, Bonna, Autennacum, & Bingium. *Amm.*

*Concilium Ariminenfe, cuius pars magna Seruatius nofter.*

*Lib. 2. hift.*

Sed Tungris tum & Germania Inferiori abfuiffe Seruatium, docet 54
nos Ariminenfe Concilium, eodem anno contra Arrianos habitum; cuius ipfe pars magna fuit, tefte Seuero in hęc verba paululũ inflexa: *Imperator* (Conftantius) *Præfecto Tauro mandat, vt Synodum non ante laxaret, quam confcripta ab Arrianis fidei confentire fe omnes fubfcriptionibus profiterentur. Ac fi qui pertinacius obfifterent, dummodo is numerus intra quindecim effet, in exilium pellerentur. Pleriq; igitur Epifcoporum partim imbecillitate ingenij, partim tædio peregrinationis euicti, dedere fe aduerfarijs. Factaq; femel inclinatione animorũ, cateruatim in partem Arrianorũ conceffum; donec ad 20. vfque, numerus Catholicorũ imminutus eft. Sed hi quãto pauciores, tanto validiores erãt. Conftãtiffimus inter eos habebatur nofter Fagadius, & SERVATIO TVNGRORVM Epifcopus. Hos quia minis & terriculis non cefferant, Taurus præfectus precibus aggreditur, ac lachrimans obteftatur, fequerentur plurium exemplum, auctoritatem faltem ex numero fumerent. Enimuero Fagadius paratum fe exilio, atque ad omne fupplicium profiteri. Se ab Arrianis conceptam fidem non recepturũ. Ita in hoc certamine aliquot dies tracti. Vbi parum ad pacem proficiebant, paulatim & ipfe infractior ad extremum propofitâ ab Arrianis conditione euincitur, vt adderent Catholici quæ abdenda profeffioni putarent; præbituros fe in his quæ effent adiecta confenfum. Conceptæ igitur à Fagadio & SERVATIONE profeffiones edi cœpere. In quibus primum damnatur Arrius. cæterùm non etiam Patri æqualis, & fine initio, fine tempore Filius Dei pronunciatur; fed tantum fimilis non effe cæteris creaturis, ab Arriano Valente adijcitur. Quæ fraus non intellecta, fero demum animaduerfa eft. Hoc modo Conciliũ dimiffum, bono initio, fœdo exitu eft confummatum.* Hactenus ex Seuero. Præfenferat hanc deceptionem adhuc in exilio degens S. Hilarius Pictauus, Epifcopofque Gallicanos anno fuperiori præmonuerat fcripto ad eos libro illo, qui *de Synodis* infcribitur. Cuius exordium eft: *Dominis & beatiffimis Fratribus & Coëpifcopis prouinciæ Germaniæ Primæ, & GERMANIÆ SECVNDÆ, & PRIMÆ BELGICÆ, & BELGICÆ SECVNDÆ & Lugdunenfis primæ, &c.* Sed quin in illam incurrerent, vt vides, impedire non potuit.

Ex

55 Ex his quantus apud omnes in Oriẽte & Occidente Seruatius fuerit (quanquam hic vtcumque delusus) liquidò perspicitur; dum tot Concilijs, tam dissitis interest, & fluentes torrentis more Arrianorum impetus sua auctoritate remoratur. Dolendum porro hæc tam magna, tam iucunda ab omnibus pene historicis omitti, ac præ obscuris vacillantibusque de Seruatio narrationibus contemni aut ignorari. Tanta incuria animis hominum incessit, tantus amor vulgarium est. Fuit hæc secunda Seruationis in Italiam, ac forte etiam Romam profectio. Cum redijsset, fraudemque hæreticorum periculumque videret, reliquum vitæ tempus partim intima cum Deo familiaritate obtinendâ, partim muro se pro Dei domo opponendo assiduis sermonibus, traduxit integerrimè. Donec de Galliarum ac speciatim Tungrorum suorum imminente vastitate diuinitus edoctus, Romam tertiùm vltimumque repeteret. Fuit porro totum hoc temporis spatium, annorum circiter viginti triũ. Quo quid in Gallijs nostris memorabile contigerit, breuiter ex Romana colligamus historia.

*Pag 31. & 32. vnde quæ ibi narrãtur ante Concilium Agrippinense, tu post illud refer.*

*Iulianus Apostata Parisijs creatus Imperator.*

56 Anno Christi trecentesimo sexagesimo hyeme nondum exactâ Iulianus Apostata Parisijs Imperator contra Constantium acclamatur. Cuius rei dum nuntius ad Constantium properat, ipse in Germaniæ secundæ limitem egressus, OBTRICENSI Mosæ oppido (*Maestricht*) propinquauit. Rheno transmisso, regionem inopinato peruasit Francorum, quos Atthuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percursantium extima Galliarum. His negotio leui superatis, per flumen (*Rhenum*) præsidia limitis explorans & corrigens, adusque Rauracos (*nunc Basileam*) venit; ac per Besantionem Viennam hiematurus abcessit. *Ammianus libro vigesimo.*

*STATVS BELGICAE SVB VALENTINIANO PRIMO.*

57 Sequenti anno, mortuo in Oriente Constantio, Iulianus solus imperat non totum biennium. Anno siquidem 363. contra Persas ducens, impiam animam miserè expuit, imperiumque Iouiano reliquit. Quo post octo menses vitâ functo, Valentinianus Augustus appellatur: qui partitis cum Valente fratre fascibus, Orienteque illi commisso, in Occidentem Galliasque venit. Eas enim Alemanni anno Christi trecentesimo sexagesimo tertio statim post calendas Ianuarij, Rheno glacie peruio incurrebant. Carietto per vtramque Germaniam Comes cum Romanis occurrit, adscito in societatem laboris Seueriano itidem Comite inualido & longæuo; qui apud Calidona Diuitensibus (*seu Tuitiensibus è regione Coloniæ*) præsidebat & TVNGRITANIS. prælioque commisso, ipse occubuit; Seuerianus equo deturbatus: cæteri fœda fuga dilapsi. Erulorum BATAVORVMQVE vexillum à barbaris direptum. Sed paulò post Iouinus equitum magister, ad Scarponam (*vicus est etiamnum Lotharingiæ ad Mosellam*) eosdem fortunâ variante cecidit; mox etiam ad Catelaunos

omnino debellauit. indeque Pariſios ad Valentinianum hiematurus abceſſit. *Amm. l. 27.*

Anno 367. Valentinianus Imperator Gratianum filium ſuum AMBIANIS creat Auguſtum. quo eodem tempore apud ATREBATAS lana è cœlo pluuiæ mixta defluxit (ait Hieronym. in chronico) Inde cum Treuiros proficiſceretur, intellectâ Britanniæ defectione, Theodoſium Theodoſij poſtmodum Imperatoris laudatiſſimi parentem eò miſit. Qui freto ad BONONIAM vrbem maritimam tranſmiſſo cum in inſulam appuliſſet, hoc & ſequenti anno bellum fæliciſſime confecit, ac Treuiros ad Imperatoris hiberna reuertit. Eodem anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo *Gallicos tractus Franci & Saxones ijſdem confines, quo quiſque erumpere potuit terrâ vel mari, prædis acerbis, incendijſq́, & captiuorum funeribus hominum violabant.* Ammianus lib. 27. 58

Has Barbarorum in Galliam irruptiones vt penitùs ſuccideret Valentinianus, conſilium cepit *Rhenum omnem à Rhætiarum exordio adúſque fretalem Oceanum magnis molibus communiendi; caſtra extollens altius, & turres aſſiduas per oportunos locos*, quâ Galliarum extenditur longitudo; nonnunquam etiam vltra flumen ædificijs poſitis ſubradens barbaros fines. Sed ne ſic quidem inquieta prædæque auida barbaries contineri potuit. *Erupit iterum* anno Chriſti 370. *Saxonum multitudo, & Oceani difficultatibus permeatis, Romanum limitem* (Germaniam puta inferiorem) *gradu petebat intento, ſæpe noſtrorum funeribus paſta. Cuius eruptionis primæ procellam Nannenus ſuſtinuit, Comes regionibus ijſdem appoſitus.* Sed cum impar hic eſſet, Seuerus peditum Magiſter, ad opem accitus, Barbaros pactis inducijs primo ſecuros ad ſua dimiſit, mox ex inſidijs incautos aggreſſus ita exſtinxit, *vt ne vnus quidem lares genitales reuiſere poſſet.* Amm. l. 28. 59

*Hunni quando primùm Romanis auditi.*

Gemebat indubie tot barbarorum incurſionibus miſerè laniata Belgica noſtra; & cum ea omnes boni: cùm ecce grauioris alterius imminentis terror incutitur. Anno ſiquidem Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto cum iam Gratianus patre Valentiniano vitâ erepto ſolus in Occidente imperaret, HVNNORVM gens monimentis veteribus leuiter nota, tum primùm magno rumore ac metu Romanum orbem perculit, atrox Dei vindicis flagellum, toti quidem imperio paratum, ſed longe Galliæ funeſtiſſimum. Depingit eam graphicè Ammianus, quem tu conſule. Nos ex eo tantum concludimus, Seruationem noſtrum vitam vltra hæc tempora producere debuiſſe. Nam eum fine vitæ, ad peſtem hanc Gallijs amoliendam, legationem Romanam iniſſe, ex Gregorio Turonenſi alijſque optimæ notæ Scriptoribus nimis conſtat. Cum autem ea rabies à Mæoticis inde vſque profecta paludibus, non ſtatim ad Gallias gradum facere potuerit; aliquot vitæ Seruationis annos vltra primam hanc Hunnorum famam ſuperaddamus neceſſum 60

*Lib. 31. initio.*

*Lib. 2. hiſt. c. 5.*

cessum est; non vtique plures pauciores ue, quam vt Hunnorum iam vicinus furor Galliam commode concutere possit, & Seruatius eâ legatione vitaque defungi. Quod ego spatium septennio non amplius arctiusue definio.

61 Quinto igitur plus minus anno ab Hunnorum peruulgato rumore, seu anno Christi trecentesimo octuagesimo aut circiter, Seruatium opinor ego, cum patriæ miserabilem statum Deo precibus exponeret, de ineluctabili Galliarum vastatione diuinitus edoctum. Quod cum vulgasset, periculumque per se alioquin ex Hunnorum vicinia satis euidens, certius sua sanctitate reddidisset, ad liminum Apostolicorum visitationem seu sponte, seu aliorum, vt dicunt, hortatu adgressum, anno circiter Christi 382. Vere anni sequentis, 383. cum rediret, nihil mirum si late iam vagantes Hunnorum inciderit in phalanges. Iam enim quòd eodem hoc anno Maximus Romani in Britannia exercitus ductor tyrannide arrepta in Galliam per ostia Rheni transmisisset & ab infensis Gratiano legionibus vltro exceptus fuisset; Gratianus omni vicina ope destitutus, Hunnos Galliæ per se inhiantes aduersus Maximum inuitauerat, vt sequenti capite validè probabimus. Sed Seruatius Hunnorum manibus diuinitùs ereptus, cum Tungros peruenisset, Traiectum ex diuino oraculo commigrauit, ibique decima tertia Maij corpore exutus, iuxta publicum aggerem sepultus est anno ipso 383.

*Quando contigerit legatio Romana sancti S. Seruatij.*

62 Nam cur minus Ægidium sequar, qui mortem eius anno 388. assignat, causæ plusculæ sunt. Prima, Hunnorûm ipsorum Gallijs imminentium historia ad annum 383. non 388. relata. Secunda, quia anno Christi 384. aut 385. Maximus Imperator Synodum Treuiris contra Priscillianistas habuit (vt infra) cui cùm S. Martinus, alijque remotiores Galliarum Episcopi interfuerint, Seruatius autem tam vicinus neque per se neque per legatum compareat, valde vero simile fit, eū paulo ante vitâ migrasse. 3. & vero Ægidius ipse se dubitare satis prodit, dum non absolute anno 388. sed *circiter* obijsse notat. Quin se ipse sequenti capite corrigit aut iugulat; dum ab excessu Seruatii ad Attilæ irruptionem 70. annos numerat. Attilæ irruptio anno Christi (iuxta Sigebertū, quem sequitur Ægidius) 453. contigit. Deme 70. annos, habebis annum Christi 383. quo mortem eius statuimus, non 388. vt ponit Ægidius. Ita Seruatius cum penè 70. annos Tungris Episcopus præfuisset, ad cœlum fœliciter euolauit.

*Seruatij mors anno 383 non 388. vt existimat Aegidius.*

*Tungrorum*

## CAPVT V.

### *Tungrorum interitus. & annorum 114. qui post Seruatij mortem proximè fluxerunt, elucidatio. Francorum primæ in Germaniâ secundâ sedes.*

OBscurum admodum ac difficile est hoc caput. euoluam vt potero. eò lubẽtiùs, quo generalius esse scio; neque ad Tungros tatum, sed ad vniuersas etiam Gallias attinere. Agit enim de Francorum in eas immigratione. 63

*Sedem Tũgrensem à morte S. Seruatij per annos 114. vacasse. L. 2 hist. Frãc. cap. 5 & 6.*

Seruatio circa annum Domini 383. (vt vero similius existimamus) ad meliorem vitam traducto; nullus ante Clodouæi Francorum Regis Baptismum per annos totos 114. Tũgrensem cathedram insedisse reperitur Episcopus. Causam omnes, post Gregorium Turonensem (qui primus Seruatianæ legationis vltimæ texit historiã) referunt in Gallicam Hunnorum Duce Attila incursionem. Quod non minimam patitur difficultatem. Ab excessu Seruatij ad Attilæ cladem, anni sunt, iuxta veriorem calculũ, omnino sexagintà octo. Si Tungrorum excidium tam sero differtur, cur ergo ea ciuitas integra etiamtùm, & recentibus tanti viri meritis adeò inclyta, tam diu Pastore caret? Et cũr potius caret, quam vicinæ sorores Agrippinẽsis aut Treuirensis? Nam has certe Præsulibus suis per hæc tempora minime viduatas, Catalogus eorum fidem facit, nusquam hians aut interruptus. nisi fortè Coloniensis intercisus sit sub exordio Frãcorum, vt sequenti capite notabimus. Cur paulò post Seruatij mortem, S. Seuerinus Agrippinensis Archiepiscopus, & eius successor Euergislus, Tungrensem Diœcesin visitant, tanquã sine Pastore luporum faucibus expositam? Debuit plane huic nostræ sedi lugubre aliquid accidisse, quod eam tot annos tanto honore, tanto solatio priuare potuerit.

*Causa vacationis.*

*Prima Hunnorum in Belgicam incursio.*

*Amb. epist. 27*

*De occid. imp. lib. 9.*

Quodnam autem illud, historiæ, & sancti viri præsagio conformius, quam Hunnorum prior aliqua, & leuior, ideoque subobscurior, in Rhenanum imperij limitem incursio? Hunnos certè à Gratiani Imp. Ducibus in Gallias aduersus Maximi Tyranni impetum accitos, testatur qui tunc florebat Ambrosius. Cùm enim secundam legationem suam, pro Valentiniano Imperatore Gratiani fratre ad Maximum Treuiros obitam refert (quam cùm anno Christi 384. exeunte aut certe ineunte 385. post diligentissimum Sigonium comparamus) recitat primò illud Maximi dictum: *Quoniam me lusisti, & ille Bauto, qui sibi regnum sub specie pueri vindicare voluit; qui etiam* BARBAROS MIHI IMMISIT. *quasi ego non habeam quos possim adducere, cùm mihi tot milia* 64

*lia Barbarorum militent , & annonas à me accipiant* : Tum obiectum ita diluit : *Quos immisit Barbaros Bauto Comes ? & quid mirum si hoc Bauto fecisset Transrhenanus genere ; cum tu miniteris imperio Romano Barbarorum auxilia , & turmas translimitanas. quibus commeatus prouincialium tributa soluebant ? Vide autem quid intersit inter tuas minitationes , & Valentiniani Augusti pueri mansuetudinem: Tu flagitabas, quod Barbarorum stipatus agminibus Italiæ te infunderes: Valentinianus* HVNNOS *atque Alanos* APPROPINQVANTES GALLIÆ *per Alemannia terras reflexit. Quid habet inuidia , si Bauto Barbaros cum Barbarus fecit decernere ? Quoniam dum tu Romanum militem occupas , dum is aduersum se vtrinque prætendit ; in medio Romani imperij sinu Iuthungi populabantur Rhætias. Et ideo aduersus Iuthungum* HVNNVS *accitus est. Idem tamen* ( Hunnus nimirum ) *quia de finitimo proterebat Alemanniam &* IAM VICINIA MALI GALLIAS VRGEBAT, *coactus est triumphos suos deserere,ne & tu timeres.Confer vtriusq; factum: Tu fecisti incursari Rhætias; Valentinianus suo tibi auro pacem redemit*. Hæc ad Maximum generose,vt solebat,Ambrosius. Quibus intelligis, circa statutã à nobis Seruatij mortem, Hunnos in Maximũ immissos appropinquasse Gallijs, quas ille Gratiano extorserat ; easque viciniã mali sui vrsisse. Speciatim autem circa Germaniam hanc nostram Inferiorem tùm grassatos, testatur Vrsulæ & sociarum eius martyrium, quod ab ijsdem eo loci illatum , ad hunc annum 383. referunt doctissimi viri Baronius , Velserus, & Miræus noster. *Tomo 4. anno Christi 383. In tab. Peutin.*

65 Ex quibus omnibus hanc texo historiam : Anno 383.13. Maij,moritur Seruatius, cùm Romã paulò ante redijsset. Quo eodem anno Maximus imperium inuadens e Britanniâ in Gallias per ostia Rheni erumpit: Gratianum Imp. Treuiris expulsum Parisios vsque insequitur ; exercituque eius ad se transeunte, versus Alpes fugere compellit : Sed apud Lugdunum dolo interceptum per Andragathium quemdam interficit,25. Augusti. Interim in Gratiani auxiliũ Hũni acciti Gallijs imminebant ; & mari quidem circa ostia Rheni,terrâ verò circa Agrippinam vagabantur populabundi. Dumque Romanus miles *in se* (vt ait Ambrosius) *vtrinque prætendit* , & intima Galliæ ingressus imperij limitem validioribus præsidijs destitutum relinquit ; Germaniam Inferiorem ijdem Hunni Alanis mixti verisimiliter incursauerint , ac præter cætera Tungrensem Ciuitatem etsi amplam tùm ( vt Ammianus vocat ) & copiosam , minus tamen munitam,si non exciderint,saltem vehementer attriuerint , minusque dignam Pontificiâ dignitate reddiderint. Quo audito Maximus , cæso vel fugiente Gratiano iam victor, hæc loca repetit , barbaros in se immissos trans Rhenum fugat ; sedemque imperij Treuiris pro antecessorum more collocat. Erat indubie in Britanniâ ingens mulierum ac virginum sexus vtriusque turba ab vniuerso Maximi exercitu Christiano tanquam subitæ expeditionis impedimentum, tantisper inibi relicta. Ea partâ iam victoriâ, dum ad pare- *In Disquis. Maximi tyranni imperium Treuiris. Sigon. de occid. imp. L. 8. Prima Tungrorum clades.*

*Vrsulæ & sociarum eius martyriũ prope Coloniam. Vide Miræum in Disquis. nisi malis sequi Baron. in martyr. & in ann. 384.*

tes, maritos, propinquos, amicosue per ostia Rheni, eodem quo illi prius venerant itinere, duce agminis Vrsulâ, properat; in Hunnos nondum procul à Rhenano limite repulsos incidit, & ab ijsdem infestis Maximi hostibus, quibus se prostituere non volebat, 21. Octobris interimitur. Paulo post Maximus, vt dolum dolo repelleret, Iuthungos Barbaram gentem in Rhætiarum populationem impulit; effecitque vt Hunnos à Galliarum limitibus abductos Valentinianus contra Iuthungos auro conduceret; seu quod ita exigeret vicinioris mali necessitas, seu quod iam ille certam cum Maximo pacem dubio bello prætulisset.

Atque hæc prima est Hunnorum in Gallias seu potiùs in Germaniam Inferiorem incursio. quâ præter alia id etiam malum inuectum est, vt Tungri nostri vehementer attriti Pontificatûs honore solatioque adusque Chlodouei Francorum Regis baptisma caruerint. Hinc Seruatiani vaticinij veritas aperiri cœpit: expleri enim non potuit; cum oraculum istud generalem totius Galliæ ruinam, vt & vltimum Tungrorum interitum, manifestè portendisse videatur, quod primâ hac vastatione non contigit. Wandalorum scilicet, Francorum adhuc infidelium, ac cæterorum Barbarorum repetitis populationibus completum illud fuerit, & exhaustum. Nam Attilanâ solâ irruptione satis impleri non videtur; cùm hæc ad omnes se Gallias non diffuderit: & verò Wandalorum incursio ante 40. annos id abunde præstiterat, vt patebit inferius. Vnde etsi in illo vaticinio, Hunnorum dumtaxat fiat mentio; omnino tamen statuendum (si id Gregorij Turonensis glossema non est) Hunnos, vtpote truculentissimos, & vulgo tum maximè cognitos ac formidabiles, pro cæterâ Barbarie in Gallias item irrupturâ nominari; vt cum pro genere species, aut pro obscuriori celebrius, vsurpato Scriptoribus, sacrisque Prophetis more, ponitur. Atque hoc eodem sensu accipiendum moneo, quidquid ab antiquioribus rerum nostratium Scriptoribus de vrbium aut regionis alicuius excidio refertur. Videbis eos passim omnia populatori Attilæ adscribere; etsi pedem ille nunquam in eas partes intulerit; & longe antea quidquid splendidum emicuerat, atrocissimâ diuturnâque Wandalorum aut Francorum populatione corruisse debuerit. Ita igitur Tungri nostri primâ hac Hunnorum clade non parum afflicti, etsi postmodum extremam ab Wandalis Francisque stragem passi videantur, vti mox videbimus; ea tamen solis Hunnis Attilæque tribuitur; seu quod postremi populatores hi fuerint, seu maximè celebres ac sæui. 66

*Quando impletum sit S. Seruatij vaticiniũ & quomodo accipiendum.*

*Prima Ambr. ad Maximum Treuiris agentem legatio.*

Maximum Gratiani interfectorem, fulguris instar omnia peruadentem, quo minus eodem impetu Italiam inermem irrumperet, vnus cohibuit Ambrosius: qui sub finem huius anni 383. pro Valentiniano Legatus Mediolano Treuiros aduениens, Gratiani corpus repetijt 67

repetijt; & Tyrannum spe pacis repressit. Agebat tùm Treuiris Ithacius Sossubensis, seu Ossonubensis in Lusitaniâ Episcopus: qui inde vsque ab extremâ Hispaniâ profectus, apud Gratianum Treuiris agentem, Priscillianum hæreseos insimulauerat. Hoc cæso, Maximum victorem aggressus, effecit, vt sequenti anno, 384. Synodo Burdegalæ congregatâ, Priscillianus cum sectatoribus damnaretur; mox etiam, quod ad Imperatorem appellasset, Treuiros deduceretur. Fortè ibi tùm præsens erat sanctus Martinus Turonensis Episcopus. Hic indignum ratus controuersias Ecclesiasticas ad Imperatorum tribunalia deferri, & Episcopos apud Iudices sæculares cruentas accusationes instituere, Ithacium & cæteros Priscilliani accusatores increpat; & à Maximo egregiâ auctoritate elicit sponsionẽ, nihil cruentum in eos constituendum.

*Ithacianorum in Priscillianis actio Treuiris coram Maximo Imp.*
*Vide Seuerum l. 2 hist. in fine*

68 Post eius tamen discessum, anno sequenti 385. ineunte, Maximus a mitioribus consilijs deflexus, Priscillianum capitis damnat, & quosdam eius socios: alijs in exilium pulsis. Quo eodem tempore iterum Ambrosius à Valentiniano Imperatore & eius matre Iustina Legatus venit Treuiros. Vbi post primum cum Maximo congressum, *quòniam ab Episcopis abstineret, qui Maximo communicabant* (Ithacianos, vt vides, intelligit) *vel qui aliquos, deuios licet à fide* (Priscillianistas) *ad mortem petebant; commotus Imperator iussit eum sine mora regredi. Ego verò* (inquit) *libenter ingressus sum iter: hoc solo dolore percitus, quod Hyginum Episcopum* (Cordubensem, vt videtur ex Seuero) *senem in exilium duci comperi; cui nihil iam nisi extremus superesset spiritus. Cùm de eo conuenirem comites eius, ne sine veste, sine plumatio paterentur extrudi senem, extrusus ipse sum.* Hæc Ambrosius. quę ad hunc annum Sigonius mecum refert, ex ipso nexu historiæ: etsi alij in annum Christi 387. reijciant. Ad hunc itẽ eundem annum 385. refero iteratum sancti Martini ad ciuitatem Treuirensem accessum; eâ præcipue causâ institutum, ne inconsultum Ithacianæ partis in hæreticos zelum, morte Priscilliani nondum satiatum, pateretur ad alios etiam, qui in Hispaniâ remanserāt, nimis præcipitanter extendi. Iam enim ex eorum sententiâ decreuerat Maximus, vt Tribuni summâ potestate armati, ad Hispanias mitterentur, qui hæreticos solis oculis, solo pallore aut veste discretos bonis ac vita priuarent. Quæ tempestas nulli dubium quin maximam Orthodoxorum partem cōsumptura fuerit, si Martino agēte præpedita nō fuisset. Vt autem præpediret, cōmunionem cum Ithacianis inijt diei illius, quo Fęlix Treuirensis Episcopus ab ijs sacratus est. sed ita vt communionis illius malum, totâ insequenti vitâ defleuerit. Quo eodem itinere (nisi forte priori) conuiuio primùm Maximi Imperatoris, tùm etiam Augustæ vxoris eius interfuit. Quod autem addit Sulpitius, præsentem etiam adfuisse Euodium Præfectum prætorio Galliarum, *eundemq; Consulem*, Consulem designatum intelligit, non creatum. Vti hoc euincimus argumento:

*Secunda sancti Ambrosij legatio ad Maximum Imp.*
*Amb. ep. 27.*

De occid. imp. lib. 9.

*Secundus sancti Martini Treuiros accessus.*
*Vide Seuer. in hist. & dial.*

*In vitâ sancti martini.*

Nam

Nam cùm ex literâ Dominicali constet, S. Martinum excessisse anno Christi 400. (vt infra videbimus) ac inter hunc annum & illum Treuirensis itineris, sedecim annos (seu completos, seu labentes) fluxisse referat idem Sulpitius; planè hoc 385. vel præcedenti anno Martinum Treuiris egisse fatendum est. Hæc porrò fusius narrare visum est, vt cum altissimum sit & in nostris Annalibus, & in historiâ ecclesiasticâ, de Seruatio totâ hac tam celebri actione silentium; intelligas eum antehac ad cœlites verisimiliter abijsse.

*S. Seruatij mors ante accusationem Priscilliani.*

Anno 388. Maximus Imp. primùm Scisciæ in Pannoniâ prælio 69
à Theodosio Imperatore superatur. Mox etiam Aquileiæ à propijs militibus proditur & cæditur 27. Augusti. *Quo eodem tempore* (ait Gregor. Turonensis ex Sulpitij Alexandri historijs) *Franci Genobaldo, Marcomere, & Sunone ducibus in Germaniam* (Inferiorem) *prorupere; ac pluribus mortalium limite irrupto cæsis, fertiles maxime pagos depopulati, Aggrippinensi etiam Colonia metum incussere. Quod vbi Treuiros perlatum est; Nannius & Quintinus militares Magistri, quibus infantiam filij* (Victoris) *& defensionem Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu apud Agrippinam conuenere. Sed onusti prædâ hostes, prouinciarum opima depopulati, Rhenum transiere, pluribus suorum in Romano relictis solo, ad repetendam depopulationem paratis. Cum quibus congressus Romanis accommodus fuit; multis Francorum apud* CARBONARIAM *ferro peremptis. Cumq; consultaretur de successu, an in Franciam transire deberent; Nannius abnuit; quia non imparatos, & in locis suis indubiè fortiores futuros sciebat. Quod cùm Quintino & reliquis viris militaribus displicuisset, Nannio Magontiacum reuerso, Quintinus cum exercitu circa* NIVESIVM *castellum Rhenum transgressus est.* Vbi cum suis ad internecionem penè cæsis occubuit. Ex his, vt & præcedentibus superiorum capitum historijs, facile quiuis intelliget, Francos tunc temporis nõ Franconiam Orientalem (vt vulgo sentiunt) incoluisse, sed eum terræ tractum qui modo Ducatu Montensi, Westphaliâ, Transisalanâ, finitimisque regionibus cõtinetur. vt fusius euidentiusque demonstrant Rhenanus, & Adrianus Iunius. Vnde, quæ primum à Francis semper erumpentibus vastata, & tandem occupata est Galliæ prouincia, constat hanc nostram fuisse Germaniam Inferiorem seu Secundam. Rursum vero ex his ijsdem notabimus, Francos à transrhenanis regionibus Nouesio oppositis, hoc anno egressos, in Carbonariam syluam miminè peruenire potuisse, nisi per Tungrorum fines; cùm Carbonariam constet fuisse tùm, quam modo vocamus *Hannoniam*; vt ex Aimoino, Nicolaoque vitæ S. Lamberti scriptore non indocto colligimus. Quis autem credat Tungros tunc cruentas Francorum populabundorum manus effugisse? Quæ causa fuerit, vt iteratâ clade 70
afflicti, tanto minùs Pontificem recipere meruerint.

*Lib. 2. cap. 9.*

*Francorum grauis in Germaniam 2. incursio.*

*Quæ fuerint Francorum trans Rhenum sedes.*

*Lib. 1. rer. germ. In Batauia cap 8.*

*Lib. 1. hist. cap. 5.*

*Sup. cap. 6.*

Nec vero sequenti anno 389. multò mitiora experti sunt. Subdit enim Gregorius Turonensis: *In quarto verò libro, cum de interfectione Victoris filij Maximi Tyranni narraret, ait* (idem scilicet Sulpitius Alexander) *Eo tempore Carietto & Syrus in locum Nannem subrogati, in Germania* (inferiore)

*Lib. 2. c. 9.*

*Bellum aduersus Francos.*

re) *cum exercitu opposito Francis diuersabantur. Et post pauca, cùm Franci de Germania prædas* (vt precedenti anno) *tulissent, adiecit: Nihil Arbogastes differre volens, commonet Cæsarem* (Valentinianum secundum) *pœnas debitas à Francis exigendas; nisi vniuersa quæ superiore anno cæsis legionibus diripuerant, confestim restituerent, auctoresq; belli traderent, in quos violatæ pacis perfidia puniretur. Et deinceps ait: Post dies pauculos Marcomere & Sunone Francorum Regalibus transacto cursim conloquio, impetratisq; ex more obsidibus, ad hiemandum Treuiros concessit.*

71 Gallijs porro, quas Maximus occupauerat, Valentiniano Occidentis Imperatori restitutis; Belgicæ pleræque reuixisse videntur Ecclesiæ. Testantur siquidem Atrebatensium nostrorum Annales circa annū domini 390. missum in Belgicā nostrā à Siricio Papa Diogenē quemdā, Græcū hominē, qui à Rhemorū Metropolitano Atrebatensis ordinatus Episcopus, non paucos in horreum Dñi animarum intulit manipulos. Sed & Seuerinus Coloniensis Archiepiscopus, circa hæc eadem tempora Tungros Præsule orbatos, & prioribus barbarorum incursionibus attritos, quin & Arrianâ (vt aiunt) hæresi laborantes, visitare instituit, vt qui ad suam prouinciam attinerent. Ac quibusdam inibi pro tempore correctis & constitutis, S. Euergislum Tungrensem adolescentem bonis moribus inclytum Coloniam secum abduxit. Morini quoque de nouo circa hæc tempora à S. Victricio Rothomagēsi Episcopo exculti; vt & Neruicani tractûs incolæ: quos caue ne cum Neruijs eosdem facias: sunt enim Normāni seu Ebruicani, vt docte probāt Browerus noster, Scaliger, Ortelius, & alij. Nec dubito quin similis vigor alijs redditus sit ecclesijs. Sed æui longinqua vetustas æterno omnia silentio condemnauit.

*Ecclesiæ Belgicæ circa hæc tempora florēt*

*Vide vitam S. Euergisli, apud Sur. & Mol. 24 oct.*

*Paulinus epist. 27*

*In Fortun. l. 3. carm. 6.*
*In Ausl. l. 2 c. 6*
*In thesauro.*

72 Anno Christi 392. cæso apud Viennam in Galliâ palatij ædibus Valentiniano, Idibus Maij pridie Pentecostes; *Arbogastes* Francus, eius rei auctor, *Sunnonem & Marcomerem Francorum Regulos gentilibus odijs insectans, Agrippinam rigente maxime hyeme petijt, ratus tuto omnes Franciæ recessus penetrandos vrendosq;, cùm decussis folijs nuda atque arentes syluæ insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu transgressus Rhenum, Bricteros ripæ proximos, pagum Actiam, quem Chamaui incolunt, depopulatus est; nullo vnquam occursante: nisi quod pauci ex Ampsiuarijs & Chattis Marcomere duce in vlterioribus collium iugis apparuere.*

*S. Epiphan de pond. & mens. Greg. Turon l. 2. c. 9.*

73 Sæculum hoc clausit mors S. Martini Turonensis Episcopi, quæ, cum in 11. Nouembris, eamque dominicam diem, testimonio Gregorij Turonensis incurrat, necessario cum anno Christi 400. componenda est. Quo eodem die S. Seuerinus cum ante auroram loca Coloniæ visitaret, melodiam Angelorum S. Martini animam in cœlos cum triumpho deducentium audiuit, eamdemque vt percipere mereretur comes suus Euergislus, impetrauit. Sed & ipse Seuerinus haud multo post corpore exutus videtur; cum iam ab Euphrate deposito, 52. Pontificatus annum ageret.

*Mors sancti Martini anno Christi 400. Lib. 1 hist. c. vlt. & l. 1. mir. c. 3. 4.*

*23. Oct. ait Molanus, ergo non ante annum 401.*

Ppp Secutum

*Wandalorum in Gallias irruptio funestissima.* Secutum inde aliud sæculum, vt assiduis barbarorum inundantium eluuionibus infame, ita imperio Romano, ac Galliæ præsertim nostræ longè funestissimum. Primùm, excitæ per Stiliconem *Oros. l.7.c.38.* Euchario filio suo imperiũ affectantem, gentes Wandalorum, Alanorum, Sueuorum, multæque cum his aliæ (anno 406.) è Septentrionis latebris erumpunt, Francos primò in Germaniâ transrhenanâ obuios proterunt, Rhenum quatiunt, tandemque vltimo anni die Gallijs, eo trãsmisso, se infundunt. Ac primò (ait Saluianus) *effusa est ea* *Lib. 7.* *gens in* GERMANIAM PRIMAM, *natione barbarã, ditione Romanam.* In eâ iuxta Hieronymũ, MAGVNTIACVM *nobilis quondã ciuitas capta atque subuersa* *Epist. 11. ad Ageruch.* *est; & in ecclesiâ multa hominum milia trucidata.* VANGIONES (nunc Vormatia) *longâ obsidione deleti. Nemete & Argentoratus populata. Post Germaniæ primæ exitium* (pergit Saluianus) *primum arsit regio* BELGARVM. In quâ, iuxta eumdem Hieronymum, hæ ciuitates consequenter seu excisæ seu populatæ: RHEMORVM *vrbs præpotens*, AMBIANI, ATREBATÆ, *extremiq; hominum* MORINI, TORNACVS: &c. Addunt Annales nostrates, tunc D. Nicasium Rhemorum Episcopum cum sorore Europiâ martyrio affectum; vt & Diogenem primum Atrebatensium Pontificem (cuius saltem extet memoria) dum in D. Virginis æde preces funderet. Et sunt hæ quidem omnes ab Hieronymo nominatæ ciuitates in Germaniâ primâ, & Belgicâ secundâ; non dubitandũ tamen quin & alias tàm Belgicæ primæ, quam Germaniæ nostræ secundæ seu Inferioris, rabies ista peruaserit; præsertim cum regionem Belgarum arsisse indefinitè notet Saluianus: & Francos Germaniæ inferiori (non ita primæ) finitimos, scribat Orosius primum omnium à Vandalis protritos. Vnde ego quidem mihi persuadeo, Augustam Treuirorum ciuitatem, quæ e Germaniâ primâ in Belgicam secundam euntibus occurrit, primum tùm passam excidium è *Lib. 6.* quatuor illis, quæ ei sua ætate Saluianus illata commemorat. Quin 75 *Tungrorum supremus interitus.* & Tungros nostros, paulo ante male tractatos, ab illâ huius Barbariei portione, quæ Franciâ protritâ in Germaniam Inferiorem irrupit, penitus euersos cum Molano existimo, vt pristinam dignita- *In chron.* tem nunquã recuperare potuerint, humile postea oppidum, & Hasbaniæ annumeratum. Nam hanc certè maximè fuisse Galliarum cladem, quæ Seruationis nostri, & aliorum eâ ætate sanctorum Præsulum vaticinio prænunciata sit, præterquam quod Flodoardus ve- *De Episc. Rhe. lib.1.c.6.* tus & fidus auctor asserat, euincit etiam & temporum & cladis ipsius series vaticinio per omnia conformis. Neque me commouet, quod in eo Hunnorum non Vandalorum fiat mentio: quia, si, vt dixi, Gregorij Turonensis illud glossema non est, ex specie ibi genus barbarorum intelligitur; quod Hunnorum nomen, quo tempore proferebatur oraculum, famosissimum esset ac maximè terribile, Vandalorum vix, ac ne vix quidem, innotuisset. Quis enim credat, Spiritum Dei semestrem trimestremúe Attilæ vastationem, tanta tẽporum intercapedine remotam, potius quam triennalem Vandalo-

rum

rum, tam fatalem, tam vicinam, præsagisse? Nihil vero prohibet, quin Vandalis etiam Hunnos immixtos opinemur, toto presertim orbe per hæc tempora palabundos.

76 Dum Barbari Belgium hoc nostrum & vicina Oceano quatiunt; Romanorum in Britanniâ exercitus metu graui perculsi sunt (ait Zosimus) veriti ne progrederentur vlterius. Itaq; ab Honorio Imperatore deficientes, ad tyrannos eligendos conuersi, primo Marcum quemdam, tum Gratianum, denique Constantinum non tam merito virtutis, quam spe nominis, Augustum creant. Is Britanniâ relictâ, circa autumnum huius eiusdem anni 407. BONONIAM, quæ prima mari ciuitas adiacet, transmittit: ac in eâ dies aliquot commoratus, omnes sibi Gallicos exercitus conciliat. Inde cum Vandalis alijsque Galliam populantibus commisso prælio, victoriâ quidem Romani potiti sunt, maiore Barbarorum parte iugulatâ: sed quod fugientes insecuti non essent (omnes enim ad internecionem vsque cecidissent) facultatem eis concesserunt, vt resarcitâ quam acceperant clade, & collectâ Barbarorum multitudine, rursus hosti pares euaderent. Rhenum inde Constantinus præsidio muniuit idoneo, iam inde à Iuliani Principis tempore neglectum, ne libera in Gallias Barbaris alijs pateret incursio. Ita Constantinus Britanniæ, Galliæ, atque adeo Hispaniæ imperium pacificè tantisper obtinuit: icto cum Vandalis fœdere, etsi incerto & infido.

*Constantini in Britannia & Gallia tyrannis. hist. Lib. 6. Et Sozomen. l. 9. cap. 11. & seqq.*

*Oros. l. 7. c. 40.*

77 Verum circa annum dñi 410. *Gerontius* quidam Constãtini in Hispania Dux rebellans, *Barbaros in Gallijs ad defectionem contra Constantinum impellit. Quibus cum Constantinus non restitisset, quod maior copiarum ipsius pars esset in Hispania; cuncta pro lubitu suadentes transrhenani Barbari, eò tùm incolas Insulæ Britanniæ, tum quasdam nationes Gallicas redegerunt, vt ab imperio Romano deficerent, arbitratuq; suo viuerent. Itaque Britanni, & totus ille tractus Armoricus ceteræq; Gallorum prouinciæ sumptis armis, & quouis adito pro salute sua discrimine, ciuitates suas à barbaris imminentibus liberarunt, eiectis magistratibus Romanis, & sua quadam rep. pro arbitratu constituta. Ita Britanniæ Celticarumque gentium defectio facta, quo tempore Constantinus iste regnum vsurpabat; quum ipsius in imperio socordia moti Barbari, hasce grassationes instituissent.* Hæc Zosimus.

*Quando contigit Belgica Septentrionalis à Romanis defectio.*

*Lib. 6.*

78 Ex quibus intelligimus, hoc demum tempore cum Britannijs eas Galliæ prouincias à Romanis defecisse, quæ per tractum Aremoricę Belgicæque ad Oceanum Britannicum adiacent. In quibus Germaniam hanc nostram Inferiorem intelligi, pronũ est conijcere. Certe nullum in eâ ex hoc tempore Romanorum imperium, mihi quidem, apparet. Opinor Francos eam, post tot impressiones, tandem aliquando suam fecisse. Nam hoc eodem anno Francis aduersus Vandalos bellum fuisse, ne toties expetitâ prouinciâ à nouis incolis pellerentur, ex eo Frigeridi fragmento intelligimus, quod apud Gregorium Turonensem extat: *Renatus* (inquit) *Profuturus Frigeridus, cùm Romam referts à Gothis captam atq; subuersam* (hoc anno 410.) *ait: Interea Respendial*

*L. 2. c. 9. Et Sigeb. anno 413.*

*Rex Alanorum, Goare* ( Alano ) *ad Romanos transgresso, de Rheno agmen suorum conuertit, Vandalis Francorum bello laborantibus, Godigisilo Rege absumpto, acie viginti ferme milibus ferro peremptis, cunctis Vandalorum ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tempore subuenisset.* Ita Franci Vandalis alijsque Barbaris Galliam populantibus, expulsis, in Germaniâ secundâ præsidijs Romanorum paulo ante vacuatâ, quod fœlix esset ac faustum, rerum suarum fixere domicilium: Religionemque Christianam sub Romanis vigentem, quoniam paganis adhuc ipsi ritibus tenebantur (vt ex Gregorio & Hincmaro rectè notat Harigerus) non parum attriuerunt; vt mirum non sit, Tungros nostros Præsule per hæc tempora caruisse.

*Franci Germaniam secũdam seu Inferiorem primùm in Gallijs occupant.*

*Lib. 2. hist. c. 10. In vitâ sancti Remigij. Sup ca. 29.*

Successere inde continua Romanorum bella siue ciuilia, siue ex- 79
terna. Quibus factum vt Franci non modo è Germaniâ Inferiore expelli non potuerint, sed potius vt suum ipsi imperium produxerint. Anno enim Christi 411. dum Constantinus perduellis à Constantio, Honorij Imperatoris tùm celebri duce, mox etiã Augusto, Arelate opprimitur; *Iouinus vir Galliarum nobilissimus, apud Mogontiacum alterius Germaniæ, studio Goaris Alani, & Guntiarij Burgundionum Phylarchi, Tyrãnus creatus est: & cum Burgundionibus, Alemannis, Francis, Alanis, ingenti exercitu* interiora Galliæ *Narbonam* vsque peruasit, tyrannideq; biennio tenuit. *Quo audito Attalus* (& ipse Tyrannus paulò antea ab Alarico Gothorum Rege, Romæ creatus, tùm verò ab Athaulfo Alarici successore, fotus) *Athaulfo suadet, vt Iouino se adiungat. Isq; cum copijs ad eum (ex Italiâ) se confert, anno,* vt vult Prosper, 412. Ea prima fuit Gothorum in Gallias incursio. Quibus repellendis dum Romani distinentur, nouo Frãcorum imperio stabiliendo augendoque cõcessa facultas est. Vnde aptè, hoc eodem anno 412. (aut circiter) *Treuirorum ciuitatem à Frãcis direptã incensamq; secunda irruptione,* retulit ex Frigerido Gregorius. Et suscepit tum quidem in eos expeditionem Castinus Domesticorum Comes. Sed quo successu, non legi. Suspicari lubet, Romanos cum tot Barbarorũ diluuijs premerentur, vt Burgundionibus propè Rhenum in Maxima Sequanorum, & Gothis in Aquitaniâ secundâ; ita etiam Francis in Germaniâ Inferiore sedem pacificam indulsisse. & sane ex Prospero Pithoeano discimus, Pharamundum paulò post, anno scilicet 421. in Francia regnare cœpisse, quem primum suæ gẽtis cis Rhenum Regem, etiamnum Franci agnoscunt. Ita mecum vides, Lector, Regni Francornm in Gallijs primordia, circa hoc nostrum Tungrense territorium cõstituta. ex quo deinde ad Gallias reliquas occupandas gradum fecerint. Vt nihil mirum sit, si Pipini postmodũ ac Carolomãni Francorum primores, ac deinde etiam Reges, è Leodiensium tractu duxerint originem.

*Greg. Turon. l. 2. c. 9.*

*Vide Olymp. eclog. ex Photio.*

*In chron.*

*Lib. 2. c. 9.*

*Pharamundus primus Francorum cis Rhenum Rex in Germania secunda, seu Inferiore.*

*Vide Scalig. de emend. temp. l. 6. fin.*

Anno 425. *Chlogio* Francis imperat, si Prospero Pithœano fides est. 80
Hunc refert Gregorius *apud Dispargum castrum habitasse, quod est in termino Thoringorum.* Quod quia obscurius est, & omnino ad institutũ pertinet

*CLOGIO 2. Francorum Rex lib. 2. c. 9.*

tinet, examinandum est. Dixerat paulo ante Gregorius: *Francos primum è Pannonia digressos, litora Rheni amnis incoluisse, dehinc transacto Rheno Thoringiam transmeasse.* Loquitur ergo de Thoringiâ, non illâ in meditullio Germaniæ, sed de aliâ cis Rhenum proximè positâ. Neque enim è Pannoniâ in Thoringiam Germanicam tendentibus, Rhenus vllâ sui parte traijciendus est. Lubens ergo Thoringiam hanc, ego quidem accepero, quam sub Romanis hactenus Germaniam Inferiorem vocatam diximus, & finitimas regiones. Nam primò, ait idem Gregorius, Dispargum castrum in hoc Thoringorum termino fuisse, quod plerique *Duysburg* ad Rhenum in Montensi ducatu interpretantur. Alij Asciburgium in Moersensi Comitatu. Deinde Harigerus refert, *Francis antequam certam* in Galliâ *stationem inuenirent, solum Thoringiam profugium fuisse.* Constat autem Francos Gallias sæpe tentantes, sæpeq; repulsos, ad hæc Geldriæ Cliuiæque loca recedere solitos. Ad hæc Ægidius ad caput 13. Harigeri, fortè ex antiquis monumentis (etsi ea minime nominet) ait Tungrensem ciuitatem *Turingiorum fuisse Metropolim, Francorum Tungrim.* Plane ad hâc nostram opinionem. Subditque: *Sicut autem ciuitas Tungris, ita omnis regio Tungria, incola verò Tungri dicebantur.* Nemo non videt procliue esse, Tungriam è Thoringia contractione formare. Vnde & Morellius notat in veteri M. S. Gregorij codice duplicem lectionem eâdem manu scriptam, *Thoringorum* vel *Turgrorũ.* Præterea, Idacij chronicon notat; Aëtium insecutum Attilam à se victum, *vsque in Thoringiam*: quam sane Cisrhenanam facilius intelligam, quam Germanicam illam longè vltra Rhenanum imperij limitem proiectam. Denique S. Remigius in testamento suo Toringiã eamdem cum *Austria* facit. Austriam autem seu *Austrasiam* Francis antiquioribus Galliam Orientalem, quæ Rheno contermina est, fuisse nemo nescit; sicut è contra Occidentalem, *Neustriam.* Vnde etsi Lotharingiæ nomen cõmuniter à Lothario Rege deduci sciam; vereor tamen vt antiquius sit, & à Thoringiâ deriuetur, quasi *la Thoringia*: si non à Tungris nostris, saltem à Thoringis illis, qui cum Aquilonaribus alijs Barbaris sese in Gallias infuderunt. Sane Thoringos in Attilæ exercitu militasse, Sidonius auctor est, dum exercitum eius ita recenset, *Chunus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Thoringus.* Sed quoniam Attilæ irruptio cum anno Christi 451. tantum comparatur; Chlogio autem 25. totis annis antea Thoringiam hanc transacto Rheno incoluisse refertur à Gregorio; & iam tum cum Attila fugeret, Thoringia ab Idacio nominatur; planè Thoringos ante Chlogionis regnum in hæc loca transmeasse statuendum est. Fortè cum Vandalis: quibus Saxones (in quibus Thoringi) accenset Hieronymus; & in quorum irruptione Francos protritos refert Orosius. De hac Thoringorum in hosce tractus impressione meminit Gregorius, dum Theodoricũ Metensium Regem, ita suos incitantem nobis exhibet: *Recolite Thoringos quondam super parentes vestros violenter aduenisse, ac multa illis intulisse mala. Qui datis obsidibus pacem cum his inire voluerunt: sed illi obsides ipsos diuersis*

*DE THORINGIA Cisrhenana disquisitio.*

*Vide Ortel. in thes. geogr. Sup. c. 9.*

*In diuers. lect. ad Greg. Tur.*

*apud Flod. l. 1. c. 18.*

*Videtur Thoringia Lotharingiæ nomen creasse.*

*In paneg. Auit.*

*Ep. 11. ad Ageruch.*

*Lib. 7. c. 40.*

*Lib. 3. hist. c. 7. Thoringorum in Francos irruptio.*



uersis

*uersis mortibus peremerunt. & irruentes super parentes nostros, omnem substantiam abstulerunt, pueros per neruum femoris ad arbores appendentes, puellas amplius ducentas crudeli nece interfecerunt; ita vt ligatis brachijs super equorũ ceruicibus, ipsisq; acerrimo moti stimulo per diuersa petentes, diuersas in partes feminas diuiserunt. Alijs vero super orbitas viarum extensis, sudibusq; in terram confixis, plaustra desuper onerata transire fecerunt; confractisq; ossibus canibus, auibusq; eas in cibaria dederunt.* Hæc ibi, quibus tum Franci incitati in Germanicam Thuringiam huius mali fontem irruerunt. nam Cisrhenana hæc iam pridem in eorum ius, fortunâ variante, concesserat.

*Prima Chlogionis irruptio in Belgicam secundam.*

*L. 2. hist. c. 9.*

*Lib. 1. c. 5.*

*In Paneg. Maioriani.*

His ergo permoti supponimus Chlogionem in Rhenanã Thoringiam (postea Lotharingiam) transmeasse. Vbi cum regnum stabilijsset, ad illud in vlteriorem Galliam producendum animos conuertit. Hinc *missis exploratoribus* (ait Gregorius) *ad vrbem* CAMERACVM, *per lustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, ciuitatem adprehendit: in quâ paucum tempus residens, vsque Suminã fluuiũ occupauit.* Addit Aimoinus: Chlogionem etiam CARBONARIAM *syluã* (nunc Hannoniam) *ingressum* TORNACVM *vrbem obtinuisse, & quoscumq; Romanorum obuios habuit, neci tradidisse.* Sed & Sidonius Appollinaris testatur, eundem *Cloionem* (sic enim vocat) *patentes* ATREBATVM *terras peruasisse*: ac mox cum nuptias ad HELENAM vicum (*Hesdin* putant) metu soluti Franci celebrarent; Aëtium Romanorum Ducem cum Maioriano superuenisse, Francosque repulisse. Atque hoc est, quod Prosper & Cassiodorus notant in chronicis; Tauro & Fœlice Consulibus, anno Christi vulgari seu Dionysiano 428. Aëtium multis Francis cæsis, quam occupauerant proquinquam Rheno Galliarum partem, recepisse. Sed vtrum vltra Rhenum, Gallijs omnibus, Franci repulsi sint, non dicit. Ego eis tum adhuc Thoringiam, seu Germaniam secũdam profugium fuisse existimo; & Belgica 2. dumtaxat expulsos. 81

*Vide Harig. cap. 29.*

*Secunda Chlogionis in Belgicam secundam irruptio.*

*Ciuitates Belgicæ à Chlogione Francorum Rege occupata.*

*Libro 6.*

Sed eam paulo post repetijsse, magnaque parte occupasse suspicor, cum Aëtius (à quo victi fuerant) ab inimicis coactus, ad Hunnos in Pannoniam profugus abijt. Eius enim metu liberi, & Romanorũ discordia stimulati, non dubium quin arma resumpserint circa annos 430. & 432. Atque hoc est quod in vulgato Mariani chronico refertur (nam in M S. Gemblacensi sine bonæ notæ non extat) ad annum Christi 438. *Batauos, Tungros, Menapios, Teruanos, Morinos, Ambiones, Cameracenses, Tornacenses, Atrebatenses, Beluacenses, & quidquid his regionibus interiacet, vltraq; Sequanam & Ligerim Clodium Francorum regno adiecisse.* Non quod omnia hæc eo anno gesta sint, sed circa illum cœpta saltem, & in sequentes aliquot producta. Certius de hac præcedentibusue Francorum populationibus loquitur Saluianus, huius omnino temporis sacer scriptor, etsi non clarius, dum in spectaculorum crimen Belgis tum familiare ita inuehitur: *Sed videlicet responderi ad hæc potest, non in omnibus hoc Romanorum vrbibus agi. Verum est, etiam plus ego addo; ne illic quidem nunc agi vbi semper sunt acta antea. Non enim hoc agitur iam in Maguntiacensium ciuitate, sed quia excisa & deleta est: Non enim* AGRIP- 82

PINÆ

*PLENA, sed quia hostibus* (Francis indubiè) *plena: non agitur Treuirorum vrbe excellentissima, sed quia quadruplici euersione est prostrata. Non agitur denique in pluribus vrbibus Galliarum, quia* IN BARBARORVM IVRE ESSE COEPERVNT. Hæc Saluianus quem circa annum domini 440. scripsisse constat. Nam bellum contra Gothos Littorio Duce Romanorum in Aquitania gestũ, vocat *proximum*. quod Theodosio 17. & Festo Coss. refert Prosper, anno Christi Dionysiano seu vulgari 339.

83 Et Moguntiacum quidem excisam superius ex Hieronymo vidimus irruptione Vandalorum. Agrippinam autem, quam hic hostibus plenam ait Saluianus, eandem inferius (etsi tacito nomine) dicit, *eò tùm rabidâ vini auiditate peruenisse, vt Principes vrbis ipsius ne tunc quidem de conuiuijs surgerent, cùm iam vrbem hostis intraret, &c.* Quod factum primâ Chlogionis irruptione suspicor; vt & tertiam Treuirensis ciuitatis euersionem. De quartâ autem sermonem Saluianus instituens, ita disserit: *Excisâ ter continuatis euersionibus summa vrbe Galliarum, cùm omnis ciuitas bustum esset, & iacerent passim (quod ipse vidi, atque sustinui) vtriusque sexus cadauera nuda, lacera, vrbis oculos incestantia: pauci nobiles qui excidio superfuerãt, quasi pro summo deletæ vrbis remedio Circenses ab Imperatoribus postulabant. Quis æstimare hoc amentiæ genus possit? Ludicra ergo publica, Treuir, petis? Vbi quæso exercenda? An super bustum & cineres, super ossa & sanguinem peremptorum? Nigra est incendio ciuitas, & tu vultum festiuitatis vsurpas? Non miror plane, non miror tibi euenisse mala quæ consequuta sunt. Nam quia tria te excidia non correxerunt, quarto perire meruisti.* Hæc Saluianus. quæ breuiata idcirco exscripsi, vt intelligas, si ante annum Christi 440. quaternis euersionibus Treuirensis vrbs prostrata sit, quid de vicina Tungrensi sit opinandum. Nam vicinas certe ciuitates, etiam tùm deletas, ex eodem discimus: *Dixi de vrbibus præclarissimis. quid reliquæ in diuersis Galliarum partibus ciuitates? Nunquid non consimilibus habitatorum suorum vitijs conciderunt?* Quibus Tungrensem nostram accensendam, & vicinia loci, & ratio ipsa, & quod exile modo videmus ex amplâ & copiosâ ciuitate fragmentum, abunde testantur: & verò conuincit Pastoris ab hac vrbe supra centum annos absentia. prorsus vt quod in eâ reliquum Attila vastaret, vix habere potuerit.

*Coloniæ Agrippinæ expugnatio.*

*Quartum Treuirorum excidium.*

*Lib. 6.*

84 Ita ergo nouo Francorum in Gallia imperio, ad Germaniam Inferiorem accesserũt Belgicæ vtriusque partes Aquilonariores; nunquã postea à Romanis recuperatæ, attritis eorum viribus, continuâ Ducũ inter se dissentione; Aëtij præsertim & Albini, deniq; perniciosâ Bacaudarum in Galliã factione. Quò fit vt pacem iteratò inter eos ac Valentinianum Imperatorem conuenisse suspicer, ea conditione, vt quod iam occupauerant retinerent. Quod confirmat similis cum Geiserico pax hoc tempore inita, Africa certis spatijs inter eum Romanosque diuisa. Validiùs etiam probant collatæ paulò post Aëtio contra Attilam à *Merouæo* Francorum Rege suppetiæ. Atque hoc est, quod Harigerus notat, *Valentinianum Imp.* (nam corruptè *Valens* legitur, & Hincmarus, à quo hausisse videtur Harigerus, Valentinianum habet.

*Prosper in chron.*

*MEROVAEVS. Francorum regnum inijsse videtur anno Christi 445.*

*Sup. pag 47.*

*D. In vitâ S. Remigij.*

habet) *Francis partem Galliarum ad inhabitandum sine vectigalium exactione concessisse*; ideoque paulo post, *Hunnos ab eis ad Maeotidas iterum paludes, vel in Pannoniam repulsos. In Belgicâ igitur prouinciâ* (ait Hincmarus) *plurimis temporibus degerunt Franci sub Clodione & Merouaeo Rege vecti, à cuius etiam nomine celeberrimo vocati sunt Merouingi.* Donec *per auaritiam sequentium Imperatorum* (addit Harigerus) *vectigalia ab eis exigentium, coacti sunt & Romanis fidem non seruare, & ciuitates alias, quas adhuc tenent, per Gallias occupare.* Vti mox dicemus.

*Ex Aimoino lib. 1. c. 3.*

85 Sed quia *Franci paganis adhuc ritibus inseruiebant* (addit idem, ex Gregorio) *multae ciuitates Episcopis carebãt.* Vnde rectè notatum legimus in vita S. Euergisli Coloniensis Episcopi, Tungros hoc tempore (qualescũque demum erãt) rursus in idololatriam deuolutos. Quae causa fuerit, cur eò se ipse contulerit, tùm Pastoris solicitudine, tùm patriae amore. Vbi cum plebem reducere conaretur, a quibusdã seu latronibus lucrum aliquod ex eius caede sperantibus, seu idololatris haereticisue Religionem eius minimè ferentibus, interemptus est. Quã in historiâ, cùm Episcopi cuiusdam Tungrensis mentio fiat, etsi perexigua, eum ego quidem existimo, quem aliũde aduenisse, & in huius Ecclesiae viduitate Episcopalia munia obijsse volunt Annales nostri, *Candidum* nomine.

*Lib. 2. cap 10. S. Euergislus Tungros venit vbi & martyrio perimitur. Surius & Mol. 24. octob.*

86 Vixdum pacatas sedes in Belgicâ fixerant Franci; cum Attila circa initium anni 451. immensam secum trahens Barbarorum colluuiem, Rheno traiecto in eamdem Belgicam se diffundit. Vnde Sidonius; *Et iam terrificis diffuderat Attila turmis In campos se, Belga, tuos. Et in ipsa* (addit Gregorius) *sancti Pascha vigiliâ, ad Metensem vrbem reliqua depopulando peruenit; tradens vrbem incendio, populum in ore gladij trucidans. Inde egrediens cum multas Galliarum ciuitates opprimeret, Aureliam aggreditur.* Sed inde per Aëtium, eiusque auxiliares Gothos ac Francos (veritos nimirum ne nouâ Galliarum possessione pellerentur) repulsus primùm, deinde etiam in campis Cattalaunicis praelio superatus abscessit. Quem Aëtius in Thoringiam ad Rhenum vsque persecutus est. Haec ex Iornande, Gregorio, Sidonio, Idacio, Paulo Diacono, alijs. Quorũ nemo, quod mirere, aliam ab Aureliana ac Metensi ciuitatem obsessam vastatamue nominat, etsi multas alias fuisse Gregorius cẽseat. Adeò multas certe non fuisse, facile intelliget, quisquis Attilae expeditionem ineunte vere susceptam, fluente adhuc aestate confectam considerauerit; iter etiam eius expenderit, e Rheno per Campaniam Aureliam vsque, nec vltra, recta serie institutum; hinc Francis e Germaniâ Inferiore, illinc ab Aquitaniâ Gothis, exercitûs illius latera prementibus. Primus (quod sciam) Treuiros ab Hunnis sub Attilâ direptos, & Tungrense territorium deuastatum retulit Aimoinus, totis quadringentis annis hâc Attilae irruptione posterior. Eum deinde insecuti Harigerus, Sigebertus, Aegidius, & alij. Sed vt sincere sensus meos aperiam, vix inspicio quid in Treuirensi vrbe Attilae diripiendum occurrerit, post continuatas quatuor eius euersiones,

*ATTILAE in Belgicam irruptio.*
*In Paneg. Auiti.*
*Libr. 2. c. 6.*
*De reb. Get. c. 37. 38.*
*In chron.*
*Lib. 15. hist. misc.*
*L. 2. c. 7.*

nes, tam fido Saluiani doctissimi Patris, & huius æui Scriptoris testimonio confirmatas. Nisi forte cadauer ipsius ciuitatis, aut ciuitatẽ instaurari cœptam vastauerit. Cautiùs dicitur, Tungrense non oppidũ sed territorium deuastatum. Prorsus, vt qui celebre illud D. Seruatij vaticinium ad Attilæ tempora referunt, vix quo se explicent inueniant, & difficultates supra allatas non satis expediant. Sed nos reliqua Francorum nondum Christianorum in Belgio expediamus.

*Lib. 6.*

*Aimoinus lib. 1. cap. 6.*

86 *Merouæo* Francorum Rege vitâ functo, succedit filius *Childericus*, circa annum Christi 455. Quo eodem anno Roma à Geiserico Vandalorũ Rege capta est ac spoliata. & *Maximus* tunc Tyrãnus *Auitum* paulo post Augustum in Gallias misit: in quibus, vt canit Sidonius, *Francus Germanum primum, Belgamq́, secundum Sternebat.* pactis videlicet, quæ cum Romanis inierat, morte Valentiniani solutis. Et quia antea Germaniã secundam occupauerat, ad Primã seu Superiorem, & reliquas vtriusque Belgicæ partes gradum faciebat. Quò fortè spectat, quod narrat Aimoinus, *Francos factione Lucij consularis, sub Auito Galliarum Augusto, Treuirorum vrbem* (qualiscumque tùm erat) *peruasisse*; & deinceps, vt puto, possedisse. Sed tumultus ille tertio mense sedatus est, vt idẽ Sidonius; seu timore Auiti, vt ipse innuit; seu pace initã; seu odio ipsius Regis Childerici. Nam paulo pòst Franci, cum suas ab eo filias stuprari viderent, regno eiectũ in Thoringiam trãsrhenanam fugere coëgerũt, ac *Aegidium* magistrũ militum recẽter à Romanis, Auito mortuo, in Gallias missum circa annum Domini 457. sibi Regem ad sciuerunt. Quo iam octauum annum super eos regnante (ait Greg.) Childericus ab amicis à Thoringiã, quò fugerat, reuocatus, circa annum 464. in regnũ restitutus est. victo prius ad Barrum castrũ Ægidio; qui fusus, Suessione reliquum vitæ quietus exegit. Inde Francus Parisios longã obsidione pressit, expugnauitque: *Aurelianis pugnas egit*: Andegauos cum *Odouacrio* Saxonum Duce cepit, cæso *Paulo* Comite Romanorum. Nec multo post S. Remigius anno ætatis 22. Remorum Archiepiscopus ordinatur.

*CHILDERICVS Rex Francorum*

*Greg. Tur l. 2. c. 9. 12.*

*In Paneg. Auiti.*

*Lib. 1 hist. c. 3.*

*Greg. Turon. L. 2. c. 11. 12.*

*Aimon. l. 1. c. 7.*

*Vita sanctæ Genouefæ apud Sur. 3. Ian.*

*Turon. l. 2. c. 18.*

*Hincm in vita sancti Remigij*

87 Childericũ expletis 26. regni annis, excepit filius CHLODOVÆVS, exeunte anno Christi 481. vel ineunte 482. vt ex eius obitu, ac Vocladensi pugna colligitur. Erant autem per ea tempora in Galliã Belgicã diuersi Francorum Reguli. Nam Frãci (ait Gregorius) *cum transacto Rheno Thoringiã transmeassent, ibi iuxta pagos vel ciuitates, Reges crinitos super se creauerunt, de primã, & vt ita dicam, nobiliori suorum familiã. Quod probatum postea Chlodouai victoria tradidere; idq́, in sequenti digerimus.* Ita nimirum, vt Coloniam Agrippinam *Sygibertus*, Cameracũ *Ragnacharius*, *Chararicus* item incertam quamdam Galliæ Belgicæ partem obtinerent. omnes ipsius Chlodouæi consanguinei, eâdem stirpe regiã editi; ita tamen vt Chlodouæum superiorem agnouisse videantur. Chlodouæus igitur cum dicto parente suo Ragnachario, anno regni sui 5. Christi 486. *Syagrium* Romanum Ægidij successorem ac filium, prælio victũ Galliæ imperio ac vitã exuit. Quinto inde anno, Christi 491. *Thoringis*

*CHLODOVAEI Frãcorum Regis initium.*

*Lib. 2. c. 9.*

*Diuersi Francorum in Belgicã Reguli.*

*Turon l. 2. c. 40. 41. 42.*

*Ibid. c. 27. In vita sancti Remigij. Greg. Tur. l. 2. c. 30. & 37.*

*bellum intulit, eosdemq; suis ditionibus subiugauit.* Anno autem 496. regni sui 15. (vt vult Hincmarus) apud *Tolbiacum* cum Alemannis decertans, auxiliante Sygiberto Coloniensi Regulo, cum iam cedentes suos videret, voto baptismi suscipiendi se obligat, si versâ in melius fortunâ vinceret. Votum secuta est victoria; victoriam, operâ S. Remigij, baptismus; baptismum denique noua ac lætior Ecclesiæ Gallicanæ facies.

## CAPVT VI.

### *Tungrensis seu Traiectensis Cathedra instauratio, & insequentium Episcoporum series ac tempus.*

*S. Remigius Belgicos Episcopatus restituit.*

*Sup. cap. 30.*

BElgicorum Episcopatuum, qui tot Barbarorum incursionibus, 89
& nascente Francorum adhuc idololatrarum imperio, defecerant, instaurationem, ad tempora studiumque S. Remigij Rhemorum Archiepiscopi, disertè referunt nostrates penè omnes Ecclesiæ. Idem de Tungrensi hac nostra confirmat Harigerus. Quod prima fronte dubium ingerit. Quid enim iuris Rhemorum seu Belgicæ secundæ Archiepiscopis, in Germaniæ Inferioris Ecclesias, quibus Metropolitani iure Coloniensem Episcopum præfuisse, supra vidimus? Sed quisquis D. Remigij auctoritatem, zelum, modumque procedēdi attenderit, rem facilem peruidebit. Erat omninò ille vir, baptizato Chlodouæo, Francorū omnium Apostolus, ac veluti quidam Patriarcha. Cumque ardentissimo Christianæ Religionis zelo teneretur; quâ pollebat auctoritate bene vsus, ad fidem in Aquilonari Belgica velluti postliminio restaurandam totus incubuit. Et ipsa etiam Agrippinensis sedes eius ope reuixisse videtur. Nam ego quidem mihi persuadere non possum, Episcoporum Coloniensium seriem post S. Euergislum non interruptam. Ab huius enim morte (paulo ante annum 440.) vsque ad tempus Ebregisili (de quo Gregorius Turonensis ad annū Childeberti 15. qui est Christi 590.) anni intercurrunt 150. Et tamen intermedij Episcopi duo tantū numerātur, Aquilinus seu Solinus, & Simoēnus. Quis credat tantum interuallū duobus dūtaxat Pontificibus expletū? Commodius omnino dicemus, à morte S. Euergisli, Agrippinensem Cathedram sub Francis adhuc infidelibus pastore priuatam adusque Chlodouæi Baptismum; post quem Aquilinus sedere cœperit, per 30. vel 40. annos; & per totidem Simoneus; vt sic Ebregisilus ille Gregorianus circa annum illum Christi 590. florere possit. Quod si stat (vt omnino stare puto) liquidò intelligitur, cur Tungrensis Cathedra Pastorem, non ab Agrippinensi æquè orbatâ, sed à S. Remigio recipere debu-

*Agrippinensiū Episcoporum series interrupta sub Francorum infideliū regno.*

*Lib. 10. c. 15.*

debuerit, qui auctoritate suâ non iure id à Chlodouæo Rege petierit.

Quo verò anno id factum, non satis constat. Nam Harigerus ad Remigij ætatem indefinitè refert. Ægidius ad Synodum primam Aurelianensem. Cuius tempus etsi non exprimat; pro more tamen Sigebertum secutus fuerit, qui eam anno 512. habitam vult; vt & Meyerus. Eruditissimus Baronius cum anno Christi 507. comparat. Alij ex quodam Concilio (ni fallor) volunt triennio post pugnam Vocladēsem, celebratam anno Christi 410. Vtcumque se res habeat, mihi quidem Tungrensem & cæteras Belgicas sedes ante Aurelianēsem Synodum restitutas pro comperto est. vt mox ostendam. *Quando Tungrisis seu Traiectensis Sedes restituta.*

90 Omnis quæ de temporum ratione instituitur disputatio, ad certum aliquem annum ac veluti terminum immobilem affigenda; ex quo temporum tam antecedentium quam sequentium veritas eruatur. Vno enim deprehenso temporis interuallo, cęterorum cognitio est expeditissima. Primus igitur titulus, & certum in Tungrensium Antistitum chronographia munimentū, occurrit DOMITIANI Huēsium patroni ætas. Is Concilio Aruernensi subscripsit in hanc sententiam: *Domitianus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Tongrorum, quod est Traiectum, subscripsi.* Habitum dicitur id Concilium in ipso textus exordio, *sexto Idus Nouembris, post Consulatum Paulini iunioris.* In Cōcilij autem Aurelianensis tertij fine, Paulini iunioris Consulatus comparatur cum 26. anno regni Childeberti Parisiorum Regis. Iam eum annum Childeberti 26. ex inita à nobis Francorum Regum chronologia constat in annum Christi 537. incurrere. Ergo anno sequēti 538. (qui est post consulatum Paulini iunioris) Aruernensi Concilio subscripserit Domitianus. Ergo sedis eius initium, ab huius anni exordio, quàm maximè serò, arcessendum. *Domitiani Episcopi Traiectensis initium*

91 Porro cùm ante Domitianum Traiecti sedisse nouem hi dicantur Episcopi, *Agricolaus, Vrsicinus, Designatus, Resignatus, Sulpitius, Quirillus, Eucherius, Falco, Eucharius*: si *Agricolaus* anno Christi 512. in Synodo Aurelianensi constitutus fuisset Tungrensis siue Traiectensis Episcopus, vt ex Sigeberto volunt Ægidius & Meyerus; planè nouem hos Episcopos interuallo annorum viginti quatuor arctare cogeremur. Quorum si nouemdecim, ex Meyeri sententia, Agricolao tribuantur, vix quinque anni octo alijs Episcopis relinquentur. Quod quis credat? Quod si ex Baronij sententia, Synodum illam Aurelianensem 1. cum anno Christi 507. pariemus; iam quidem quinque amplius annis interuallum illud produxerimus: sed ne sic quidem satis acquiescet animus. Quis enim credat, nouem Episcopos vix 29. annos explesse, quorum primo soli nouemdecim assignentur? Quid si etiam interregna computentur? Prorsus animaduerto, horum quoque Pōtificum Traiectensium tempora stirpemque, non amplius constare, quam Tungrensium illorū ante Seruatium. Harigerus certe & Ægidius, nuda dumtaxat horum nomina recensent. Itaque ad coniecturas proximè à vero distantes confugiendum. *Sup. Pag. 52. A. & pag. 53. B.* *Nouem primi Traiectenses Episcopi sunt obscuri. Vide § 29. & seqq. Sup. cap 30 31.*

*Tungrensis Sedis instauratio à Chlodouæi baptismo arcessenda.*

Vtinam Tungrensis Cathedræ instaurationem ad anteriora tempora referre licuisset! Sed cum nullum, vt id facerem, occurreret argumentum, præter Chlodouæi Regis baptismum; plane nobis in eo sistendum fuit. Baptizatus est à Remigio Chlodouæus, si Hincmaro fides, anno regni 15. circa pasca. qui ex initâ à nobis Chronologiâ, in Christi 496. incidit. Non dubito, quin Remigius, pace Gallicanis Ecclesijs, sub nouo hoc Cõstantino restituta, statim in Belgicarũ Ecclesiarũ restaurationem incubuerit. Cur enim distulisset? Placet itaque *Agricolaum* Tungrensi Ecclesiæ postliminio redditum Põtificem anno sequenti 497. vt ante me notauit Placentius, siue ratione hac eâdem, siue auctoritate fidi alicuius Codicis, siue casu. Ita nouem dictis Episcopis, 40. annorum interuallum inuenerimus. 93

*Item aliorum Episcopatuum Belgicorum. Tornacensis. Apud Sur. & Mol. 8. Iunij.*

Hunc autem annum restitutæ Sedis nostræ, cõfirmant & alij Belgij antiquiores Episcopi. Atque vt à Tornacensibus incipiam, constat *S. Medardum* Tornacensium proximè post S. Eleutherium Pontificem, paulo ante mortem Regis Lotharij senioris vita functum, 8. Iunij. Ergo, ex institutâ à nobis temporum ratione, anno Christi 561. Præfuit autem à morte S. Eleutherij annos totos 15. Cœperit igitur anno 546. quo & Eleutherius obierit. Iam *S. Eleutherium* 46. annos sedisse, omnibus in confesso est; ac per consequens anno Christi 500. plus minus, Episcopatum inijsse. Adde tres alios qui *Theodoro* Eleutherij decessori assignantur, plane in annum Christi 498. aut etiã 497. (si ordinationum interualla deduxeris) relaberis. Hunc eundem calculum optime Atrebatensibus aptaueris. Reuocemus *S. Vedasti* exordium ab eodem anno 497. si ei cum omnibus 40. Episcopatus annos attribuas, intelliges eum mortuum anno Christi 537. Inde duobus eius successoribus *Dominico & Vedulpho* intra 18. annos absumptis, *S. Gangerici* initium in annum Christi 555. incurrere videbimus. Addamus administrationis eius (vt passim omnes) annos 39. plane mortem eius ad annum Christi 594. referre cogemur, vt referunt antiqua Cameracensis & Atrebatensis Ecclesiæ monumenta. Idem fortassis erueremus in Episcopis Morinensibus, si plures nobis historiæ illorum suppeterent reliquiæ. Nec quod superest, ab hac opinione recedit. 94

*Atrebatensis, seu Cameracẽsis.*

*Apud Sur. & Mol. 11. Aug.*

*Morinensis.*

*Episcopi hi Traiecti residebant; & tamen communius Tungrenses dicti sunt.*

Maneat ergo fixum, Tungrensem Ecclesiam, vt alias Belgicas, Episcopos suos anno Christi 497. recepisse. Ab hoc ad annũ 438. per 40. solidos, annos nouem dicti sederunt Antistites, incertâ interualli illius partitione. Sederunt autem Traiecti ad Mosam; siue S. Seruatij exemplo iussuúe; siue quod Tungrensis Ciuitas tùm nulla esset. Et hæsit inibi fixa Sedes ad annum vsque Christi 709. quo duodecimus D. Huberti completur, per annos omnino 212. diutius vtique quam Tungris, quæ vnico tantùm proprio gloriari potest Pontifice, D. Seruatio. Qui tamen Traiecti resedêre Pontifices, non tam Traiectenses à domicilio, quam ab antiquissimæ Sedis nobilitate, Tungrenses appellati sunt. 95

Anno

96 Anno igitur, vt minimũ, 538. cœpit Domitianus, eiuſdẽque Nouẽbri Synodo Aruernenſi præſens ſubſcripſit. Iterum Synodo Aurelianenſi quintæ, anno Childeberti Regis 38. qui eſt Chriſti 549. Rurſum in Pariſienſi Synodo, quæ prima vocatur in tomis Conciliorum, reuera autem ſecunda eſt (vt bene notat Baronius) *Domitianus peccator* inter Epiſcopos ſubſcriptus reperitur; vt & Turonicæ ſecundæ, *15. Calendas Decembris* habitæ, *anno Chariberti Regis 6.* ſeu Chriſti 567. Vnde Domitianus hic, ſi Tungrenſis noſter eſt, ad eum annum peruenire debuerit. Scio Aimoinum hiſtoriæ Francorum libro 3. cap. 2. in pragmatico Childeberti, Domitiani cuiuſdam Carnotenſis Epiſcopi mentionem facere. Sed mendum id eſſe conuincitur ex Catalogo Epiſcoporum Carnotenſium, qui nullum huius nominis agnoſcit Epiſcopum. Imo Concilia huius æui Chalactericũ ſeu Caletricũ Carnotẽſem Epiſcopũ ingerunt. Eruditiſſimus Baronius *Domitianum* hũc peccatorem Catalaunenſi Eccleſiæ attribuit. Et inter Paſtores ſuos vnum eius nominis ea Eccleſia veneratur, ſed qui longe ante hæc tempora vixerit, adeoque ex primis antiquiſſimæ illius ſedis clauum tenuerit. Vnde donec certiori argumento conuincamur, Domitianum hunc certum eſt Tungrenſi ſeu Traiectenſi Eccleſiæ cum Molano vindicare. Et quid obſtat, quin tam celebrem Pontificem paulo vltra triginta annos Tungris pontificio iure præfuiſſe contendamus? Ita quod habes ſupra ex annotatione marginali & coniectura Ægidij, Domitianum mortuum circa annum domini 560, lege 570. vt ſic tribus circiter annis Turonicæ ſecundæ Synodo, anno 567. habitæ cui ſubſcripſit, ſupereſſe, & in vniuerſum 33. vel 34. annos in pontificatu tranſigere potuerit. Atque hoc primum eſt certum in Tungrenſium Epiſcoporum chronographio interuallum, à baptiſmo ſcilicet Chlodouæi anno 496. ad Domitiani huius exordia, ſeu annũ Chriſti circiter 538. ac deinde ad eiuſdem mortem ſeu annum Chriſti plus minus 570.

*Domitianus interfuit Concilio Aruernenſi Anno Chriſti 538. Item Aurelianenſi 5. anno 549. Item Pariſienſi 2. To. 7 anno 557 Item Turonico. 2. anno Chriſti 567.*

*Tomo 7. anno 570.*

*In Natal. 7. Maij.*

*Pag. 57. C.*

*Domitianus præfuiſſe videtur annos circiter 33. vel 34.*

97 Secundum interuallum eſt, ab Domitiani morte, ad S. Amandi inaugurationem. Ea contigit paulo poſt baptizatum ab eo Sigebertum Dagoberti filium, cum puer 40. dierum reſpondit *Amen*, vt in vita S. Amandi legitur. Sigebertum autem natum ſub finem anni octaui Regis Dagoberti, teſtatur Appendix ad Gregorium Turonenſem, & Aimoinus. Iam ex initâ temporũ ratione, annus octauus Dagoberti concurrit cũ Chriſti 636. Baptizatus igitur fuerit Sigebertus circa finem eiuſdem anni, aut (vt ſummũ) initiũ 637. ergo Amandi conſecratio, quæ paulo poſt hunc baptiſmum contigiſſe dicitur, exeunte anno 637. peracta fuerit. Quod aptiſſimè confirmant vetera Cœnobij Elnonenſis, ſeu S. Amandi monumenta, quæ ordinationem eius celebrant 7. calendas Nouembris. Nec dubium quin ea ordinatio die dominicâ pro more celebrata ſit. quæ rectè in 7. calend. Nouemb. ſeu 26. Octob. incurrit eo Chriſti anno 637. Ita à Domitiani fine ad S. Amandi exordia, interuallum habebimus annorum 67.

*Initium ſancti Amandi certũ. Apud Sur. & Mol. 6. Febr.*

*Cap. 59. l. 4. c. 20.*

*Apud Mol. 6. Febr.*

*Monulphi tempus.* *Sup. pag. 60. B.* *In Natal. 16. Iulij.* *Et Gondulphi 16. Iulij.* *Item sancti Perpetui.* *Ioannis Agni.* *An fuerit Ebregisus.* *Sup. pag. 65. cap. 36.* *Videtur insititius.* *In præfatione ad Annonem Archiep.*

Qui intermedijs Episcopis ita communiter diuiduntur, ex antiquis Traiectensis Ecclesiæ historijs: *Monulpho*, qui Domitianum in Episcopatu excepit, annos 39. dant Ægidius & Molanus. Monulphus igitur obierit anno Christi 609. aut 610. *Gondulpho* Monulphi successori annos 7. assignat ex eadem Ecclesia Traiectensi Molanus. obierit ergo anno circiter 616. aut 617. *Perpetuo* Dionantensium tutelari annos 13. ita corpore exutus fuerit anno 630. aut 631. Aliquid enim Episcoporum interregnis relinquendum est. *Ioanni* denique *Agno* Amandi decessori annos tribuunt 6. ac consequenter mortem eius in annum circiter 637. conferre necessum est.

Quis ergo reliquus erit *Ebregiso* locus, quem Harigerus Perpetuo successorem assignat; Ægidius etiam plusquam 14. ānos sedisse vult? ab anno scilicet (vt putat) 611. ad 625. Vel hinc videre potes, candide Lector, quod ante nos alij multi peruiderunt, Ebregisū hūc insititiū esse: planeque veram Coloniensium illorum apud Anselmum esse sententiam; qui volebant, quem nos hic vocamus Ebregisum, eum ipsum esse S. Seuerini discipulum & successorem *Euergislum*. Qui cum Tungris natus, ibidemque martyrio coronatus ac sepultus diceretur, & insuper Episcopus; vulgus simplici epithetorum coniunctione Tungrensem Episcopum existimauit; cum Tungrensis tantum patriâ esset ac sepulturâ, dignitate autem Coloniensis Episcopus. Hinc factum, vt quidquid de vero illo Euergislo Coloniensi legimus, id totum (præter mortem & paucula, in quibus hallucinantur) insititio huic Ebregiso assuatur; siue vitam, siue translationem à Brunone factam, siue denique diem mortis consideres; vt doctissimè annotatum habes à Domino Chapeauuillio. Denique, qui tempore Anselmi Ideque Abbatissæ viuebant Colonienses, Ebregisum hunc non nouerant; ita neque hodierni, vt ad me scribit *Stephanus Broelmanus* vir sane in huiusmodi rebus benè versatus. Vnde igitur Anselmus, tam certus Annoni 2. Archiepiscopo testatur, Coloniam vnius è Tungrensibus Episcopis cineres asseruare? Vnde tam fidenter pro se aduocat Trumoniæ indigenas ita perhibentes, vacuumque eius sepulchrum etiamtùm magno honore ostentantes? Sane ex Gregorio Turonensi constat, anno Childeberti iunioris Regis Austrasiorum 15. seu Christi 590. Agrippinensem floruisse Episcopum Ebregisilum. Si coniecturæ locus est, potuerit hic & Tungrensis patriâ, & in villâ Trumoniâ sepultus fuisse; ac deinde ab S. Brunone 1. Coloniensi Archiepiscopo, si non vt Sanctus, saltem vt loci illius Episcopus asportari, atque ita vulgari huic sententiæ ansam dare. Et tempora vtriusque non admodum difformia sunt. 98

*Sup pag. 67. 68.* *Lib 10. c. 15. & lib. 9. c. 28.*

*S. Amādus tres solidos ān fuit Traiectensis episcopus. Sup. pag. 78. & alibi.*

Cum S. Amandus Traiectensem sedem triennium totum tenuisset, eam *Landoaldo* Archipresbytero tanquam vicario suo reliquit, anno 641. per nouem insequentes annos solidos. Tandem oneris pontificij pertæsus, à Martino primo Papa, Episcopatu prorsus abeundi facultatem petijt. Extat Martini epistola petitionem abnegantis; data 99

paulò

paulo post Concilium Romanum 105. Episcoporum ab ipso Martino celebratum, mense Octobri anni 649. vt bene notat lumen historiæ Baronius. Sed paulo post impetratâ veniâ Amandum pontificatu decessisse constat, ac S. Remaclo successori circa annum 650. dignitatē reliquisse. *Tomo 8. anno 649.*

100 Nullus inde definitus Pontificum Traiectensium character apparet, ante mortem S. HVBERTI, primi Leodiensium Episcopi. Eam enim in annum Christi 727. incurrere duobus argumentis euincimus. Primùm, in fine vitæ S. Huberti expresse dicitur, sanctissimū eius corpus anno à morte sextodecimo, Carolomanni autem (filij Caroli Martelli) tertio, eleuatum. Satis constat Carolomāni huius, vt & fratris Pipini, annos ab anno 741. & quidem 22. Octobris (quo decessit eorum pater Martellus) ordiendos. ita tertius eorum annus ab 22. Octobris anni Christi 743. iniuerit. Cum igitur ea translatio facta sit 3. Nouembris, anno item tertio Carolomanni, plane ad eumdem Christi annum 743. referenda erit. Quod & litera dominicalis eius anni cōfirmat. nam eam translationem die dominicâ factam, eadem Vita S. Huberti expresse definit. Iam deme de annis 743. sexdecim completos, habebis annum 727. quo mortuum Hubertum supponimus. Alterum efficacius argumentum est; planeque annum illum translationis à morte eius sextumdecimum non labentem, sed completum accipiendum esse confirmat. S. Huberti discipulus & comes, dum Magistri vitam scribit, ait eum decessisse feriâ sextâ. Et veteres nostri Annales, in ijsque Placentius, aiunt eum mortis diem esse 3. Calendas Iunij, seu 29. Maij. Ergo obijt litera dominicali E. Ea conuenit anno 727. quo Hubertum corpore exutum statuimus. *Tempus mortis, sancti Huberti certum.* *Apud Sur. 3. Non.* *Ibidem.*

101 Ita certum habemus hic tertiū interuallū, ab S. Amandi egressu ad excessum S. Huberti, annorū omnino 77. quo quatuor tantum concluduntur Episcopi, *Remaclus, Theodardus, Lambertus, ac Hubertus*, omnes sancti. Si tempus quo vel Remaclus, vel Hubertus præfuere, satis constaret, pronum esset non minus hoc quam præcedens interuallum partiri. Sed tēpus quidem Pontificatus S. Remacli, nemo, quod meminerim, definiuit: Huberti autem variant. Sigebertus dum hunc sedisse vult ab anno Christi 698. ad 735. vniuersum tēpus Pōtificatus eius annorū 37. sciscit. Alij tacent. Alij cōmuniùs 30. cōcedunt: quos sequar. Ita eius ingressus cum vere anni 697. cōponetur. S. Lambertum communiùs volunt labente Episcopatus sui anno 41. cæsum, 17. Septembris; igitur cœperit ineunte anno Christi 656. aliquot mensibus post martyrium S. Theodardi, quod apte Baronius refert in annum Christi 655. 10. Septembris. & quidem (vt passim Annales nostri) anno pontificatus eius secundo. Ita cœperit anno 653. Remacli autem Pontificio tantum relinquetur spatij, quantum inter annum 650. labentem, & 653. interiacet; quod est triennium solidum. *In Chronico.* *Tempus sanctorum Huberti, Lamberti, Theodardi, & Remacli.* *In Martyrol.*

102 Sed coronidis loco lubet hic annum quo S. Lamberti corpus Traiecto-

iecto Leodium à S. Huberto translatum est, accuratius inquirere. Hunc enim diem, LEODIVM, ceu primum dignitatis & fælicitatis suę parētem agnoscere debet. Vita S. Huberti antiquissima fidissimaque, & ex eâ Ægidius, Translationem eam factam volunt anno Pontificatûs Huberti duodecimo, nimirum completo: Nam Renerus habet decimo tertio, scilicet inchoato. Ità enim auctores hi benignè conciliari possunt. Iam annos Pontificatûs Huberti ab anno Christi 697. arcessiuimus. Nam etsi Nicolaus velit eodem die & Hubertum Romæ Pontificali infulâ, & Lambertum Leodij martyrij laureâ coronatos, qui fuit 17. Septembris, anno Christi (vt credimus) 696. tamen ab insequenti primùm anno Huberti Pontificatum inchoamus: tùm quòd illius rei Godeschalcus, Stephanus, & Renerus non meminerint: tùm verò quòd planè verisimile sit, Hubertum Episcopatûs sui possessionem non adijsse, nisi vere anni 697. cùm Româ redux à Traiectensi Clero, & Principe Pipino, Iupiliæ in hac diœcesi vt plurimùm agente, tanquam legitimus Lamberti successor receptus est. Primo igitur anno S. Huberti à vere istius anni 697. deducto, duodecimus eius exibit, inibitque decimus tertius vere anni 709. Iam Translationis eius diem ex tabulis Ecclesiasticis tenemus 28. Aprilis qui aptissimè eo anno 709. Dominicus erat, quo tales solennitates vt plurimùm peragi solent. Ergo 28. Aprilis, anno Christi 709. die dominico, S. LAMBERTI CORPVS VNA CVM EPISCOPALI DIGNITATE Traiecto LEODIVM, quod fœlix esset ac faustum, TRANSLATVM EST. Vbi iam tertium supra nongentesimum annum ad finem decurrentem fæliciss imè perseuerat. Atque vtinam diutius fæliciusque perseueret! Da tu, ô magne Deus.

Nec plura de Episcoporum Leodiensium temporibus hic edisseram. Clariora enim sunt; & in tabulis Chronologicis apertè expandentur.

*Finis Disputationis Historicæ.*

CHRO-

*TRANSLATIO S. LAMBERTI, & SEDIS EPISCOPALIS TRAIECTO LEODIVM.*

*Quando contigerit. Apud Sur. 3 Nouēbris*

*Sur. pag 132. C.*

*Sup Vitæ sancti Lamberti cap. 26.*

*Sup. Vitæ sancti Lamberti cap 17.*

*Vide suprà pag. 407. C.*

*Vide Aegid suprà pa. 130. D. & 131. A.*

*Ita etiam innuit Godeschalcus sup. cap. 14*

# CHRONICON EPISCOPORVM TRAIECTENSIVM AD MOSAM, SEV LEODIENSIVM.

Ab anno Christi 496. ad 1048.

## PRÆFATIO.

*QVod ab Africano, Eusebio, Hieronymo, Prospero, multisque alijs doctissimis antiquissimisque Patribus factum videmus, & ab insequenti posteritate magnâ admiratione, animique ardore receptum; id ego, Candide Lector, mihi faciendum duxi in Episcopis Leodiensibus. Chronicon, inquam, breue contexui, quo res eorum cum externorum historiâ composit e, certiores ac iucundiores euaderent. Temporis enim annotatio, lux quædam veritatis est, & quasi anima historiæ Apud quos autē tēporis ratio non cohæret, vt rectè Tatianus vetustissimus in Ecclesiâ scriptor, apud illos neq; veritatis, neq; fidei historiæ ratio vlla cōstare potest. Quid verò iucundius, adeoque etiam diuinius, quàm tempus quodammodo fugitiuum reuocare, præsensque tabulis sistere, ac quasi iterum ante oculos fluat, velut ex altiore speculâ otiosè considerare? Quo autem Tabulæ certiores essent, notas seu characteres temporum separatim annotaui, quorū in Computo ecclesiastico passim vsus est: quales sunt Cyclus Solis seu Litera Dominicalis, Cyclus Lunæ seu Aureus numerus, & Cyclus Indictionum. Horum enim beneficio, cùm aliquid certo quodam festo mobili, certâ feriâ, certâ die mensis, certâ Indictione factum refertur; statim suo illud Christi anno, etsi hic minimè proferatur, certissimè adfigitur. Et Characteres quidem, qui in Episcoporum Leodiensium serie nobis hactenus occurrerunt, suprá, Disputationis capite vltimo, notauimus; saltem ad mortem vsque S. Huberti, seu annum Christi 727. ceteros clariores in Tabulis expensuri Qui autem in Regum Francorum Chronologiâ (quam hic penè per omnia Gregorij Turonensis historiæ conformem exhibemus) sese obtulerunt, ad calcem Tabularum preponemus. Ab horum enim Regum temporibus, nostras omnis antiquior supputatur historia; cùm Aera Christi Dionysiana,*

*quâ iam paßim vtitur Ecclesia, vix ante 750. Christi annum in vsu fuisse videatur; omniaq́ solis Regum aut Imperatorũm annis signata sint. Debuit ergo res hæc accuratius expendi; eo magis, quo plerisq́. visa est intricatior; & Sigeberti Chronicon vulgarem illam Christi Epocham, à Dionysio Exiguo statutam, & ab Ecclesia receptã, biẽnio solido, subinde & triennio anticipet, saltem ante annum Christi 700. circa quem in eamdem relabi videtur.*

*Tabularum autem initiũ à Chlodouæi primi Regis baptismo deducitur: quòd ab illo potißimum series Episcoporum nostrorum continuata sit. Huius enim rei ergo maximè hoc opus suscepimus: quod nihil est aliud quàm Historia sacra Tungrorũ seu Leodiensium, ac ex occasione etiam viciniorum elucidatio. Vnde & Harigeri, Anselmiq́, ac Aegidij lectionem supponit. Tu fruere, lector, & hunc laborem boni consule, maioris operis promulsidem. Vale è Collegio Leodiensi Societatis IESV 19. Februarij, Dominicâ Septuagesima. 1612.*

| Anni Chrif. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | EpiTraiec. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 496. | 5 † | 5 | 15 | | *Chlodouæus anno regni sui 15. contra Alemãnos ad Tolbiacum dubio marte dimicans, voto baptismi suscipiendi vincit. Victor baptizatur à S. Remigio, cooperãte S. Vedasto. Tur. l. 2. c. 30. 31. Hincm. Vita S. Vedasti. Gelasius Papa moritur 11. Cal. Decemb. subrogatur Anastasius. Baronius.* | 1 GF | 3 | 4 |
| 497. | 1 | 6\|6 | 16 | Agricolaus | *S. Remigius Remensis Archiepiscopus, Episcopos & fidem Christianam in Belgio restituit. Agricolaus Tungrensibus datur Episcopus; qui resides Traiecti: Atrebatensibus & Cameracensibus S. Vedastus; Tornacensibus Theodorus, Morinensibus Antimundus. Forte etiam Coloniensibus Aquilinus. Adi Disp. c. 6. § 89.* | 2 E | 4 | 5 |
| 498. | 2 † 1 | 7\|7 | 17 | 1. Traiectensis ad Mosam Episcopus. | *Anastasius Papa moritur 16. Cal. Decemb. Succedit Symmachus 10. Cal. Baron.* | 3 D | 5 | 6 |
| 499. | 1 2 | 8\|8 | 18 | | | 4 C | 6 | 7 |
| 500. | 2 3 | 9\|9 10 | 19 | | *Theodorus Tornacensis episcopus moritur post tres annos sedis. Mol. Sig.* | 5 BA | 7 | 8 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Epi Traiec. | RES GESTÆ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 501. | 3 / 4 | 10 / 11 | 20 | | *S. Eleutherius fit Tornacensis Episcopus initio huius anni, sedetque per annos totos 45. Mol. adi Disput. c. 6.* | 6 G | 8 | 9 |
| 502. | 4 / 5 | 11 / 12 | 21 | | | 7 F | 9 | 10 |
| 503. | 5 / 6 | 12 / 13 | 22 | Vrsicinus. | *Agricolaus Episcopus Tungrensis circa hunc annum moritur, vt volunt recentiores, anno 7. Episcopatus sui, nonis Februarij. succedit Vrsicinus.* | 8 E | 10 | 11 |
| 504. | 6 / 7 | 13 / 14 | 23 | | | 9 DC | 11 | 12 |
| 505. | 7 / 8 | 14 / 15 | 24 | | *Vrsicinus Tungrensis Episcopus moritur vt volunt anno 3. episcopatus sui Cal. Octob. succedit Designatus.* | 10 B | 12 | 13 |
| 506. | 8 / 9 | 15 / 16 | 25 | Designatus. | | 11 A | 13 | 14 |
| 507. | 9 / 10 | 16 / 17 | 26 | | *Chlodoueus Rex Francorum contra Alaricum VVisigothorum Regem ad Vocladum pugnat, & vincit; hyemem Burdegalæ transigit. Greg. Tur. l. 2. c. 37. & Baron. hoc anno, ex Isid.* | 12 G | 14 | 15 |
| 508. | 10 / 11 | 17 / 18 | 27 | Resignatus. | *Designatus episcopus Tungrensis seu Traiectensis moritur, vt volunt anno 3 episcopatus sui, Idib. Ianuarij. Succedit Resignatus.* <br> *Chlodoueus Rex cum Theodorico Ostrogothorum in Italia Rege (qui auxilium VVisigotis hoc anno in Gallias miserat) pace factâ, & Aquitania sibi retenta, Turonos ad Basilicam S. Martini velut triumphans venit. Inde Parisios. Greg. Tur. 37. 38. Baron. ex Proc. Caßiod. Iorn.* | 13 FE | 15 | 1 |
| 509. | 11 / 12 | 18 / 19 | 28 | | *Chlodoueus Rex Sygibertum Francum Coloniæ Agrippinæ Regulum à filio Chloderico dolose occidi procurat. Mox ipse regnum eius inuadit. Greg. Tur. l. 2. c. 40. Idem fecit alteri cuidam Chararico incertæ partis Franciæ regulo. ibid. c. 41.* | 14 D | 16 | 2 |
| 510. | 12 / 13 | 19 / 20 | 29 | | *Ragnacharius Rex Cameraci à Chlodoueo regno & vita spoliatur. Greg. Tur. l. 2. c. 42.* <br> *Synodus Aurelianensis prima triennio post pugnam Vocladensem.* | 15 C | 17 | 3 |

# RES GESTÆ

| Anni Chrif. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Epi Traiec. | Res Gestæ | Cy. lus Solis. | Cyclus Lũæ. | Ind:ctiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 511. | 13 14 | 20 21 | 30 † 1 | | *Chlodoneus Francorum Rex moritur 21. aut 23. Nouemb. anno regni sui 30. à morte S. Martini 112. per 10 aut 12. dies inchoato, post pugnam Voclodensem; Vide ad calcem Tabularum. Succedunt 4. filij Theodoricus, Chlodomeris, Childebertus, & Chlotharius. Tur. l. 2. c. 43. & l. 3. c. 1.* *Resignatus episcopus Traiectensis moritur, vt volunt Cal. Dec. anno episcopatus sui 4. Succedit Sulpitius.* | 16 B | 18 | 4 |
| 512. | 14 15 | 21 22 | 1 2 | Sulpitius | | 17 AG | 19 | 5 |
| 513. | 15 16 | 22 23 | 2 3 | | | 18 F | 1 | 6 |
| 514. | 16 † 1 | 23 24 | 3 4 | | *Symmachus Papa moritur 19. die Iulij. Septimo inde die succedit Hormisda. Baron. Vnde epistola Hormisdæ Papæ ad Chlodoneũ, apud Hincmarum in vita sancti Remigij, suspecta est. nam Chlodoneus, triẽnio ante obierat. erit forte epistola Symmachi.* | 19 E | 2 | 7 |
| 515. | 1 2 | 24 25 | 4 5 | | | 20 D | 3 | 8 |
| 516. | 2 3 | 25 26 | 5 6 | | *Circa hunc annum Dani regnum Theodorici Austrasiam ad mare populantur sed repelluntur cæso eorum Rege Chochilaico. Turon. l. 3. c. 3. Sigeb.* | 21 CB | 4 | 9 |
| 517. | 3 4 | 26 27 | 6 7 | | | 22 A | 5 | 10 |
| 518. | 4 5 | 27 28 † 1 | 7 8 | | *Anastasius Imp. fulmine interit 9. Iulij Marcell. Euagr. Zonar. Succedit 10. Iulij die dominico Iustinus. Iidem & Baron.* | 23 G | 6 | 11 |
| 519. | 5 6 | 1 2 | 8 9 | Qui- | *Sulpitius Episcopus Traiectensis moritur, vt aiunt 15. cal. Febr. anno episcopatus sui 8. Succedit Quirillus.* | 24 F | 7 | 12 |
| 520. | 6 7 | 2 3 | 9 10 | rillus | *Circa hunc annum habitum est Concilium Agaunense (quod corruptè Epaunense vocatur in tomis conciliorum) sub Sygismundo Rege Burgundiæ, qui Agaunense monasterium construxit. Tur. l. 3. c. 5.* | 25 ED | 8 | 13 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 521. | 7 8 | 3 4 | 10 11 | Eucherus | *Quirillus episcopus Traiectensis moritur, vt volunt post duos annos episcopatus sui, pridie Cal. Maij. Succedit Eucherus, quem Aegidius pag. 54. vult praefuisse paucis annis. Vulgariter tamen dant ei annos 8.* | 26 C | 9 | 14 |
| 522. | 8 9 | 4 5 | 11 12 | | | 27 B | 10 | 15 |
| 523. | 9 † 1 | 5 6 | 12 13 | | *Hormisda Papa moritur 6. Augusti. Succedit Ioannes Hetruscus. Baron.* | 28 A | 11 | 1 |
| 524. | 1 2 | 6 7 | 13 14 | | | 1 GF | 12 | 2 |
| 525. | 2 3 | 7 8 | 14 15 | | *S. Remigius Archiepiscopus Remensis circa hac tempora moritur. Colligitur ex Conc. Aruernensi.* | 2 E | 13 | 3 |
| 526. | 3 † 1 | 8 9 | 15 16 | | *Ioannes Papa moritur Rauenna, rediens Constantinopoli. 27. Maij. Succedit Felix 24. Iulij.* *Boëthius à Theodorico Rege Italiae occiditur. Ipse quoque Theodoricus vita fungitur 1. Sept. Bar.* | 3 D | 14 | 4 |
| 527. | 1 2 | 9 10 † 1 | 16 17 | | *Iustinus Imp. collegam imperij adsciscit Iustinianum Kalendis Apr. inde 4 mense moritur. Marcel. Zon. Bar.* *Chlodomer Rex Aurelianensium Sygimundum Regem Burgundionum capit. Tur. l. 3. c. 6.* | 4 C | 15 | 5 |
| 528. | 2 3 | 1 2 | 17 18 | | | 5 BA | 16 | 6 |
| 529. | 3 4 | 2 3 | 18 19 | Fal. | *Eucherus episcopus Traiectensis moritur 10. Cal. Martij, cum paucis annis praefuisset. supra pag. 54. A. Recentiores tamen ei 8. annos assignant. Succedit Falco.* *Theodericus Rex Austrasiae cõtra Tharingos pugnat. sanctã Radegundem captiuam abducit. Tur. l. 3. c. 7.* *Iustinianus Imp. Codicem promulgat 7. Febr. Baron.* | 6 G | 17 | 7 |
| 530. | 4 5 † 1 | 3 4 | 19 20 | 10. | *Felix Papa moritur 12. Octob. Post 3. dies creatur Bonifacius. Baron.* | 7 F | 18 | 8 |

| Anni Chrif. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Anni Regñ Metensium seu Austrasiae | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 531. | 1 † | 4 | 20 | | | *Bonifacius Papa moritur 17. Octob. Succedit Ioannes Mercurius. Anast. Bar.* | 8 E | 19 | 9 |
| 532. | 1\|1 | 5\|5 | 21\|21 | | Eucharius. | *Falco Traiectensis seu Tungrensis Episcopus moritur, post paucos annos supra. pag. 54. A. Succedit B. Eucharius.* | 9 DC | 1 | 10 |
| 533. | 2\|2 | 6\|6 | 22\|22 | | | *Aurelianensis Synodus 2. 9. Cal. Iulij anno 22. Childeberti Regis, Conc. Belisarius Dux Charthaginem à Vandalis recipit Bar. Iustinianus Digestum promulgat 30. Decembris. Bar.* | 10 B | 2 | 11 |
| 534. | 3\|3 | 7\|7 | 23\|23 | 1 | | *Theodoricus Chlodouei filius, Mesensium seu Austrasiæ in Francia Rex moritur anno 23. regni sui, ipso anni exordio. Succedit filius eius Theodobertus annos 14. Turon l. 3. c. 23. & colligitur ex Cassiod. ep. 1. lib. 11. Vide Baronium anno Christi 531. pro nobis optime argumentãtem.* | 11 A | 3 | 12 |
| 535. | 4\|4 † | 8\|8 | 24\|24 | 1\|1 | | *Ioannes Papa moritur circa Febr. Succedit Agapetus.* | 12 G | 4 | 13 |
| 536. | 1\|1 2 † | 9\|9 | 25\|25 | 2\|2 | | *Agapetus Papa moritur cum rediret Constantinopoli Succedit Syluerius per vim à Theodato Gothorum Rege intrusus.* | 13 F | 5 | 14 |
| 537. | 1\|1 | 10\|10 | 26\|26 | 3\|3 | | *S. Vedastus Atrebatẽsis episcopus moritur 6. Februarij, Succedit Dominicus. Aurelianensis Synodus 3. 4. Nonas mensis 3. (qui est Maius) Paulino iuniore consule, anno Childeberti Regis 26. Vitiges Gothorum in Italia Rex Frãcis donat quidquid in Gallia hactenus Gothi possederãt, pro auxilio. Belisarius Romam à Gothis recipit 9. Decemb. Bar.* | 14 ED | 6 | 15 |
| 538. | 2\|2 * | 11\|11 | 27\|27 | 4\|4 | 1 | *Eucharius Tungrensis seu Traiectensis episcopus moritur 3. Cal. Martij Aegid. supra pag 54. B. succedit Domitianus, sedetque annos circiter 33. vt supra diximus disp c. 6. §. 96. Syluerius Papa in exilium à Belisario pellitur. Sufficitur Vigilius. Bar. Aruernense Concilium habitum 6. Id. Nou. post consulatum Paulini iunioris. Ergo anno 27. Childeberti Regis Parisiensium.* | 15 C | 7 | 1 |
| 539. | 1\|1 | 12\|12 | 28\|28 | 5\|5 | 1 | | 16 B | 8 | 2 |
| 540. | 2\|2 3 | 13\|13 14 | 29\|29 30 | 6\|6 7 | 2\|2 3 | *Theodobertus Rex Austrasiæ in Italiam mouet: initio prospere: mox pestilentia aëris redire cogitur. Tur. Baron.* | 17 AG | 9 | 3 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christi. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Metē. | Epi Leod. | Res gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 541. | 3 — 4 | 14 — 15 | 30 — 31 | 7 — 8 | 3 — 4 | | 18 F | 10 | 4 |
| 542. | 4 — 5 | 15 — 16 | 31 — 32 | 8 — 9 | 4 — 5 | *Circa hunc annum habetur Synodus Aurelianensis 4.* | 19 E | 11 | 5 |
| 543. | 5 — 6 | 16 — 17 | 32 — 33 | 9 — 10 | 5 — 6 | | 20 D | 12 | 6 |
| 544. | 6 — 7 | 17 — 18 | 33 — 34 | 10 — 11 | 6 — 7 | | 21 CB | 13 | 7 |
| 545. | 7 — 8 | 18 — 19 | 34 — 35 | 11 — 12 | 7 — 8 | | 22 A | 14 | 8 |
| 546. | 8 — 9 | 19 — 20 | 35 — 36 | 12 — 13 | 8 — 9 | *S. Eleutherius Tornacensis episcopus moritur 20. Februarij, cum 45. totos annos præfuisset. Molanus. successit Medardus antea Noviomensis episcopus, per 15. annos. Ex hinc vtraque sedes coniuncta mansit. Idem. Adi desp. c. 6.* | 23 G | 15 | 9 |
| 547. | 9 — 10 | 20 — 21 | 36 — 37 | 13 — 14 †1 | 9 — 10 | *Totilas Gothorum Rex Romam capit, tertiam murorum partem diruit. Sed mox Belisarius eam recuperat, & fossis munit.* *Theodobertus Theodorici filius Rex Metensium seu Austrasiæ moritur. Succedit filius eius Theodonaldus annos 7. Turon l. 3 fin. videtur autem obijsse fine huius anni anno 37. à morte Chlodonæi, scilicet inchoato.* | 24 F | 16 | 10 |
| 548. | 10 — 11 | 21 — 22 | 37 — 38 | 1 — 2 | 10 — 11 | *Circa hæc tempora mortuo Dominico Atrebatensi episcopo succedit Vedulphus; qui sedem episcopalem Cameracum transfert.* | 25 ED | 17 | 11 |
| 549. | 11 — 12 | 22 — 23 | 38 — 39 | 2 — 3 | 11 — 12 | *Franci quædam loca prope Venetias occupant. Procop. Bar. Belisarius inglorius Constantinopolim redit. Bar.* *Aurelianense Concilium 5. 5. Cal. Nouemb. anno 38. Childeberti Regis Parisiorum, Indictione 13. quæ ab huius anni Septembri currit more Græcorum. Huic Synodo interfuit Domitianus episcopus noster. vide textū concilij.* | 26 C | 18 | 12 |
| 550. | 12 — 13 | 23 — 24 | 39 — 40 | 3 — 4 | 12 — 13 | *Roma iterum à Totila capitur, munitur, & illustratur Bar.* | 27 B | 19 | 13 |

# RES GESTÆ

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Metē. | Epi Leod. | RES GESTÆ | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 551. | 13 14 | 24 25 | 40 41 | 4 5 | 13 14 | | 28 A | 1 | 14 |
| 552. | 14 15 | 25 26 | 41 42 | 5 6 | 14 15 | | 1 G F. | 2 | 15 |
| 553. | 15 16 | 26 27 | 42 43 | 6 7 | 15 16 | *Sambuci arbor vuas profert, paulo ante mortem Regis Theodoualdi. Turon. l. 4. c. 9. & ex eo Sigeb. ac Aegidius pag. 57. A.*<br>*Narses in Italiam appellit, Totilam prelio vincit, & occidit: Succedit Teias, qui & paulo post occiditur. Atque ita regnum Gothorum in Italia finitur. Bar. Leutharis & Bucellinus Allemanni, Theodebaldi Regis Austrasiæ Duces in Italiam contra Narsetem expeditionem sumunt. Agath. l. 1.* | 2 E | 3 | 1 |
| 554. | 16 17 | 27 28 | 43 44 | 7 † 8 | 16 17 | *Theodoualdus Austrasiæ Rex moritur, anno 7. regni sui. Agath. lib. 2. & Turon. l. 4. c 9. Eius regnum occupat Chlotarius. Idem.*<br>*Bucellinus & Leutharis ad fines vsque Italiæ populando perueniunt sed mox funditus intereunt. Agathias lib. 2.* | 3 D | 4 | 2 |
| 555. | 17 † 1 | 28 29 | 44 45 | 8 9 | 17 18 | *Vigilius Papa moritur. Succedit Pelagius primus Bar. Mortuo Vedulpho Atrebatensi & Cameracensi episcopo succedit S. Gaugericus per annos 39. Vita. Mol.* | 4 C | 5 | 3 |
| 556. | 1 2 | 29 30 | 45 46 | 9 10 | 18 19 | *Pelagius Papa ad Childebertum Parisiorum Regem scribit, 15. post consulatum Basilij V. C.* | 5 B A | 6 | 4 |
| 557. | 2 3 | 30 31 | 46 47 | 10 11 | 19 20 | | 6 G | 7 | 5 |
| 558. | 3 4 | 31 32 | 47 48 | 11 12 | 20 21 | | 7 F | 8 | 6 |
| 559. | 4 5 | 32 33 | 48 49 | 12 13 | 21 22 | *Synodus Parisiensis prima, quæ vitiose 2. vocatur in tomis conciliorum, vt recte ostendit Baronius hoc anno Huic Synodo subscripsit Domitianus peccator, episcopus Traiectensis. Interfuit etiam Euphronius episcopus Turonensis. Cuius initium deducitur ab anno Christi 557. ex Tur. l. 10. fin.* | 8 E | 9 | 7 |
| 560. | 5 † 1 | 33 34 | 49 50 | 13 14 | 22 23 | *Pelagius Papa moritur cum sedisset annos 4 m. 10. d. 28. Bar succedit Ioannes 3.*<br>*Childebertus Parisiensium Rex moritur, senex Turon. l. 4. c. 20 Lotharius monarchiam Francorum obtinet. Agath lib. 2.*<br>*Sub finem anni Chramnus à patre Lothario Francorum Rege in Britannia comburitur. Turon. l 4. c. 20.* | 9 D C | 10 | 8 |

| Anni Christi | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Austr. | Epi. Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 561 | 1 · 2 | 34 · 35 | 50 · 51 † | 14 · 15 | 23 · 24 | S. Medardus Noviomensis & Tornacensis episcopus moritur 8. Iunij, & à Lothario Rege redeunte ab expeditione contra Chramnum apud Suessioné honorifice sepelitur cum 15. annos vtramque sedem rexisset. Vita. Fine huius anni moritur Lotharius, anno regni 51. inchoato. Tur. l. 4. c. 21. | 10 B | 11 | 9 |
| 562 | 2 · 3 | 35 · 36 | 1 | 15 · 16 | 24 · 25 | Succedunt Chlotario 4. filij. Chilpericus Suessionum, Haribertus Parisiorum, Guntrãnus Burgundionum, Sigebertus Austrasiæ Reges. Turon. l 4. c. 22. | 11 A | 12 | 10 |
| 563 | 3 · 4 | 36 · 37 | 2 | 16 · 17 | 25 · 26 | Chuni seu Hunni Gallias adpetunt; sed à Sygiberto Austrasiæ Rege fugantur, & pacem per Legatos faciunt. Chilpericus interim Sygiberti fratris absentis regnum peruadit. Sed Sygibertus victor rediens Suessionem occupat, Theodobertum Chilperici filium capit, annum totum detinet. Post pace facta reddit. Turon. l. 4. c. 23. | 12 G | 13 | 11 |
| 564 | 4 · 5 | 37 · 38 | 3 | 17 · 18 | 26 · 27 | | 13 F E | 14 | 12 |
| 565 | 5 · 6 | 38 · 39 † 1 | 4 | 18 · 19 | 27 · 28 | Circa hunc annum Sygibertus Austrasiæ Rex Brunichildem Hispanam in vxorem accipit. Nisi quis malit sequenti anno factum. Turon l. 4. c. 27. Iustinianus Imp. moritur 13. Nouemb. succedit Iustinus iunior. Euagr. | 14 D | 15 | 13 |
| 566 | 6 · 7 | 1 · 2 | 5 | 19 · 20 | 28 · 29 | S. Germanus Parisiensis Episcopus priuilegium concedit immunitatis Monasterio sancti Vincentij prope Parisios, anno 5. Chariberti Regis, 12. Cal. Sept. vbi Domitianus Traiectensis (non, vt vitiose legitur, Carnotensis) Episcopus subscriptus reperitur. Aimoin l. 3. c. 2. | 15 C | 16 | 14 |
| 567 | 7 · 8 | 2 · 3 | 6 | 20 · 21 | 29 · 30 | Turonense Concilium 2. 15. Cal Decembris anno 6. Chariberti Regis Parisiorum. Cui Domitianus peccator subscripsit. Adi disp cap. 6. § 96. | 16 B | 17 | 15 |
| 568 | 8 · 9 | 3 · 4 | 7 | 21 · 22 | 30 · 31 | | 17 A G | 18 | 1 |
| 569 | 9 · 10 | 4 · 5 | 8 | 22 · 23 | 31 · 32 | Charibertus Rex Parisiorũ moritur anno regni 8. excommunicatus à sancto Germano Parisiensi episcopo. Bar. ex Turon. l. 4. c. 26. | 18 F | 19 | 2 |
| 570 | 10 · 11 | 5 · 6 | 9 | 23 · 24 | 32 · 33 † | Domitianus Traiectensis episcopus moritur, Nonis Maij, pag. 57. C. vbi pro anno 560 lege 570. vt constat ex Concilio Turonensi paulo ante celebrato. Nisi forte quis ad sequentem annum referre malit. | 19 E | 1 | 3 |

S ſſ

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Reges Aust. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 571. | 11 12 | 6 7 | 10 | 24. 25 | 1 | *S Monulphus Sancto Domitiano in Episcopatu Tungrensi succedit. sedet annos 39 pag. 60. B. Posset tamen etiam cœpisse sequenti anno.* *Regi Austrasiæ Sigeberto ex Brunichilde nascitur filius Childebertus, & quidem die sancto Paseæ. Greg. Tur. l. 8. c. 4. & lib. 5. c. 1. iuncto Aimoino l. 3. c. 83.* | 20. D | 2 | 4 |
| 572. | 12 † | 7 8 | 11 | 25 26 | 2 | *Ioannes Papa moritur 3 Idus Iulij Vacat sedes menses 10. dies tres. Baron.* | 21 CB | 3 | 5 |
| 573. | 1 | 8 9 | 12 | 26 27 | 3 | *Benedictus Ro manus fit Papa 16. Maij. Bar.* *Anno à transitu S. Martini 173 ( non 172. vt corruptè legitur ) anno 12. Sigeberti Regis, moritur S Euphronius Episcopus Turonensis 4. Augusti. Succedit Gregorius post 19. dies. Greg. l. 2. mirac. S. Mart. c. 1.* | 22 A | 4 | 6 |
| 574. | 1 2 | 9 10 | 13 | 27 28 | 4 | | 23 G | 5 | 7 |
| 575. | 2 3 | 10 11 | 14 † | 28 29 † 1 | 5 | *Sigebertus Rex Austrasiæ contra Chilpericum fratrem, Regem Parisiorum mouet. Theodobertũ nepotem suum occidit; Chilperico Tornacũ fugato. Inde eum eum persequitur Tornacũ vsque, gladio confoditur dolo Fredegũdis. anno à morte, Theodeberti Regis Austrasiæ 29. scz inchoato. Turon. l. 4. fin. Childebertus patri Syziberto succedit, & coronatur in die Natali Domini, sub finem huius anni. Turon. lib. 5 c. 1. & l. 8. c. 4.* | 24 F | 6 | 8 |
| 576. | 3 4 | 11 12 | 15 | 1 | 6 | | 25 ED | 7 | 9 |
| 577. | 4 5 † 1 | 12 13 | 16 | 2 | 7 | *Anno 2. Childeberti Regis Austrasiæ dubietas pascæ fuit. Galli celebrarunt illud 14. Cal. Maij. rectè. Hispani 12. Cal. Aprilis malè. Turon. lib. 5. c. 17. ergo litera dominicalis erat C. Cyclus Lunæ seu Aureus numerus 8. plane ad hunc annum, vt vides.* *Benedictus Papa moritur 31. Iulij. Succedit Pelagius iunior 11. Nouemb.* | 26 C | 8 | 10 |
| 578. | 1 2 | 13 14 | 17 | 3 | 8 | *Circa hæc tempora sanctus Monulphus Dionantum castrum suum visitat, & sancto Seruatio donat. Supra, pag. 58 59.* | 27 B | 9 | 11 |
| 579. | 2 3 | 14 † 1 | 18 | 4 | 9 | *Iustinus Imp. moritur 4. Nonas Octobris. 4. anno Childeberti. Succedit Tiberius, qui etiam antea imperauerat Iustino amente effecto. Ita Turon. l. 5. c. 30. Onuph. & alij. & fauet Euagrius ex fine Tiberij.* | 28 A | 10 | 12 |
| 580. | 3 4 | 1 2 | 19 | 5 | 10 | | 1 GF | 11 | 13 |

| Ann. Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Austr. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 581 | 4 5\|5 | 2 3\|3 | 20 | 6 | 11 | *Circa hæc tempora S. Monulphus templum honorificum in honorem D. Seruatij Traiecti ædificat, & in illud corpus D. Seruatij ac sedem Episcopalem transfert. Suprà pag 54. D. ex Greg. Turon. de gloria Conf. c. 72.* *Pax stabilita inter Chilpericum & Childebertum Reges Francorum. Tur. l. 6. c. 3.* | 2 F | 12 | 14 |
| 582 | 6\|6 | 4\|4 | 21 | 7 | 12 | | 3 D | 13 | 15 |
| 583 | 7\|7 | + 1\|1 | 22 | 8 | 13 | *Tiberius Imp moritur, cum per se solum annos 4. imperasset, ait Euagrius. Succedit Mauritius anno 8 Childeberti Regis, ait Turon. l. 6. c. 30. quo anno pridie Cal. Febr. erat Dominica. Idem l. 6 c. 25.* | 4 C | 14 | 1 |
| 584 | 8\|8 | 2\|2 | 23 | 9 | 14 | *Chilpericus Parisiorum Rex cultro occiditur, mense circiter Septembri. Succedit filius eius Lotharius puer 4. mensium. Greg. Tur. l. 6. c. 46.* | 5 BA | 15 | 2 |
| 585 | 9\|9 | 3\|3 | 24 | 10 | 15 | *Theodobertus Childeberto Regi Austrasiæ filius nascitur, & à Magnerico Episcopo Treuirensi baptizatur. Turon. l. 8. c. 37.* | 6 G | 16 | 3 |
| 586 | 10\|10 | 4\|4 | 25 | 11 | 16 | | 7 F | 17 | 4 |
| 587 | 11\|11 | 5\|5 | 26 | 12 | 17 | *S. Radegundis moritur Pictauis 13. Augusti. feria 4. & sequenti mense Theodoricus filius Regi Childeberto nascitur. Turon. l. 9. c. 2. & 4.* | 8 E | 18 | 5 |
| 588 | 12\|12 | 6\|6 | 27 | 13 | 18 | | 9 DC | 19 | 6 |
| 589 | 13\|13 | 7\|7 | 28 | 14 | 19 | | 10 B | 1 | 7 |
| 590 | + 1 | 8 | 29 | 15 | 20 | *Pelagius Papa moritur peste, 6. Idus Februarij. Nec multo post S. Gregorius Magnus successor eligitur, etsi ante Septembrẽ consecratus non sit. Bar. Dubietas Paschæ, quod Luna 15. in dominicam incideret. Terræ motus factus 18. Cal. mensis quinti, seu Iulij; id est, 14. Iunij. die 4. id est feria 4. Ergo hoc anno, non 588: vt vult Scaliger.* | 11 A | 2 | 8 |

| Ann. Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Aust. | Epi. Leod. | RES GESTÆ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 591. | 1 / 2 | 8 / 9 | 30 | 16 | 21 | *Fredegūdis Regina, vidua Chilperici Regis, TORNACI tres viros Frācos in conuiuio bipenne interimis. Tornacenses eam interimere volētes missis ad Childebertum Regem Legatis. Sed illa aufugiens Parisios venit. Turon. l. 10 c. 27. 28.* | 12 G | 3 | 9 |
| 592. | 2 / 3 | 9 / 10 | 31 | 17 | 22 | | 13 FE | 4 | 10 |
| 593. | 3 / 4 | 10 / 11 | 32 | 18 | 23 | *Anno 32. regni Guntheramni, ita à manè vsque ad mediam diem Sol minoratus est, vt tertia pars ex ipso vix appareret. Appēdix ad Greg. c. 13. & Aimoinus l. 3. c. 79.* | 14 D | 5 | 11 |
| 594. | 4 / 5 | 11 / 12 | 33 † 11 | 19 | 24 | *Circa Martium huius anni Gregorius Turonensis absoluit libros historiarum, anno ordinationis suæ 21. qui est Gregorij Papæ 5. (iniens) Guntchrāni Regis 33. (nō 31.) Childeberti iunioris 19. à transitu S. Martini CXCIIII. non CCXVIII. vt corruptè legitur.* <br> *Gunthrannus Rex moritur 5. Cal. Aprilis. Succedit nepos eius Rex Childebertus. Appendix ad Greg. c. 14. Qui sequuntur sunt anni Lotharij.* | 15 C | 6 | 12 |
| 595. | 5 / 6 | 12 / 13 | 11 / 12 | 20 | 25 | | 16 B | 7 | 13 |
| 596. | 6 / 7 | 13 / 14 | 12 / 13 | 21 † 1 | 26 | *Childebertus Rex Austrasiæ & Burgundiæ moritur mense circiter Aprili, anno ætatis 25. Aimoinus l. 3. c. 83 & maximè Baronius ex Gregorij Magni epistolis. Succedunt Filij, Theodoricus in Burgundia, Theodobertus in Austria. Ijdem. & Append. c. 16.* | 17 AG | 8 | 14 |
| 597. | 7 / 8 | 14 / 15 | 13 / 14 | 1 / 2 | 27 | *Fredegundis Regina impia moritur. Append. c. 17.* | 18 F | 9 | 15 |
| 598. | 8 / 9 | 15 / 16 | 14 / 15 | 2 / 3 | 28 | | 19 E | 10 | 1 |
| 599. | 9 / 10 | 16 / 17 | 15 / 16 | 3 / 4 | 29 | | 20 D | 11 | 2 |
| 600. | 10 / 11 | 17 / 18 | 16 / 17 | 4 / 5 | 30 | | 21 CB | 12 | 3 |

| Anni Chriſ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frāc. | Reges Auſt. | Epiſ. Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 601. | 11 / 12 | 18 / 19 | 17 / 18 | 5 / 6 | 31 | | 22 A | 13 | 4 |
| 602. | 12 / 13 | 19 20 † / 1 | 18 / 19 | 6 / 7 | 32 | *Mauritius Imp. à Phoca rebellante occiditur 23. Nouemb. Bar. Phocas occupat imperium anno regni Theodorici in Burgundia 7. ait Appendix ad Greg. c. 21. & 23.* | 23 G | 14 | 5 |
| 603. | 13 / 14 | 1 / 2 | 19 / 20 | 7 / 8 | 33 | *Hoc anno Sol obſcuratus eſt. Appendix ad Greg. c. 24.* | 24 F | 15 | 6 |
| 604. | 14 † 1 | 2 / 3 | 20 / 21 | 8 / 9 | 34 | *S. Gregorius Papa moritur 12. Martij. Succedit Sabinianus Calendis Septembris. Baron.* | 25 ED | 16 | 7 |
| 605. | 1 † | 3 / 4 | 21 / 22 | 9 / 10 | 35 | *Sabinianus Papa moritur 11. Cal. Martij. Ceſſat Epiſcopatus menſes 11. dies 26. Baron.* | 26 C | 17 | 8 |
| 606. | 1 † | 4 / 5 | 22 / 23 | 10 / 11 | 36 | *Bonifacius 3. fit Papa 15. Cal. Martij. Sedet menſes 8. dies 23. Moritur 12. Nouembris. Bar.* | 27 B | 18 | 9 |
| 607. | 1 | 5 / 6 | 23 / 24 | 11 / 12 | 37 | *Theodoricus Rex Burgundiæ Ermenbergam filiam Bertherici Regis Hiſpaniæ vxorem ducit. Sed poſt annum repudiat. Append. c. 30.* <br> *Menſe Septembri Bonifacius 4. Papa creatur qui Pantheon Romæ in honorem omnium Sanctorum conſecrat. Bar.* | 28 A | 19 | 10 |
| 608. | 1 / 2 | 6 / 7 | 24 / 25 | 12 / 13 | 38 | | 1 GF | 1 | 11 |
| 609. | 2 / 3 | 7 / 8 | 25 / 26 | 13 / 14 | 39 † | *Moritur S. Monulphus Traiect. Epiſcopus 7. Cal. Aug. pag. 60.* <br> *Sub finem huius anni, vel initium ſequentis, anno certe 14. Theodorici, S. Colūbanus incipit pelli in exilium à monaſterio Luxouiēſi. Appendix c. 36. Vita Columb.* | 2 E | 2 | 12 |
| 610. | 3 / 4 | 8 † 1 | 26 / 27 | 14 / 15 | 1 | *S. Gondulphus in ſede Traiectēſi ſuccedit Monulpho pag. 61. Phocas Imp. ab Heraclio capitur & occiditur 27. Martij. eodem die Heraclius imperat. Bar. & alij.* | 3 D | 3 | 13 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Austr. | Epi Traiect. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 611. | 4 | 1 | 27 | 15 | 1 | | 4 C | 4 | 14. |
| 612. | 5 | 2 | 28 | 16 | 2 | *Anno 17. regni sui Theodoricus mense Maio collecto exercitu, paulo post apud Tullum fratrem Theodobertum Regem Austrasiæ vincit, & fugat Coloniam. Insequitur Theodoricus, & transitâ Ardennâ rursum ad Tolbiacum fratrem superat. Coloniam capit, & toti Austrasiæ dominatur. Append. c. 38 Vita Columb.* | 5 B A | 5 | 15 |
| 613. | 6 | 3 | 29 | 17 18 † | 3 | *Theodoricus Ducatum Dentelini recuperare moliens, & bellum ideo in Chlotharium patruelem parans, Metis profluuio ventris extinguitur. Chlotarius consilio Araulfi & Pipini regnum eius obtinet, cæsis illius filijs, & auia Brunichilde. App. c. 40. 41. Aim. l. 4. c. 1.* | 6 G | 6 | 1 |
| 614. | 7 † | 4 | 30 | 1 | 4 | *Bonifacius Papa 4. moritur 8. Maij. Succedit Deusdedit, 13. Nouembris. Bar.*<br>*Hierusalem capitur à Cosrhoe Persarum Rege.*<br>*Hoc anno (nisi forte priori) moritur S. Columbanus 9. Cal. Decemb. expleto anno in Bobiensi monasterio. Vita.* | 7 F | 7 | 2 |
| 615. | 1 | 5 | 31 | 2 | 5 | *Circa hunc annum S. Gondulphus nititur Tungrensem vrbem instaurare: sed frustra. Supra Pag. 62.* | 8 E | 8 | 3 |
| 616. | 2 | 6 | 32 | 3 | 6 | | 9 D C | 9 | 4 |
| 617. | 3 | 7 | 33 | 4 | 7 † | *Gondulphus Traiecti Episcopus moritur 7. Cal. Aug. sup. pag. 63. A Succedit S. Perpetuus Dionantensium tutelaris.* | 10 B | 10 | 5 |
| 618. | 4 † | 8 | 34 | 5 | 1 | *Deusdedit Papa moritur 8. Nouembris, cum mense Augusto priori, Indictione 6. terræ motus fuisset. & Beda lib. 2. hist. c. 7. ait Bonifacium successisse Deusdedit anno Christi 618. quod factum est 24. Decembris.* | 11 A | 11 | 6 |
| 619. | 1 | 9 | 35 | 6 | 2 | | 12 G | 12 | 7 |
| 620. | 2 3. | 10 11. | 36 37 | 7 8 | 3 4 | | 13 F E | 13 | 8 |

# RES GESTÆ

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frāc. | Reges Aust. | Epi Leod. | Res gestæ | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 621. | 3 | 11 12 | 37 38 | 8 9 | 4 5 | *Circa hunc annum Aicharius episcopatum Nouiomensem & Tornacensem iniuit. Nec multò post S. Aubertus Cameracensem.* | 14 D | 14 | 9 |
| 622. | 4 | 12 13 | 38 39 | 9 10 | 5 6 | *Mahometes Pseudopropheta fugit ex vrbe Mechâ 15. Iulij. Vnde incipit Aera Arabũ, seu anni Hegiræ. Scaliger lib. 5. emend. Sethus Caluis. in chr.* | 15 C | 15 | 10 |
| 623. | 5 | 13 14 | 39 40 | 10 11 | 6 7 | *Lotharius Dagobertum filium suum per Septentrionales Austrasios Regem instituit. App. c. 47. Aim. l. 4. c. 8. Florebant tunc in Austria sanctus Arnulphus Metensis Episcopus, & Pipinus de Landis, duo directores Dagoberti.* | 16 B | 16 | 11 |
| 624. | 6 | 14 15 | 40 41 | 11 12 | 7 8 | *Lotharius Francorum Rex, 40 regni agebat annum, cum Heraclius a-geret 14. ait Harig sup pag. 28. C. Rectè.* | 17 AG | 17 | 12 |
| 625. | 7 † | 15 16 | 41 42 | 12 13 | 8 9 | *Bonifacius Papa moritur 25. Octob. Baron. Succedit Honorius, annos 12. menses fere 5. Bar.* | 18 F | 18 | 13 |
| 626. | 1 | 16 17 | 42 43 | 13 14 | 9 10 | *Dagobertus Gomatrudem vxorem ducit, & fit Rex totius Austrasiæ Appendix c. 43.* | 19 E | 19 | 14 |
| 627. | 2 | 17 18 | 43 44 | 14 15 | 10 11 | | 20 D | 1 | 15 |
| 628. | 3 | 18 19 | 44 45 † | 15 16 † | 11 12 | *Chlotharius Rex anno regni 45. moritur. in Ecclesia sancti Vincentij prope Parisios sepelitur circa finem huius anni. Succedit filius eius Dagobertus; concessa tamen Heriberto fratri VVasconiâ. App. c. 56.* | 21 CB | 2 | 1 |
| 629. | 4 | 19 20 | 1 | | 12 13 | | 22 A | 3 | 2 |
| 630. | 5 | 20 21 | 2 | | 13 † | *Circa hunc annum aut sequentem, sanctus Audomarus fit Teruanensis seu Morinensis Episcopus. Præfuit annos 30 Vita. Sanctus Perpetuus Traiectensis Episcopus moritur 4. Nouemb. sup. pag. 64. & 65.* | 23 G | 4 | 3 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Aust. | Epis Traiec. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 631. | 6 | 21 22 | 3 | Dagober- | . 1 | *Ioannes cognomento Agnus fit Episcopus Traiectensis. Harig. c. 37.* <br> *Mahometes Pseudopropheta moritur anno ducatus & sparsæ doctrinæ suæ nono, anno Hegiræ 10. 17. Iunij.* | 24 F | 5 | 4 |
| 632. | 7 | 22 23 | 4 | tus etiam | 1 2 | | 25 E D | 6 | 5 |
| 633. | 8 | 23 24 | 5 | regnat | 2 3 | | 26 C | 7 | 6 |
| 634. | 9 | 24 25 | 6 | in Austra- | 3 4 | *Saraceni 40. milia Romanorum occidunt in Syria 23. Augusti feria 3. Damascum capiunt, & in ea parentes S. Ioannis Damasceni. Religio tamen Christiana adhuc perdurat. Bar. ex Theoph. & Ioanne Damasceno.* | 27 B | 8 | 7 |
| 635. | 10 | 25 26 | 7 | sia. | 4 5 | *S. Chunibertus Episcopus Coloniensis floret. Appendix ad Greg. cap. 58. & Aimoinus l. 4. c. 19.* <br> *S. Lambertus nascitur si 21. ætatis anno creatus est episcopus, vt vult Aegid sup pag. 108. C.* <br> *Saraceni iterũ Romanos in Syria vincunt, & Hierosolimã obsident Bar.* | 28 A | 9 | 8 |
| 636. | 11 | 26 27 | 8 | | 5 6 | *Dagobertus Rex ex Ragintrada gignit Sygebertum; qui 40. dierum baptizatur à S. Amando, & respondet amen sup. pag. 78. A.* <br> *Saraceni Hierosolymam deditione occupant, eaque potiuntur annis 463. vsque ad Godefridum Bulloniensem. Baron.* | 1 G F | 10 | 9 |
| 637. | 12 | 27 28 | 9 | | 6 + | *Antiochia à Saracenis occupatur. Baron. Charibertus Rex VVasconiæ moritur. & paulò post eius filius. Regnum obtinet Dagobertus frater eius. Ioannes Agnus Episcopus Traiectensis moritur 8. Cal. Aug. pag. 71. Succedit S. Amandus pag. 78. C. & consecratur 7. Cal. Nouembris, indubie die dominico, de more. Ergo hoc anno Vide disp. c. 6. §. 97.* | 2 E | 11 | 10 |
| 638. | 13 + | 28 29 | 10 | | 1 | *Honorius Papa moritur 4. Idus Octobris. Succedit Seuerinus. Bar.* | 3 D | 12 | 11 |
| 639. | 1 + | 29 30 | 11 | 1 | 2 | *Seuerinus Papa moritur 4. Nonas Augusti, cum sedisset menses 11. dies 4. Bar. Anast. Ad hunc missa est ab Heraclio Ecthesis, seu expositio fidei, quâ heresis Monothelitarũ stabiliebatur, Indictione 12. Bar. Succedit Ioannes 4.* | 4 C | 13 | 12 |
| 640. | 1 | 30 31 | 12 | 2 | 3 | | 5 B A | 14 | 13 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Fräc. | Reges Aust. | Epi. Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 641. | 2 \| 1 | 31 \| 1 | 13 | 3 | 1 | *Heraclius Imp. moritur 11. Maij. Succedit Constantinus menses 4. Inde Heraclianus menses 2. Denique Constans filius Constantini, ab initio Nouembris circiter.* <br> *S. Amandus exacto in episcopatu triennio, sub initium huius anni, alio se confert: S. Lãdoaldo vices eius gerẽte. supra pag. 70 & pag 85. A. B. &c.* <br> *Ioannes Papa moritur 2. Octobris. Succedit Theodorus 25. Nouemb. Bar.* | 6 G | 15 | 14 |
| 642. | 1 | 1 \| 2 | 14 | 4 | 2 | *Dagobertus VVascones rebelles per suos Legatos subigit. App. c. 78. Aim. l. 4. c. 28. Tunc Sigebertus ãnum 4. regnabat in Austrasia.* | 7 F | 16 | 15 |
| 643. | 2 | 2 \| 3 | 15 | 5 | | | 8 E | 17 | 1 |
| 644. | 3 | 3 \| 4 | 16 \| 1 | 6 | 4 | *Dagobertus Rex moritur 14. Cal. Febr. Aim l. 4. c. 33. & Appendix Greg. c. 79. Succedit in regno Franciæ Chlodouæus filius eius, Sygeberto altero filio in Austrasiæ regno tum 6. annũ agente. Tunc Pipinus de Lançis ad Sigebertum venit, & cum S. Chuniberto episcopo Coloniensi amicitia iunctus est in bonum Sygeberti. Iidem.* | 9 DC | 18 | 2 |
| 645. | 4 | 4 \| 5 | 2 | 7 | 5 | *Circa hæc tempora S. Lambertus à S. Landoaldo instruebatur in VVintershouen. Supra. pag. 107. D. & in vitis.* | 10 B | 19 | 3 |
| 646. | 5 | 5 \| 6 | 3 | 8 | 6 | *Pipinus de Landis moritur 21. Febr. Vita. Append. c. 85. Aim. l. 4. c. 38. Grimoaldus filius eius succedit Sancti Audoënus & Eligius fiunt Rothomagensis & Nouiomensis seu Tornacensis episcopi 14. Maij, dominica Rogationum, anno 3. Chlodouæi. Vita S. Eligij l. 2. c. 2. S. Audomarus Episcopus Teruanensis ordinat presbyterum S. VVandregisilum. Vita S. VVandr. c. 12* | 11 A | 1 | 4 |
| 647. | 6 \| 1 | 6 \| 7 | 4 | 9 | 7 | *Theodorus Papa moritur pridie Idus Maias. Succedit Martinus 1. Iulij. Anastas.* <br> *S. Gertrudis cum Matre Itta vidua Deo consecratur Niuellæ à S. Amãdo, 2. Decembris, die Dominico. Mol. & Vita.* | 12 G | 2 | 5 |
| 648. | 1 \| 2 | 7 \| 8 | 5 | 10 | 8 | | 13 FE | 3 | 6 |
| 649. | 2 \| 3 | 8 \| 9 | 6 | 11 | 9 | *Concilium Romanum 105. episcoporum à Martino Papa habitum mense Octobri. Mittit epistolas varias Martinus, & Synodalia acta ad diuersos. extant particulares ad S. Amandum, quibus etiam abnegat ei abdicationem Episcopatus. Tomus 2. Concil. Bar. Vnde collige vsque ad hunc annum nullum suffectum S. Amando. pag. 78.* | 14 D | 4 | 7 |
| 650. | 3 \| 4 | 9 \| 10 | 7 | 12 | 1 | *S. Amãdus tandẽ se abdicat Episcopatu. Succedit Remaclus. pag. 85. A. B.* | 15 C | 5 | 8 |

Ttt

41

# RES GESTÆ.

| Ann. Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Aust. | Epi. Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 651. | 4 / 5 | 10 / 11 | 8 | 13 | 2 | Circa hoc tempus S. Eligius Flandris & Andouerpis Fidem annunciat. Vita Mol. | 16 B | 6 | 9 |
| 652. | 5 / 6 | 11 / 12 | 9 | 14 | 3 | Sigebertus Austrasiæ rex anno regni sui 14. multa largitur bona S. Remaclo adhuc Episcopo & Abbati, pro Monasterijs Stabulam & Malmandario. supra. pag. 96. B. C. | 17 AG | 7 | 10 |
| 653. | 6 7 * 1 | 12 / 13 | 10 | 15 | 4 * 1 | Martinus Papa à Theodoro Calliopa Exarcho mittitur in exilium 19. Iunij. Ita Martinus ipse epistola sua 15. vbi 16. Cal. Iulias vocat dominicum. apte ad hunc annũ Sufficitur Eugenius, qui sedet ānos 2 m 9. d. 24. Anast. Onuph. S. Remaclo Stabuletum sponte secedenti, sufficitur in Episcopatu Traiectensi S. Theodardus. Vita. Sup. pag. 94. B. & 100. | 18 F | 8 | 11 |
| 654. | 1 / 2 | 13 / 14 | 11 | 16 / 1 | 1 / 2 | Sigebertus Rex Austrasiæ moritur 1. Februarij Vita Mol. & quidem 16. anno regni sui. Vignierius in chron. Burgundiæ. anno 11. à morte patris Bar. Grimoaldus Maior domus filiũ eius Dagobertũ paruulũ attondet, & Hildebertum filiũ suũ in regnũ promouere conatur. Aimon. l. 4. c. 42. Sig chr. Adroaldus villam suam Sithin annitente S. Audomaro, donat S. Bertino anno regni Chlodouei 11. 8 Idus Sept. Vita S. Bertini Ms. | 19 E | 9 | 12 |
| 655. | 2 / 3 | 14 / 15 | 12 | 1 | 1 | Grimoaldũ Rex Chlodoueus Parisijs morte amara in carcere consumit, & filiũ suũ iuniorẽ Hildericũ Regẽ Austrasiæ sufficit. Aim. l. 4. c. 42. Sig. chr. Ad hunc Regem Childericum cum pergeret S. Theodardus, vt bona Ecclesiæ suæ recuperaret, Martyrio coronatur 10 Sept. supra pag. 102. | 20 D | 10 | 13 |
| 656. | 3 / 1 | 15 / 16 | 13 | 1 / 2 | 1 | S. Lambertus fit Episcopus Traiectensis, seu Leodiensis, anno ætatis 21. ait Aegidius suprà, pag. 108. C. Eugenius Papa moritur 2. Iunij. Succedit Vitalianus vltimo Iulij ex Anastasio. | 21 CB | 11 | 14 |
| 657. | 1 / 2 | 16 / 17 | 14 | 2 / 3 | 2 | S. Vedasti corpus Atrebati; à S. Auberto Cameracensi & Atrebatensi Episcopo, transfertur ab Ecclesiâ Cathedrali ad Monasterium, presentibus S. Lāberto Tũgrensi, & S. Audomaro Teruanẽsi Episc. 1. Oct. indubiè die Dñico. vbi & S. Audomarus senex visum recepit. Molan Vita S. Aub. | 22 A | 12 | 15 |
| 658. | 2 / 3 | 17 / 18 | 15 | 3 / 4 | 3 | S. Rictrudis vidua Adalbaldi Ducis Duacensis, Marchianis floret cum prolibus. Vita. | 23 G | 13 | 1 |
| 659. | 3 / 4 | 18 / 19 | 16 | 4 / 5 | 4 | S. Gertrudis Niuellanâ moritur. anno ætatis 33. 17. Martij, die Dominico. Non obijt ergo anno 664. vt vult Sigebertus. hoc enim est contra supputationem Vitæ ipsius Circa hunc annum & S. Aubertus Cameracensis Episcopus moritur, 13 Decembris. Vita. Succedit Vindicianus. | 24 F | 14 | 2 |
| 660. | 4 / 5 | 19 / 20 | 17 / 1 | 5 / 6 | 5 | S. Eligius Nouiomẽsis & Tornacẽsis, Episcopus moritur 1. Dec. cũ ad initiũ Lotharij Regis peruenisset Vita eius. Succedit ei S. Mõmolenus annos 26 | 25 ED | 15 | 3 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Reges Aust. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 661. | 5 | 20 | 1 | 6 | 6 | S. Audomarus Teruanensis Episcopus moritur 9. Septembris. anno Christi 661. ait Florariũ MS. cum præfuisset 30. annos. Vita. Succedit Drantius. Sub finem huius anni S. Amandus dedicat Ecclesiam suam Elnonensem, connotatis Episcopis Reolo Remensi, Mommoleno Nouiomensi, Vindiciano Cameracensi, S. Bertino Abbate &c. MS. chr. | 26 C | 16 | 4 |
| 662. | 6 | 21 | 2 | 7 | 7 | S. Amandus moritur 6. Febr. die Dominico Meyerus ergo hoc anno. etsi ipse cum Sigeberto vocet 661. quod & verum est. nam tunc à pascate primum inibant anni. | 27 B | 17 | 5 |
| 663. | 7 | 22 | 3 | 8 | 8 | | 28 A | 18 | 6 |
| 664. | 8 | 23 | 4 | 9 | 9 | Lotharius Rex valida febre in iuuentute moritur Dissensio inter Principes de successore. Tandem Hildericus antea regnans in Austrasia eligitur. Vita S. Leod. App Aim. S. Aldegũdis Abbatissa Malbodiẽsis moritur 30. Ian. biẽnio post S. Amãdum. Vita eius & S. Amãdi. Successit nepos eius S. Aldetrudis ãnos 12. Mol. | 1 GF | 19 | 7 |
| 665. | 9 | 24 | 1 | 10 | 10 | S. VVandregisilus Abbas Fontanellensis moritur 22. Iulij. Indictione 8. anno 9. Vitaliani Papæ: Chlotarij Regis (lege Hilderici) vndecimo. Vita. Vide vt in supputatione nostra omnia conueniant. | 2 E | 1 | 8 |
| 666. | 10 | 25 | 2 | 11 | 11 | | 3 D | 2 | 9 |
| 667 | 11 | 26 | 3 | 12 | 12 | Childericus Rex à Bodilone Franco (quem ceciderat) occiditur paulo post pascha, completo anno regni sui in Francia 3 (vt habet vita S. Leodegarij 2. Octob. & Baron.) regni antè in Austrasia 12. vt Sigeb. chr. Succedit Theodoricus frater eius. Ebroinus Luxouio egreditur, & Austrasios in arma cõcitat. & paulo post Theodoricum Regem ac Francos prælio superat. Vita S. Leodegarij. Aimoin. l. 4. c. 44 &c. | 4 C | 3 | 10 |
| 668. | 12 | 27 | 1 | Vulfoaldus | 13 | Ebroinus cum Theodorico Rege in gratiam redit. fit Maior domus. Inde ad vexandos inimicos suos se conuertit; S. Leodegarium sc. & alios. Tunc quoque S. Lambertus ab Episcopatu detruditur, & in Stabulaus monasteriũ se cõfert. intruso quodam Pharamundo per totum septennium. Vitæ, & maxime Nicolaus cap. 6. (annos 17. Constans Imp. Syracusis occiditur. Succedit filius Constantinus Pogonatus | 5 BA | 4 | 11 |
| 669. | 13 | 1 | 2 | Maior dom. | 14 | Vuilsetrudis neptis S. Gertrudis, & post eam Abbatissa Niuellensis moritur 9. Cal. Dec. anno ætatis 30. administrationis vndecimo. Succedit Agnes. Vita S. Gertr. | 6 G | 5 | 12 |
| 670. | 14 | 2 | 3 | Austrasiæ. | 15 | Circa hunc annum mortua videtur S. VValdetrudis Castrilocensis seu Mõtensis. nam diutius Aldegundi sorori superuixisse dicitur in Vita. | 7 F | 6 | 13 |

| Anni Chris. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Principes | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 671. | 15 † 1 | 3 4 | 4 5 | Austrasiæ | 16 | *Vitalianus Papa moritur 27. Ianuarij. Martyrol. cum sedisset annos 14. m. 6 ait Anastasius. Succedit Adeodatus mense Martio circiter medio. Anast.* *Circa hunc annum S. Lambertus Stabuleti insignis obedientiæ & patientiæ exemplum ad crucem sub dio tempore niuis exhibet. Vita.* | 8 E | 7 | 14 |
| 672. | 1 2 | 4 5 | 5 6 | Vulfoaldus. | 17 | *Ebroinus cum Theodorico Rege cõuocata Synodo, multos Episcopos morte aut exilio damnat. In his fuit S. Amatus Senonẽsis Episcopus, cuius nunc templum est Duaci. S. Leodegarius post lõgos cruciatus, tandem ab Ebroino occiditur 2. Octobris, in Artesia. Vita eius.* | 9 D C | 8 | 15 |
| 673. | 2 3 | 5 6 | 6 7 | | 18 | *Circa hunc annum vel proximè sequentes S. Begga soror S. Gertrudis, post cædem mariti sui Ansigisi, monasterium Andennense fundat, & ab Agnete Abbatissa Niuellensi petit Virgines & reliquias, vt cœptum posset opus absoluere. Vita S. Gertr. & Beggæ.* | 10 B | 9 | 1 |
| 674. | 3 4 | 6 7 | 7 8 | Martinus | 19 | *Mortuo circa hunc annum Vulfoaldo Maiore domus seu Pricipe Austrasiæ (non enim tunc Rex fuisse videtur) Martinus Dux & Pipinus filius Ansigisi (cognomento de Herstella) dominantur in Austrasia. Hi pugnant contra Ebroinum, & vincuntur. Martinus etiam dolo Ebroini cæditur. Appendix Greg. c. 97. Aim. l. 4. c. 45.* | 11 A | 10 | 2 |
| 675. | 4 5 | 7 8 | 8 9 | Dux, & Pi- | 20 | *Tribus fere elapsis annis à morte S. Leodegarij, Ebroinus occiditur. Vita S. Leod. App. Aim. & colligitur ex morte S. Audoeni sequenti anno. S. Lãbertus expleto septennio exilij, ad episcopatum redit, in quo per 20. sequentes annos pacifice degit. Vita.* | 12 G | 11 | 3 |
| 676. | 5 6 | 8 9 | 9 10 | pinus de | 21 | *S. Philibertus Abbas Gẽmeticensis, inchoato 9. exilij sui (ob Ebroinũ) ãno, redit, & à S. Audoëno Rotomagensi recipitur. Vita apud Suriũ 20 Augusti.* *Gyslemarus Maior domus Franciæ contra Pipinum pugnat apud NAMVCVM, seu Namurcum: App. c. 98. Aim. l. 4. c. 46. Sigeb.* *S. Audoënus ob hanc contentionem Coloniam venit, pacem facit, ac cum redijsset, moritur 24. Augusti die Dominica. Vita eius c. 27. 29.* | 13 F E | 12 | 4 |
| 677. | 6 7 † 1 | 9 10 | 10 11 | Herstella. | 22 | *Adeodatus Papa moritur 6. Cal. Iulias. Succedit Donus seu Domnio Kal. Nouemb. Anast. Onuphr.* | 14 D | 13 | 5 |
| 678. | 1 2 | 10 11 | 11 12 | | 23 | *Pridie Idus Augusti in Indictione 6. Constantinus Imp. scribit ad Donum Papam. Vide Baronium hoc anno.* | 15 C | 14 | 6 |
| 679. | 2 † 1 | 11 12 | 12 13 | | 24 | *Donus Papa moritur 3 Idus Apr. Succedit Agatho Nonis Iulij. Anast. Onuphr.* | 16 B | 15 | 7 |
| 680. | 1 2 | 12 13 | 13 14 | | 25 | | 17 A G | 16 | 8 |

| Anni Christ. | Pont. Rom | Imp. Rom. | Reges Franc. | Reges Aust. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 681. | 2 3 | 13 14 | 14 15 | Anni Pipi- | 26 | Circa hæc tempora S. Amatus Senonensis episcopus, à S. Rictrude Marchianensi & filio eius Mauronto, Abbas monasterio Broylensi præfectus est. Vita. | 18 F | 17 | 9 |
| 682. | 3 † | 14 15 | 15 16 | ni de Her- | 27 | Moritur Agatho Pontifex 4. Idus Ianuarij. Onuphr ex Anast. Vacat sedes annum 1. m. 7. d. 5. Anast. Bar. Onuphrius tamen vult tantum vacasse m. 7. d. 1. | 19 E | 18 | 10 |
| 683. | 1 | 15 16 | 16 17 | stall a ma- | 28 | Leo Papa 2. creatur 15. Augusti. Bar. ex Anast. | 20 D | 19 | 11 |
| 684. | 1 † 1 | 16 17 | 17 18 | ioru domus | 29 | Leo Papa moritur 4. Cal. Iulij. Onuphr. Bar. Succedit Benedictus 20. Augusti.<br>S. Madelberta Abbatissa Malbodiensis moritur 7. Septemb. cum præfuisset post sororem Aldetrudem annos 9. Mol. Forte tamen sequenti anno. | 21 CB | 1 | 12 |
| 685. | 1 † 1 | 17 † 1 | 18 19 | Franciæ | 30 | Benedictus Papa moritur 7. Maij. Succedit Ioannes 5. 22. Iulij. Bar. paulum variat Onuphrius.<br>Constãtinus Imp. moritur mense Sept. Succedit Iustinianus filius. Theoph. Cedr. Bar. | 22 A | 2 | 13 |
| 686. | 1 † 1 | 1 2 | 19 20 | simul & | 31 | VVarato Maior domus Franciæ moritur. Succedit gener eius Bertharius leuis. quem Principes Franciæ deserentes ad Pipinum in Austrasiam se conferunt, causamque belli serunt Append. c. 99.<br>Ioannes Papa 5. moritur 2. Aug. Succedit Cuno. Bar. Onuphr. | 23 G | 3 | 14 |
| 687. | 1 † | 2 3 | 20 21 | Austrasiæ. 1 | 32 | Pipinus contra Theodoricum Regem, & Bertharium pugnat Textricij in Veromanduis; vincitque. Bertharius à suis occiditur. Pipinus fit maior domus etiam Franciæ. Inde in Austrasiam redit, relicto in Francia vicario Nordeberto App. c. 100.<br>S. Ansbertus Pipino suspectus in Altum montem relegatur. Vita. Conon Papa moritur 13. Oct. Succedit Sergius. Onuph. Bar. | 24 F | 4 | 15 |
| 688. | 1 | 3 4 | 21 22 | 1 2 | 33 | S. Ansbertus Rothomagensis episcopus moritur in Altomonte Monasterio Hannoniæ, exul. 9. Febr. post 11. annos Episcopatus. Vita eius, & S. Audoëni. Item S. Amatus Senonensis in Broylo 13. Sept. Mol. Nisi malis sequenti anno. | 25 ED | 5 | 1 |
| 689. | 2 | 4 5 | 22 23 | 2 3 | 34 | Circa hunc annum Pipinus ad Dorestate castrum Ratbodum Ducem Frisonum prælio superat. & citeriorem Frisiam occupat. App. c. 102. Colligitur ex aduentu VVillibrordi sequenti anno.<br>S. Trudo circa hunc annum obijt, anno ætatis. 65. 23. Nouembris. Vita. & sup. pag. 89. B. | 26 C | 6 | 2 |
| 690. | 3 | 5 6 | 23 24 | 3 4 | 35 | Moritur Rex Theodoricus anno regni 24. nõ 14. Vide ad calcẽ Tabularũ.<br>S. VVillibrordus, Suuitbertus, & 10 alij Angli in Frisiam aduenium VViltemburg, seu Vltraiectum. Inde ad Pipinum se conferunt, ut veniam prædicandi impetrent. Beda Bar. &c. | 27 B | 7 | 3 |

# RES GESTÆ.

| Anni Chris. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Fräc. | Maior. dō. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lũæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 691. | 4 | 6 7 | 1 2 | 4 5 | 36 | *Pipinus cum vxore Plectrude visitat & ditat sepulchrum S. Trudonis. Vita l. 2. c. 10.* <br> *Circa hæc tempora mortuus videtur S. Vindicianus Cameracensis seu Atrebatensis Episcopus. 11. Martij. Molan. Successit Hildebertus.* | 28 A | 8 | 4 |
| 692. | 5 | 7 8 | 2 3 | 5 6 | 37 | *S. Lambertus è Taxandriâ (quam tunc excolebat) sæpius S. VVillibrordum visitat, & cum eo de promouenda Fide confert. Nicol. c. 11.* | 1 G F | 9 | 5 |
| 693. | 6 | 8 9 | 3 4 | 6 7 | 38 | *Drantio Morinensi Episcopo mortuo, succedit Bainus ex Monasterio Fontanellensi.* | 2 E | 10 | 6 |
| 694. | 7 | 9 10 * | 4 † 1 | 7 8 | 39 | *Circa hunc annum Pipinus Alpaidem Plectrudi superinducit. Nicol. c. 14. Rener. c. 16. &c. Ex hac sequenti anno Carolum Martellum generat.* <br> *Iustinianus iunior Imp naribus truncatis Chersonam relegatur, à Leontio imperium occupante. Theoph. Cedr. Zon. Bar.* <br> *Clodoueus Francorum Rex moritur. Succedit Childebertus. App. c. 101.* | 3 D | 11 | 7 |
| 695. | 8 | 1 2 | 1 2 | 8 9 | 40 | *S. Lambertus Pipinum adulterij arguit. Dodonem & consanguineos eius in se concitat. vsque adeo vt cum ad manus ventum esset, Gallus & Rioldus à Petro & Andoleto S. Lamberti consanguineis interempti sint. Vitæ S. Lamberti. Forte tamen hæc ad sequentem annum referenda.* | 4 C | 12 | 8 |
| 696. | 9 | 2 3 † 1 | 2 3 | 9 10 | 41 † | *Exercitus Rom. re contra Saracenos male gesta rebellans, Tiberium Absimarum Imp. nuncupat. Cedr. Theoph. Bar.* <br> *S. LAMBERTVS Legiæ Martyrizatur à Dodone fratre Alpaidis 17. Sept. Vitæ. erat dies dominicus.* <br> *S. VVillibrordus Romæ à Sergio Papa consecratur Frisonum Episcopus, in die & basilica S. Cæcitiæ Beda hist. l. 5. c. 12.* | 5 B A | 13 | 9 |
| 697. | 10 | 1 2 | 3 4 | 10 11 | 1 | *S. Hubertus Roma rediens Cathedræ Traiectensis possessionem init. pag. 130. fin. Ab hoc tempore supputantur anni Episcopatus eius. Dodo miserè moritur. Godesch. c. 13.* <br> *S. VVillibrordus Roma redit. Sedem Episcopalem Vltraiecti statuit. Beda l. 5. hist. c. 12. Mol. Marcell. Prima dedicatio Ecclesiæ Lobiensis S. Cal. Sept. Fulcuin. erat dies Dominicus, vt solet.* | 6 G | 14 | 10 |
| 698. | 11 | 2 3 | 4 5 | 11 12 | 1 2 | *S. Bainus Morinorum Episcopus cum S. Mauronto eleuat corpus S. Amati in Broylo 4. Cal. Maij. Mol. 13. Sept. credo die Dominico.* | 7 F | 15 | 11 |
| 699. | 12 | 3 4 | 5 6 | 12 13 | 2 3 | *Anno 5. Childeberti Regis Pascha fuit 10. Cal. Apr. Ascensio Cal. Maij. Codex Bongars. Eusebij, apud Pontacum & Scaligerum.* | 8 E | 16 | 12 |
| 700. | 13 | 4 5 | 6 7 | 13 14 | 3 4 | *S. Maurontus Duacensium patronus moritur 12. anno à morte S. Amati 5. Maij Mol. nisi malis sequenti anno, cum Sygeberti chronico.* | 9 D C | 17 | 13 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frāc. | Maior. dō. | Epi Leod. | Res gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lūæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 701. | 14 † 1 | 5 6 | 7 8 | 14 15 | 4 5 | 5. Idus Sept. Sergius Papa moritur. Succedit Ioānes 6. 29. Octobr. Bar. & alij | 10 B | 18 | 14 |
| 702. | 1 2 | 6 7 | 8 9 | 15 16 | 5 6 | | 11 A | 19 | 15 |
| 703. | 2 3 | 7 † 1 | 9 10 | 16 17 | 6 7 | Iustinianus antea Imp. nunc autem exul in Chersona, imperiū recuperat ope Chacani Lazorum Regis, cæsis omnibus inimicis suis. Theoph. Bar. &c. | 12 G | 1 | 1 |
| 704. | 3 4 | 1 2 | 10 11 | 17 18 | 7 8 | | 13 F E | 2 | 2 |
| 705. | 4 † 1 | 2 3 | 11 12 | 18 19 | 8 9 | Ioannes Papa 6. moritur 10. Ianuarij. Onuphr. Bar. succedit Ioannes 7. 1. Martij. Ijdem. | 14 D | 3 | 3 |
| 706. | 1 2 | 3 4 | 12 13 | 19 20 | 9 10 | Anno 12. Childeberti Regis Pipinus dat S. VVillibrordo Epternacensis fisci medietatem 3. Idus Maij. Alteram autem medietatem dedit Irmina Dagoberti Regis filia, Cal. Dec. Theofridus MS. | 15 C | 4 | 4 |
| 707. | 2 3 † | 4 5 | 13 14 | 20 21 | 10 11 | 15. Cal. Nouembris moritur Ioannes Papa 7. Vacat sedes m. 3. Bar. | 16 B | 5 | 5 |
| 708. | 1 | 5 6 | 14 15 | 21 22 | 11 12 | Sisinnius fit Papa 15. Cal. Febr. moritur post 20. dies. Succedit tandem Constantinus 7. Martij. Bar. Onuphrius tamen vult Sisinnium & constantinum creatos fine prioris anni. S. Suuibertus venit Coloniā ad Plectrudem coniugem Pipini. Inde Iupiliā ad Pipinū cum Alpaide pellice agentē, à quo VVerdā impetrat. Vita c. 22. 23. | 17 A G | 6 | 6 |
| 709. | 2 | 6 7 | 15 16 | 22 23 | 12 13 | S. Hubertus corpus S. Lamberti Traiecto Leodium transfert, & sedem Episcopalem, 28. Aprilis; qui hoc anno Dominicus fuit. 12. anno Episcopatus sui iam exeunte. Vita S. Huberti. Disp. c. 6. §. 102. Aberat tunc Iupiliā Pipinus, expeditione in Suauos contra VVilarium susceptā. Annales Pith. | 18 F | 7 | 7 |
| 710. | 3 | 7 8 | 16 17 | 23 24 | 13 14 | | 19 E | 8 | 8 |

| Anni Chris. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Maior. dõ. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 711. | 4 | 8 † 1 | 17 † 1 | 24 25 | 14 15 | *Aquæ valde inundant. Childebertus Rex moritur. Succedit Dagobertus. Exercitus Francorum in Suauos. Annales Pith.* *Philippicus Bardas à milite Imperator electus Iustinianum occidit cum filio. Bar. alij.* | 20 D | 9 | 9 |
| 712. | 5 | 1 2 | 1 2 | 25 26 | 15 16 | | 21 CB | 10 | 10 |
| 713. | 6 | 2 † 1 | 2 3 | 26 27 | 16 17 | *Philippicus Imp sabbatho post Pentecosten ab Artemio secretario oculis orbatur. & ipse Artemius fit Imperator, Anastasij nomine assumpto. Theoph. Anast. Bar.* *S. Vrsmarus cœnobij Lobiensis fundator moritur 18. Apr. Fulcuinus.* | 22 A | 11 | 11 |
| 714. | 7 † 1 | 1 2 | 3 4 | 27 28 † | 17 18 | *Nono Aprilis moritur Constantinus Papa. Succedit Gregorius 2. 22. Maij Bar. Ad Pipinum Iupiliæ ægrotantem venit filius Grimoaldus. Sed occiditur cum Leudici ad Basilicam S. Lamberti oraret. Appendix. 104. Aim. Rener. Venerunt & S. Suuibertus & Agilolphus Coloniensis Archiep. Tandem moritur mense Decembri. Ijdem. & supra pag. 397. D.* | 23 G | 12 | 12 |
| 715. | 1 2 | 2 * 1 | 4 5 † 1 | Theodoual- | 18 19 | *Anastasius Imp. in monasterium truditur. Theodosius inuitus imperat.* *Plectrudis vidua Pipini Carolum Martellum captiuum tenet. Sed ille elabitur: contra Ratbodum Regem Frisonum, qui Coloniam vsque venerat, mēse Martio pugnat. Dagobertus Rex moritur. Succe. Hilpricus. Ann Pith.* | 24 F | 13 | 13 |
| 716. | 2 3 | 1 * 1 | 1 2 | dus. Ragā- | 19 20 | *Leo Isauricus contra Theodosium insurgit. Theodosius sponte cedit, & cum filio Ephesi fit clericus 25. Martij. Theoph.* *Raginfridus Maior domus, & Chilpricus Rex cum exercitu fines Coloniensium vastant, acceptisque à Plectrude muneribus reuertūtur. Ann. Pith.* | 25 ED | 14 | 14 |
| 717. | 3 4 | 1 2 | 2 3 | fridus. | 20 21 | *Chilpericus Rex, & Raganfredus pugnant aduersus Carolum Martellum Vincisti in pago Cameracensi XII. Kal. Aprilis, die Dominica in quadragesima. Appendix ad Greg. Tur. & Aimoinus l. 4. c. 52. Ab hac pugna incohoantur anni Principatus Caroli Martelli.* | 26 C | 15 | 15 |
| 718. | 4 5 | 2 3 | 3 4 | 1 2 | 21 22 | *Carolus victor egrediens, Coloniam vrbem capit: thesauros patris sui à Plectrude nouerca recipit. Regem sibi constituit nomine, non re, Lotharium. Chilpericus vero & Raganfredus reparatis viribus auxilio Eudonis Ducis Aquitaniæ, rursus superati fugantur à Carolo. Appendix Gregorij. Aimoinus. Annal.* | 27 B | 16 | 1 |
| 719. | 5 6 | 3 4 | 4 5 | 2 3 | 22 23 | *Carolus missis ad Eudonem Legatis ab eo Chilpericum Regem recipit. Lotharius Rex mortuus est. App. Aim. Annal.* *Rabdodus Frisonum Rex moritur idololatra. S. Bonifacius ad S. VVillibrordum venit, euangelio annunciando collaboraturus. Bar.* | 28 A | 17 | 2 |
| 720. | 6 7 | 4 5 | 5 6 † 1 | 3 4 | 23 24 | *Chilpericus Rex Nouiomi moritur. Succedit Theodoricus ex Caroli arbitrio. Ann. Pith.* | 1 GF | 18 | 3 |

| Ann. Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Fräc. | Maior. do. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 721. | 17, 8 | 5, 6 | 1, 2 | 14, 5 | 24, 25 | *Carolus Martellus Ranganfredum æmulum suum persequens, Andegagenos vrbem capit. Postea Saxones vastat & victor redit. Appendix Gregorij Tur. Aimoinus. Annal.* | 2 E | 19 | 4 |
| 722. | 8, 9 | 6, 7 | 2, 3 | 5, 6 | 25, 26 | *Carolus Rheno transito Alemannos & Baioarios subigit. App. Aim. Ann.* | 3 D | 1 | 5 |
| 723. | 9, 10 | 7, 8 | 3, 4 | 6, 7 | 26, 27 | *Gregorius Papa S. Bonifacium Episcopum Germaniæ constituit; & eum Galliæ ac Germaniæ Principibus commendat. Bar.* | 4 C | 2 | 6 |
| 724. | 10, 11 | 8, 9 | 4, 5 | 7, 8 | 27, 28 | *Carolus Eudonem Aquitaniæ Ducem transito Ligere fugat, & regionem eius vastat. App. Aim. Ann.*<br>*S. Bonifacius eundem Principem Carolum adit. & acceptis ab eo commendationis ac securitatis literis, ad Cattos seu Hessos euangelizaturus proficiscitur. Epist. Bar.* | 5 BA | 3 | 7 |
| 725. | 11, 12 | 9, 10 | 5, 6 | 8, 9 | 28, 29 | *Saraceni ex Hispania ab Eudone contra Martellum euocati Burdegalam perueniunt, cuncta vastant; Ecclesias, & in his basilicam S. Hilarij Pictauis incendunt. Iidem.* | 6 G | 4 | 8 |
| 726. | 12, 13 | 10, 11 | 6, 7 | 9, 10 | 29, 30 | *Carolus Martellus in campestribus Turonij infinitam Saracenorum multitudinem cum Rege eorum Abdyrama prosternit. Iidem. Quo tempore S. Hubertus in villa Harmalia, paulo post tempus Rogationum, anno ante mortem suam, vidit in aëre igneas acies concurrere. Supra. pag. 135. A. & Vita.* | 7 F | 5 | 9 |
| 727. | 13, 14 | 11, 12 | 7, 8 | 10, 11 | 30 †, 1 | *S. Hubertus Episcopus & patronus Leodiensium moritur 3. Kal. Iunij, seu 30 Maij. feria 6. Auctor vitæ & Aegid. pag. 141. C. Succedit in Episcopatu filius eius Florebertus. Vide disp. cap. 6. §. 100.* | 8 E | 6 | 10 |
| 728. | 14, 15 | 12, 13 | 8, 9 | 11, 12 | 1, 2 | *Eudo Dux moritur, & Carolus Aquitaniam recipit. Ann.* | 9 DC | 7 | 11 |
| 729. | 15, 16 | 13, 14 | 9, 10 | 12, 13 | 2, 3 | *Carolus nauali euectione Frisiam ingressus Popponem Ducem interficit, subuersisque fanis & lucis victor cum prædâ reuertitur. Annal.* | 10 B | 8 | 12 |
| 730. | 16, 17 | 14, 15 | 10, 11 | 13, 14 | 3, 4 | *Saraceni Auennionem vrbem in Galliâ capiunt, & circu[illegible]aque regiones deuastant. Ann.* | 11 A | 9 | 13 |

# RES GESTÆ

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Maior dõ. | Epi Leod. | Res gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lũæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 731. | 17 \| 1 | 15 \| 16 | 11 \| 12 | 14 \| 15 | 4 \| 5 | Gregorius 2. Papa moritur 3. Idus Febr. Succedit Gregorius 3. 16 Febr. Baron. Onuphr. Carolus Martellus Auenionem à Saracenis, magna eorum strage, recipit. Ann. Pith. | 12 G | 10 | 14 |
| 732. | 1 \| 2 | 16 \| 17 | 12 \| 13 | 15 \| 16 | 5 \| 6 | Carolus Narbonem obsidet, Rege Saracenorũ Athirua intus incluso. Ann. Beda finẽ imponit historiæ suæ Anglicanæ, anno ætatis 59. cũ S. VVillibrordus 36. in Episcopatu Vltraiectẽsi ageret annũ. Idem in fine hist. & l. 5. c. 12. | 13 F E | 11 | 15 |
| 733. | 2 \| 3 | 17 \| 18 | 13 \| 14 | 16 \| 17 | 6 \| 7 | Saraceni ex Hispania Narbonam suis auxilio veniunt. sed à Carolo ad internecionem delentur. Ann. | 14 D | 12 | 1 |
| 734. | 3 \| 4 | 18 \| 19 | 14 \| 15 | 17 \| 18 | 7 \| 8 | | 15 C | 13 | 2 |
| 735. | 4 \| 5 | 19 \| 20 | 15 \| 16 | 18 \| 19 | 8 \| 9 | | 16 B | 14 | 3 |
| 736. | 5 \| 6 | 20 \| 21 | 16 \| 17 | 19 \| 20 | 9 \| 10 | Hoc anno, Calẽdis Ianuarij, die Dominica, currebat 19. annus Caroli Martelli. Aim. l. 4. c. 54. & App. c. 108. | 17 AG | 15 | 4 |
| 737. | 6 \| 7 | 21 \| 22 | 17 \| 18 | 20 \| 21 | 10 \| 11 | S. Erminus Abbas 2. Lobiensis moritur 25. Aprilis, cum præfuisset annis fere 25. Molanus. Vide pag. 145. C. Succedit Theodulphus. Carolus Saxones tributarios facit. Ann. | 18 F | 16 | 5 |
| 738. | 7 \| 8 | 22 \| 23 | 18 \| 19 | 21 \| 22 | 11 \| 12 | | 19 E | 17 | 6 |
| 739. | 8 \| 9 | 23 \| 24 | 19 \| 20 | 22 \| 23 | 12 \| 13 | S. VVillibrordus Vltraiectensis Episcopus moritur 7. Nouemb. Vita, & Sigeb. chr. | 20 D | 18 | 7 |
| 740. | 9 \| 10 | 24 \| 25 | 20 \| 21 | 23 \| 24 | 13 \| 14 | Paschalis ordo turbatur. App. fin. Aim. ergo hoc anno, Cyclo Lunæ 19. Pax & quies in regno Francorum per Carolum reddita: Gothis superatis, Saxonibus & Fresonibus subactis, expulsis Saracenis, Prouincialibus receptis. Aim. | 21 CB | 19 | 8 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frāc. | Maior. dō. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lūæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 741. | 10 11 † 1 | 25 † 1 | 21 † 1 | 24 25 † 1 | 14 15 | *Leo Imp. moritur 18. Iunij. Succedit filius Cōstantinus Copronymus. Post Theodoricū Regē Francorū regnat Hildricus ānis 10. Sigeb. Carlus Martellus moritur 11. Kal. Nouēb. āno principatūs sui 25. App. c. vlt. & Aim. l. 4. c. 57. Alij hūc annū vocāt principatus 27. numerādo à morte patris. Succedūt filij Pipinus & Karlom qui sub titulo Maiordomatus regnū Frāc. inter se diuidūt. Annal. 4. Cal. Dec. moritur Greg. 3 Succ. Zacharias, 8. Id. Dec.* | 22 A | 1 | 9 |
| 742. | 2 | 2 | 2 | 2 | 16 | *Beda presbyter moritur 7. Id. Maij, festo Ascensionis, scilicet à primis vesperis incohato. Ita Epistola discipuli eius apud Bar. anno 731.* <br> *S. Erkenbodo Teruanensis Episcopus moritur, 12. Apr. Mol.* | 23 G | 2 | 10 |
| 743. | 3 | 3 | 3 | 3 | 17 | *Theodouinus Abbas Lobiēsis villā Fōtanas (ad Sambrā) impetrat à Karlomāno maiore domus, Liptinus 6. Februarij, āno 2. regnāte Hilderico. Fulcuinus. Cōciliū Liptinēse seu Listinense in Hānonia, Cal. Martij, præsidente S. Bonifacio, & præsente Carolomāno. Bar. Serrar. Corpus S. Huberti è terra leuatur, anno 16. (cōpleto scz) ab eius obitu; die 3. Nouēbris in Dominica, præsente Carlomāno, āno regni seu principatus eius 3. Vita S. Hub. & Aegidius pag. 143. 144.* | 24 F | 3 | 11 |
| 744. | 4 | 4 | 4 | 4 | 18 | | 25 E D | 4 | 12 |
| 745. | 5 | 5 | 5 | 5 | 19 | | 26 C | 5 | 13 |
| 746. | 6 | 6 | 6 | 6 | 19 † 1 | *S. Florebertus moritur 26. Aprilis, cum præfuisset annis circiter 18. (scz completis) pag. 145 C. Molanus dat ei 19. scz labentes. Succedit Fulcharius, seu Fulcharichus annis 15. pag 147. c.* | 27 B | 6 | 14 |
| 747 | 7 | 7 | 7 | 7 | 2 | *Carolomanus relicto Austrasiæ principatu Romam it, & monachus efficitur. Annal. Pith.* | 28 A | 7 | 15 |
| 748. | 8 | 8 | 8 | 8 | 3 | *Zacharias Papa litteras dat ad quosdam Episcopos Galliæ Belgicæ, in quibus numerantur Agilolphus Coloniensis, Folcricus Tungrensis, Treuuartus Cameracensis, Elisæus Noviomensis qui & Tornacensis, Aetherius Tharuanensis, Rambertus Ambianensis. &c. Baronius.* | 1 G F | 8 | 1 |
| 749. | 9 | 9 | 9 | 9 | 4 | | 2 E | 9 | 2 |
| 750. | 10 | 10 | 10 | 10 | 5 | | 3 D | 10 | 3 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 751. | 10 / 11 | 10 / 11 | 10 * | 5 / 6 | | 4 C | 11 | 4 |
| 752. | 11 † 1 | 11 / 12 | 1 | 6 / 7 | *Zacharias Papa regnum Francorum à stirpe Merouea darum transfert ad Pipinum. qui initio huius anni coronatur Suessione à S. Bonifacio Archiepiscopo. Annal. Franc. Bar.] Onuphrius tamen refert ad Cal. Maias prioris ãni. Alij ad annũ 750. Vide Serrariũ lib. 3. Mog. pag. 525. Zacharias Papa moritur 15. Martij. Succedit Stephanus 3. 27. Martij.* | 5 B A | 12 | 5 |
| 753. | 1 / 2 | 12 / 13 | 2 | 7 / 8 | *Stephanus Papa cũ ab Aistulpho Rege Lõgobardorũ opprimeretur, in Frãciã ad Pipinũ venit, vt auxilium impetret. à quo honorificè susceptus, in monasterio S. Dionysij apud Parisios hyemat. Ann. Anast. Bar. Venit & tunc Carolomannus Monachus Cassinensis ad Pipinum fratrem, ab Aistulpho Rege Logobardorum coactus. Ann.* | 6 G | 13 | 6 |
| 754. | 2 / 3 | 13 / 14 | 3 | 8 / 9 | *Stephanus Papa cũ esset in Frãcia apud S. Dionisiũ, petẽte Pipino Rege negotiũ Canonizationis S. Suniberti committit Hildolpho Treuirorũ, Bonifacio Mogũtinorũ Archiepiscopis. & Fulchario Leodiẽsi. epistola Ludgeri apud Sur. 1. Martij. Vide pag. 148. D. Inde, miraculose sanatus, Pipinũ & filios eius vngit in Reges Frãcorũ 5. Cal. August. die Dñico. Baron. ex antiq.* | 7 F | 14 | 7 |
| 755. | 3 / 4 | 14 / 15 | 4 | 9 / 10 | *Diploma Ludouici Imp. quod pag. 148. dicitur datum Fulcario Episcopo, Indictiõe 8. erroneum est: cũ Ludouicus Imperator non fuerit ante annũ Christi 814. Carolomãnus monachus Viennæ moritur. Ann. S. Bonifacius, Germanorũ Apostolis in Frisiâ martyriũ subit, Non. Iunij. Bar. Plures tamen ad annũ superiorem referũt. Pipinus Rex Exarchatũ Italiæ dat S. Petro. Bar.* | 8 E | 15 | 8 |
| 756. | 4 / 5 | 15 / 16 | 5 | 10 / 11 | *Aistulphus Rex Longobardorum moritur. Succedit Desiderius ope Stephani Papæ. Ann. Anast. Bar.* | 9 D C | 16 | 9 |
| 757. | 5 6 † 1 | 16 / 17 | 6 | 11 / 12 | *Tassilo Dux Bauariæ Compendij in Gallia Pipino Regi & successoribus fidelitatem iurat. Ann.* *Stephanus Papa moritur 6. Cal. Maij. Succedit Paulus 28. eiusdẽ. Bar.* | 10 B | 17 | 10 |
| 758. | 1 / 2 | 17 / 18 | 7 | 12 / 13 | | 11 A | 18 | 11 |
| 759. | 2 / 3 | 18 / 19 | 8 | 13 / 14 | | 12 G | 19 | 12 |
| 760. | 3 / 4 | 19 / 20 | 9 | 14 / 15 | *Pipinus Rex Pascã in IOPILIA celebrat Ann. MS. non priore anno, vt mendose refert Codex Reginonis.* | 13 F E | 1 | 13 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frāc. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 761. | 4 5 | 20 21 | 10 | 15 16 † 1 1 | *Fulcarius moritur post 15. annos completos suæ sedis. Succedit Agilfridus, qui primus vitam S. Lamberti per Godeschalcum scribi curauit, circiter 70. annos post eius martyrium. pag. 149. B.* | 14 D | 2 | 14 |
| 762. | 5 6 | 21 22 | 11 | 1 2 | | 15 C | 3 | 15 |
| 763. | 6 7 | 22 23 | 12 | 2 3 | | 16 B | 4 | 1 |
| 764. | 7 8 | 23 24 | 13 | 3 4 | | 17 AG | 5 | 2 |
| 765. | 8 9 | 24 25 | 14 | 4 5 | *Pipinus Natalem Domini celebrat Aquisgrani. Ann. Reg.* | 18 F | 6 | 3 |
| 766. | 9 10 | 25 26 | 15 | 5 6 | *Pasca huius anni Aquisgrani à Pipino Rege celebratum est. Ann. Reg.* | 19 E | 7 | 4 |
| 767. | 10 9 † | 26 27 | 16 | 6 7 | *Pipinus Rex in villa Gentiliaco, Synodū magnam habet, pro controuersijs inter Romanos & Græcos, de SS. Trinitate, & Sanctorum imaginibus. Ann. Reg.*<br>*Paulus Papa moritur. Inuadit sedem quidam Constantinus. Bar.* | 20 D | 8 | 5 |
| 768. | 1 | 27 28 | 17 † 1 | 7 8 | *Stephanus 4. Papa legitimè creatur mense Augusto. Bar.*<br>*Pipinus Rex Francorum, ad S. Dionysium moritur 8. Cal. Octob. Succedunt Filij, Carolus consecratus Nouiomi 7. Id. Octob. & Carlomānus Suessione. Carolus celebrat Natalem Domini Aquisgrani. Vetus Chron. MS. Regino.* | 21 CB | 9 | 6 |
| 769. | 1 2 | 28 29 | 1 2 | 8 9 | | 22 A | 10 | 7 |
| 770. | 2 3 | 29 30 | 2 3 | 9 10 | *Carolus Magnus celebrat Pasca in LEODIO vico publico. MS. Regino. Inde Synodum habet VVormatiæ. Natalem Domini celebrat Moguntiæ. Ijdem.* | 23 G | 11 | 8 |

# RES GESTÆ

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Fräc. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 771. | 3 / 4 | 30 / 31 | 3 / 4 | 10 / 11 | *Carolus Rex Pasca transigit in* HARISTALLIO. *Inde Synodum habet ad* VALENTIANAS. *Carlomannus frater Caroli moritur in villa Salmontiaco. 2. Nonas Dec. MS. Regino.* | 24 F | 12 | 9 |
| 772. | 4 † 1 | 31 / 32 | 4 / 5 | 11 / 12 | *Iterum Carolus Pascã celebrat Haristallij : Synodum inde VVormatiæ. tum pergit in Saxoniam. vnde acceptis 12. obsidibus, Haristallium reuertitur; vbi & Natalem Domini celebrauit. MS. Reg.* <br> *Stephanus 4. Papa moritur 1. Febr. Succedit Hadrianus, 9. eiusdẽ. Bar.* | 25 ED | 13 | 10 |
| 773. | 2 | 32 / 33 | 5 / 6 | 12 / 13 | *Carolus Magnus Pascate Haristallij celebrato, Theodonisuillam proficiscitur; vbi cum ad hyemandum se pararet, per Petrum Adriani Papæ Legatum inuitatus in Italiam contra Desiderium Regem Longobardorum proficiscitur, eumq́ue Papiæ obsidere incipit. Annales, & Regino.* | 26 C. | 14 | 11 |
| 774. | 3 | 33 / 34 | 6 / 7 | 13 / 14 | *Carolus Papiã & Desiderium Regem in deditionem accipit. Regnũ Longobardorum obtinet. Desiderium & vxorem eius secum in Franciam deportat. Ann. Regino, & alij paßim. Paulo post Carolus Desiderium misit in exiliũ Leodiũ ad Agilfridũ. Anselmus sup. pag. 147. A. & Aegid. pag. 149. C.* | 27 B | 15 | 12 |
| 775. | 4 | 34 35 † 1 | 7 / 8 | 14 / 15 | *Constantinus Copronymus Imp. moritur 14. Sept. Succedit Leo filius. Theoph. Cedr.* | 28 A | 16 | 13 |
| 776. | 5 | 1 / 2 | 8 / 9 | 15 / 16 | *Leo Imp. coronat filium suum die Pascæ, 18. Cal. Maij. Theoph.* <br> *Carolus in Italiam tendit cont[illegible]otgandum Ducem Foroiuliensem, regnum Longobardorum affectantem. eoque [illegible] Foroiulium, Taruisiumq́ue occupat. MS. Reg. &c. Rex Natalem Domini peragit Heristallij.* | 1 G F | 17 | 14 |
| 777. | 6 | 2 / 3 | 9 / 10 | 16 / 17 | *Carolus Pasca celebrat Nouiomagi in Gelria. Paderbornæ Synodum habet; vbi tres Saraceni ex Hispania Regi suo rebelles, se suaque illi dedunt, auxiliumq́ue contra Regem suum petunt. Ann. Reg.* | 2 E | 18 | 15 |
| 778. | 7 | 3 / 4 | 10 / 11 | 17 / 18 | *Carolus expeditionem in Hispaniam contra Saracenos suscipit. Nauarram & Cæsaraugustam occupat. Sed in reditu, magnâ clade ad Pyrenæos montes afficitur. Interim Saxones VVerdam, Dauentriam, & vicina loca vastant. Ann. Reg.* | 3 D | 19 | 1 |
| 779. | 8 | 4 / 5 | 11 / 12 | 18 / 19 | *Rex Carolus cum Natalem Domini & Pasca Heristallij peregisset, contra Saxones tendit; & ad obsequium redigit. Ann. Reg.* | 4 C | 1 | 2 |
| 780. | 9 | 5 † 1 | 12 / 13 | 19 / 20 | *Leo Imp. moritur 8. Sept. Succedit filius Constantinus cum matre Irene. Theop. Baron.* | 5 BA | 2 | 3 |

Anni Chri. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787.

# RES GESTÆ.

| Ann. Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 781. | 10 | 1 | 13 14 | 20 21 | *Carolus Romam venit, vbi celebrat pasca, filiumque Pipinum ab Adriana Papa baptizandum curat. In reditu VVormatia ab obuio Thassilone Bauarorum Duce iuramentū fidelitatis accipit. Ann. Reg.* | 6 G | 3 | 4 |
| 782. | 11 | 2 | 14 15 | 21 22 | *Rex Carolus iterum in Saxones proficiscitur. Ijdem.* | 7 F | 4 | 5 |
| 783. | 12 | 3 | 15 16 | 22 23 | *Carolus Pasca ( vt & antea Natalem Domini ) in Theodonis villa celebrat. Hildegardis eius vxor moritur pridie Cal. Maij, Vigilia Ascensionis. Bellum Saxonicum renouatur. Berta mater Caroli Regis moritur 4. Id. Iulij. Rex Fastradanem coniugem VVormatiæ ducit. Natalē Domini celebrat Heristallij. Ann. Reg.* | 8 E | 5 | 6 |
| 784. | 13 | 4 | 16 17 | 23 † 1 | *Circa annum Domini 784. moritur Agilfridus. pag. 149. C. Succedit Gerbaldus annis circiter 25. pag. 150. C. & paulo post ait præfuisse 26.* | 9 DC | 6 | 7 |
| 785. | 14 | 5 | 17 18 | 1 2 | *Saxones tandem peruincuntur, & baptizantur. Ann. Reg.* | 10 B | 7 | 8 |
| 786. | 15 | 6 | 18 19 | 2 3 | | 11 A | 8 | 9 |
| 787. | 16 | 7 | 19 20 | 3 4 | *Nicææ Septima Synodus Oecumenica celebratur, 350. Episcoporum. & cultus imaginum in ea sancitur. Theoph.* *Carolus Heregisum Ducem Beneuentanum in ordinem redigit. Pasca Romæ celebrat. Inde rediens Antiphonarium Hadriani Papæ secum in Gallias refert: scholas instituit. Annal.* | 12 G | 9 | 10 |
| 788. | 17 | 8 | 20 21 | 4 5 | *Tassilo Dux Bauariæ & filius eius maiestatis rei à Carolo in monasteriū relegantur. Bellum contra Hunnos seu Auaros. Carolus ex Bauaria Aquisgranum redit. vbi Natalem Domini transigit. Ann. Reg.* | 13 FE | 10 | 11 |
| 789. | 18 | 9 | 21 22 | 5 6 | | 14 D | 11 | 12 |
| 790. | 19 | 10 * 1 | 22 23 | 6 7 | *Legiones in Armenia degentes Constantinum solum Imperatorem acclamant, pertersæ imperij muliebris. Theoph. Bar.* | 15 C | 12 | 13 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Franc. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 791. | 20 | 1 / 2 | 23 / 24 | 7 / 8 | *Carolus Rex Ratisbonam proficiscitur, inde contra Auares tendit; ac eos superat. Ann.* | 16 B | 13 | 14 |
| 792. | 21 | 2 / 3 | 24 / 25 | 8 / 9 | | 17 AG | 14 | 15 |
| 793. | 22 | 3 / 4 | 25 / 26 | 9 / 10 | | 18 F | 15 | 1 |
| 794. | 23 | 4 / 5 | 26 / 27 | 10 / 11 | *Carolus Rex Pascha Francofurti celebrat & Synodum habet, 300. circiter Episcoporum. Pro qua vide Baron. Ibi obijt Fastradana Regina. Inde Rex mouet in Saxoniam; ac rediens Natalem Domini Aquisgrani celebrat. Ann. Reg.* | 19 E | 16 | 2 |
| 795. | 24 † | 5 / 6 | 27 / 28 | 11 / 12 | *Carolus celebrato Aquisgrani Paschate, iterum in Saxones Christianæ Religionis desertores mouet, eosque reducit. Redit Aquisgranum. Ann.* *Hadrianus Papa moritur 26. Decemb. eodem die sufficitur Leo tertius. Bar.* | 20 D | 17 | 3 |
| 796. | 1 | 6 / 7 | 28 / 29 | 12 / 13 | *Rex peragrata Saxonia iterum Aquisgranum redit, vbi Pipinum filium à Pannonia redeuntem lætus excipit. Ann.* | 21 CB | 18 | 4 |
| 797. | 2 | 7 † / 1 | 29 / 30 | 13 / 14 | *Irene mater filium Constantinum Imp. oculis priuat, vt 3. die moreretur. Theoph. Bar.* *Carolus Rex Aquisgrani Abdellam Sarracenum suscipit: quem & paulo post cum filio suo Ludouico in Hispaniam remittit. Pipinum in Italiam destinauit. Ann.* | 22 A | 19 | 5 |
| 798. | 3 | 1 / 2 | 30 / 31 | 14 / 15 | *Rex è Saxonia Aquisgranum rediens, Legatos Irenes Imperatricis excipit. Ann.* | 23 G | 1 | 6 |
| 799. | 4 | 2 / 3 | 31 / 32 | 15 / 16 | *Leo Papa à Clericis suis male mulctatur, Roma in Saxoniam ad Carolũ Regem venit. à quo honorificè susceptus cum præsidio Romam remissus est. Rex Aquisgranum redit. Ann.* | 24 F | 2 | 7 |
| 800. | 5 | 3 / 4 | 32 / 33 | 16 / 17 | *Carolus Magnus Moguntiæ Synodum celebrat. Inde Romam versus abit contra Beneuentanos, ei expeditioni præficit filium Pipinum. Ipse Romam ingreditur 24. Nouembris. Die vero 25. Dec. ipso Natali Domini à Leone Papa coronatur Augustus, seu Imperator Romanus. Eginhardus. Baron. &c. Ab hinc solos Imperatores Occidentis notabimus.* | 25 ED | 3 | 8 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Caroli Imp. | Reges Frāc. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lun. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 801. | 6 | 1 | 33 34 | 17 18 | *Carolus Imp. Italiæ rebus ordinatis, post Pascha, 7 Cal. Maij Spoletū venit. vbi dum esset, pridie Cal terræmotus magnus Italiam cōcussit. Inde exceptâ Persica Legatione, in Galliam reuersus, Natalem Domini Aquisgrani celebrauit. Ann. MS. Regino. Martyrium S. Saluij prope Valentianas in Hannonia 26. Iunij. Sigeb. Mol.* | 26 C | 4 | 9 |
| 802. | 7 | 2 | 34 35 | 18 19 | *Cum Irenes Imperatricis Græcorum Legatis, pro pace ineunda, Carolus Imp. suos remittit; Iesse Episcopum Ambianensem, & Helingaudum Comitem, pro coniugio cum ea ineundo. Sed dum hi suntConstantinopoli. 31. Octob. feria 2. Nicephorus imperium inuadit. Theoph.* <br> *Carolus Imp. per æstatem in Ardenna venationi operam dat. Ann. Reg.* | 27 B | 5 | 10 |
| 803. | 8 | 3 | 35 36 | 19 20 | *Carolus in Baioariam abit. Ibi ad Salam fluuium Legatos suos & alios Nicephori recipit. Inde Aquisgranum redit. Iidem.* | 28 A | 6 | 11 |
| 804. | 9 | 4 | 36 37 | 20 21 | *Carolus Imp. post autumnalem venationem in Ardenna, Leonem Papam Remis excipit, cum eo Natalem Domini Carisiaci celebrat; & post dies octo Romam remittit. Ann. Reg. Canonizatio S. Suiberti. præsentibus multis Episcopis, ac inter alios Gerbaldo Leod. & Folquino Morinensi. pag. 151 ex Ludgero. & Bar. Vereor tamē ne hæc ad prius Leonis iter pertineāt an. 799.* | 1 G F | 7 | 12 |
| 805. | 10 | 5 | 37 38 | 21 22 | *Carolus Aquisgrano Iulio mense, Theodonisuillam petit, Inde Metas & Vogesum montem; vbi venatu se oblectauit. Denique in Theodonis villa hiemauit, vbi & filios Pipinum ac Ludouicum excepit. Ann. Reg.* | 2 E | 8 | 13 |
| 806. | 11 | 6 | 38 39 | 23 23 | *Conuentus in Theodonis villa ab Imp. habetur; qui & tribus filijs regnum ex testamento partitur; quod & à Leone Papa confirmari voluit. Ann Reg. Bar.* <br> *Eclipsis Lunæ 2. Sept. Ann.* | 3 D | 9 | 14 |
| 807 | 12 | 7. | 39 40 | 23 24 | *Eclipsis Solis 3. Idus Febr. Eclipsis Lunæ 4. Cal. Martij, & altera 11. Cal Septemb Carolus Aquisgrani Legationem & munera à Rege Persarū suscipit. Ann Reg.* | 4 C | 10 | 15 |
| 808. | 13 | 8 | 40 41 | 24 25 | *Bellum Danicum Godefridi Regis contra Francos. Carolus quadragesimam & Pascha Nouiomagi transigit. vbi & Regem Nordanhūbrorum de Britannia profugum recipit, ad Papam mittit, eiusque Legatis ac suis in regnum restituit. Inter Legatos Imp. vnus fuit Nantharius de S. OTMARO. Ann. Reg.* | 5 B A | 11 | 1 |
| 809. | 14 | 9 | 41 42 | 25 26 † | *Carolus Imp. de sylua Ardenna reuersus, celebrat Aquisgrani Concilium mense Nouembri, de processione Spiritus Sancti, & de conseruatione ecclesiarum, ac Clericorum. Ann Reg.* (pag. 150. C. <br> *Moritur Gerbaldus Episcopus Leod. 15. Cal. Nouemb. anno 26. suæ sedis.* | 6 G | 12 | 2 |
| 810. | 15. | 10 | 42 43 | VValcād. 1 | *Classis Normannorum, 200. nauium in Frisiam appellit, eamque sibi tributariam facit. Carolus Aquisgrano occurrere parat; sed in itinere classem è Frisia discessisse, ac Godefridum Regem à suis cæsum accipit. eo anno Sol & Luna bis defecerunt Ann. Reg.* <br> *VValcādus seu VValtgandus fit Episcopus Leod. Pag. 147. B & 151. D.* | 7 F | 13 | 3 |

# RES GESTÆ.

| Anni Chrif. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Frãc. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 811. | 16 | 11 | 43 / 44 | 1 / 2 | *Carolus in conuentu Aquifgrani teftamentum condit de rebus mobilibus. Eginh. Bar In eo inter Epifcopos fubfignatus eft VValtgandus, Leodienfis fcz & Ieffe Ambianenfis. Inde ad claffem vifitandam BONONIAM petit, & locum ad Scaldim, qui dicitur GANT. Pôft Aquifgranum redit. vbi Carolum filium morte amittit 4. Dec. Ann. Reg.* | 8 E | 14 | 4 |
| 812. | 17 | 12 | 44 / 45 | 2 / 3 | *Nicephorus Imp. Græcorum moritur. Michael fucceffor eius per legatos pacẽ cum Carolo Aquifgrani confirmat. Eclipfis Solis Idib. Maij. Ann. Reg.* | 9 D C | 15 | 5 |
| 813. | 18 | 13 | 45 / 46 | 3 / 4 | *Carolus Imp. Amalharium Treuirenfem Epifcopum Conftantinopolim mittit, ad pacem cum Michaële. Imp. firmandam. Tum Ludouicum filium proclamari iubet Auguftum. Inde Concilia 5. celebrat, Moguntiæ, Remis, Turonis, Arelati, Cabillone. Ann Reg.* | 10 B | 16 | 6 |
| 814. | 19 | 14 / 1 | 46 / 4 | 4 / 5 | *Carolus Imp moritur 5. Cal. Febr. Aquifgrani; vbi & fepultus eft; 4. anno VValcandi Epifcopi Leodienfis. (P.147.) Ludouicus filius ex Aquitania 30. poft die aduenit, ac in imperiũ fuccedit. Pacẽ cũ Leone Imp Orientis ceterifque Principibus firmat. Ann. Reg. Monachi loco Clericorum ordinantur Andaini, confilio Leonis Papæ, & Ludouici Imp. Sup. pag. 151. B.* | 11 A | 17 | 7 |
| 815. | 20 | 2 | Imperato- | 5 / 6 | | 12 G | 18 | 8 |
| 816. | 21 / 1 | 3 | res funt | 6 / 7 | *Leo Papa moritur, 12 Iunij. Succedit Stephanus, 22. eiusdem. qui Remos adueniens Ludouicum Imp. coronat. Ann. Reg.* | 13 F E | 19 | 9 |
| 817. | 1 / 1 | 4 | etiam Re- | 7 / 8 | *Stephanus Papa 8. Cal. Febr. moritur Succ poft biduũ Pafcalis. Bar. Eclipfis Lunæ 5 Febr Ann. Ludouicus Imp. Aquifgrani, 10. Iulij generalẽ conuétũ habet, quo Capitula 80. regularis difciplinæ conftituta Tunc quoque Corpus S Huberti per VValcandũ Leodienfẽ Epifcopũ tranflatum eft Andainum, anno ab eius morte 90. Apte. Sup pag. 131. D. & 152. 153.* | 14 D | 1 | 10 |
| 818. | 2 | 5 | ges Fran- | 8 / 9 | *Eclipfis Solis 8. Idus Iulij Imperator ex Britannia minore debellata, redit Rothomago, Ambiano, Cameraco, Heriftallium, Aquifgranum. in eo itinere Irmingardis vxor eius Andegauis moritur, 5. Non. Octobris. Ann. MS.* | 15 C | 2 | 11 |
| 819. | 3 | 6 | corum. | 9 / 10 | *Ludouicus Imp. vxorem ducit Indith am. Ann.* | 16 B | 3 | 12 |
| 820. | 4 | 7 | | 10 / 11 | *Tredecim Naues Normannicæ primo Flandrenfem oram, tum circa Sequanæ oftium, denique Aquitanicam depopulatæ funt. Luna defecit 8. Cal. Decembris, hora noctis fecunda. Ann. MS.* | 17 A G | 4 | 13 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 821. | 5 | 8 | 11 12 | *Ludouicus Imp. conuentum mense Februario Aquis habet. inde alium post Pasca, Nouiomagi (quo per Mosam descenderat) præsentibus Paschalis Papæ Legatis: vbi diuisionem regni inter filios antea statutam confirmat. Denique tertium in Theodonis villa, in quo Lotharius Irmingardam vxorē duxit. Ann.* | 18 F | 5 | 14 |
| 822. | 6 | 9 | 12 13 | | 19 E | 6 | 15 |
| 823. | 7 | 10. | 13 14 | *Gundulpho Metensi Episcopo Drogo Ludouici Imp. frater succedit. Adalungus Abbas Monasterij S. Vedasti Atrebatensis Legatus ab Imp. Romam mittitur. Ann.* *Ebbo Archiepiscopus Remensis & Halitgarius Cameracensis ad conuersionem Danorum proficiscuntur. Bar.* | 20 D | 7 | 1 |
| 824. | 8 † 1 | 11. | 14 15 | *Paschalis Papa moritur 14. Maij. Post 4. dies sufficitur Eugenius. Bar.* | 21 CB | 8 | 2 |
| 825. | 1 2 | 12 | 15 16 | | 22 A | 9 | 3 |
| 826. | 2 3 | 13 | 16 17 | | 23 G | 10 | 4 |
| 827 | 3 4 † 1 | 14 | 17 18 | *Reliquiæ SS. Marcellini & Petri Romā Suessionem translatæ; inde Aquisgranum, tum VALENTIANAS ad S. Saluij, multis miraculis clarent. Eginh. Bar.* *Eugenius Papa moritur 11. Aug. Succedit Valentinus dies 40. Inde Gregorius 4. 24. Septembris. Bar.* | 24 F | 11 | 5 |
| 828. | 1 2 | 15 | 18 19 | *Conuentus Aquisgrani mense Februario. Halitgarius Cameracensis Episcopus Legatus Constantinopolim mittitur, & redit. Eclipses Lunæ duæ, prima Cal. Iulij. Altera 25. Decembris. Ann.* | 25 ED. | 12 | 6 |
| 829. | 2 3 | 16 | 19 20 | *Ludouicus Imp. Aquisgrani vsque ad Cal. Iulij moratur. Inde conuentu VVormatiæ habito, filium Lotharium in Italiam mittit; Bernardum Hispanum Comitem Barcinonæ cubiculo suo præficit, quæ causa fuit sequentis discordiæ. Ann.* | 26 C | 13 | 7 |
| 830. | 3 4 | 17 | 20 21 | *Conspiratio in Ludouicum Imp. à filijs & Principibus, ob suspicionem adulterij Iudithæ vxoris illius cum Bernardo cubiculario. Tandem sopitur in conuentu Nouiomagensi. Ann. Vita Lud. Bar.* | 27 B | 14 | 8 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 831. | 4 5 | 18 | 20 21 | *Ludonicus Imp. Indithan vxorem Aquisgrani se purgantem recipit Ann. Dat VValcando Episcopo Leodiensi diploma Aristalis, 13. Cal. Maias, anno 18. imperij sui, Indictione 9. Sup. pag. 154. 155. Vnde vides VValcandum non tantum 18. annos præfuisse (ut Aegid. pag. 153. B.) sed potius 22. vt quædam exemplaria.* | 28 A | 15 | 9 |
| 832. | 5 6 | 19 | 21 22 † 1 | *VValcandus Episcopus Leodiensis moritur 6. Idus Apr. anno Episcopatûs 22. Succedit Pirardus.* *Ludonicus Pipinum filium ad carcerem condemnat. Sed is fuga elabitur. Ann.* | 1 GF | 16 | 10 |
| 833. | 6 7 | 20 | 1 2 | *Filij Ludonici Imp patrem oppugnant, imperio se abdicare cogunt. Gregorius Papa ideo Roma venit. sed nihil efficit. Ann.* | 2 E | 17 | 11 |
| 834. | 7 8 | 21 | 2 3 | *Ludonicus imperium recipit; Lothario filio parcit. quem & in Italiam remittit. Ann.* | 3 D | 18 | 12 |
| 835. | 8 9 | 22 | 3 4 | *Cõuentus magnus Episcoporũ ad Theodonis villam; in quo Ebo Remensis Episcopus auctor depositionis Ludouici Imp. Episcopatu se abdicat. Ann.* | 4 C | 19 | 13 |
| 836. | 9 10 | 23 | 4 5 | *Synodus Aquisgrani de ablatis Ecclesiæ restituendis. quod & factum est. Normanni in Frisiam irrumpunt. Dorestadũ vastant, Antuerpiã incendunt, tributũque à Frisijs accipiũt; sed Ludouico Imp. occurrente recedunt. Iesse Ambianorum Episcopus in Italia moritur. Vita Lud. Bar. Annales tamen Pithæi referunt ad priorem annum.* | 5 BA | 1 | 14 |
| 837. | 10 11 | 24 | 5 6 | *Rursum Normanni in VValachriam Zelandiæ insulam irrumpunt, Dorestadum vastant. tributũ à Frisijs accipiunt. Ann. Pith. priore tamẽ anno* | 6 G | 2 | 15 |
| 838. | 11 12 | 25 | 6 7 | *Ludonicus Imp. Lothario filio regnum Lothariense à Mosa in Germaniã aßignat: Carolo a Mosa in Franciam. Vnde Lotharienses & Carlenses postea dicti. Ludouico filio Bauariam reliquit. Ann.* | 7 F | 3 | 1 |
| 839. | 12 13 | 26 | 7 8 | | 8 E | 4 | 2 |
| 840. | 13 14 | 27 † 1 | 8 9 | *Eclipsis Solis Vigilia Ascensionis, 5. Maij. Ludouicus Imp moritur 20. Iunij, die Dominico Vita Lud Ann. Lotharius in imperio succedit. Obijt ergo Ludouicus Imp. nono anno Pirardi, non Hircarij, vt mendosè legitur pag. 551. D.* | 9 DC | 5 | 3 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 841. | 14 15 | 1 2 | 9 † 1 1 | *Pirardus Episcopus moritur. Nisi forte priore anno. pag. 155. B. Succedit Hircarius.* *Lotharius cum exercitu Aquisgranum venit ; occupat imperium patris ; Ludouico fratri Bauariam, Carolo Aquitaniam tantum relinquens. Pugnatur. Lotharius vincitur cruento prælio. Ann.* | 10 B | 6 | 4 |
| 842. | 15 16 | 2 3 | 1 2 | *Eclipsis Lunæ 3. Cal. Ap. feria 5. ante Pascha. Lotharius reparato exercitu pugnans, iterum vincitur à fratribus, qui regnum eius inter se diuidunt Ann.* | 11 A | 7 | 5 |
| 843. | 16 † | 3 4 | 2 3 | *Pax inter fratres, & diuisio regni. Ludouicus Orientalem partem accepit ; Carlus Occidentalem ; Lotharius mediam, inter Mosam & Rhenum. Ann.* *Gregorius Papa moritur circa finem anni. Bar.* | 12 G | 8 | 6 |
| 844. | 1 | 4 5 | 3 4 | *Sergius fit Papa* 10. *Febr. Bar.* | 13 F E | 9 | 7 |
| 845. | 2 | 5 6 | 4 5 | *Normanni per Sequanam Parisios vsque veniunt, regnum Caroli vastãt, acceptaque pecunia reuertuntur. In Frisia quoque ter conflixerunt, ingenti hominum strage. Ann.* *Hincmarus fit Remensis Episcopus. Frodoard.* | 14 D | 10 | 8 |
| 846. | 3 | 6 7 | 5 6 | | 15 C | 11 | 9 |
| 847. | 4 † 1 | 7 8 | 6 7 | *Lotharius Imper. & Ludouicus fratres annum mutua visitatione transigunt. Rabanus ordinatur Moguntiæ Archiepiscopus 6. Cal. Iulij die Dominico. Ann.* MS. *Sergius Papa moritur 12. Apr. Sufficitur eodem die Leo 4. Bar.* | 16 B | 12 | 10 |
| 848. | 1 2 | 8 9 | 7 8 | | 17 A G | 13 | 11 |
| 849. | 2 3 | 9 10 | 8 9 | | 18 F | 14 | 12 |
| 850. | 3 4 | 10 11 | 9 10 | *Iterum Normanni per Sequanam ascendentes, regnum Caroli prædantur duce Godafrido. Carolus terram eis ad inhabitandum concedit. Ann.* | 19 E | 15 | 13 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi. Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 851. | 4 5 | 11 12 | 10 11 | | 20 D | 16 | 14 |
| 852. | 5 6 | 12 13 | 11 12 | *Theodoricus Episcopus Cameracensis corpus S. Vedasti Atrebati inuenit, & ad facilem translationem aptat, propter crebras incursiones Normannorum. Chron. Camer.* | 21 C B | 17 | 15 |
| 853. | 6 7 | 13 14 | 12 13 | *Normanni per Ligerim fluuiū Turonos veniunt, basilicā S. Martini incendunt. Synodus Suessionensis ab Hincmaro Archiepiscopo Rem. habetur, cui interfuere Theodoricus Cameracensis, & Emmo Noniomensis seu Tornacensis Episcopi. Ann. Bar.*<br>*Fabula de Ioanna papissa. Vide Baron.* | 22 A | 18 | 1 |
| 854. | 7 8 | 14 15 | 13 14 | *Normanni qui per 20. annos regni Francorum fines per loca nauibus accessibilia vastauerant, in patriam reuertuntur. Ibi ciuili orta dissensione mutua se cæde mactant. Ann.* | 23 G | 19 | 2 |
| 855. | 8 9 + 1 | 15 + 1 | 14 15 + | *Leo Papa 4. moritur 17. Iulij. Succedit Benedictus 3. Bar. Lotharius Imp. diuidit filijs suis regnum; Ludouico Italiam cum Imperio; Lothario regnum Lothariense inter Mosam & Rhenum. Ipse Monasterium Prumiense ingreditur, & paulo post moritur 27. Sept. Ann. Hircarius Episcopus Leodiensis moritur 3. Cal. Oct. Sup. pag. 155. D.* | 24 F | 1 | 3 |
| 856. | 1 2 | 1 2 | 1 | *Rabanus Archiepiscopus Moguntinus moritur 4. Februarij. Ann.*<br>*Franco fit Episcopus Leod. initio huius anni. Anselmus cap. 37 pag. 156.* | 25 E D | 2 | 4 |
| 857. | 2 3 | 2 3 | 2 | *Ludouicus Rex Germaniæ & Baioariæ cum Lothario Rege Lotharingiæ colloquitur Confluentiæ, mense Februario. Ann.* | 26 C | 3 | 5 |
| 858. | 3 + 1 | 3 4 | 3 | *Benedictus Papa moritur 16. Febr. Succedit Nicolaus. Bar.*<br>*Ludouicus Rex Germaniæ contra fratrem suum Carolum Regem Franciæ in Galliam venit, ob illius tyrannidem; qui Normannis omissis (contra quos pugnabat) fratri primò occurrit; mox recessit. Ludouicus victor in Germaniam ob tumultus redit. Ann.* | 27 B | 4 | 6 |
| 859. | 1 2 | 4 5 | 4 | *Synodus Tullensis, cui inter alios interest Franco Tungrensis Episcopus. Bar. & Pag. 163. D.* | 28 A | 5 | 7 |
| 860. | 2 3 | 5 6 | 5 | *Ludouicus Rex Germaniæ & Carolus frater eius Rex Franciæ, item Lotharius eorum nepos Rex Lotharienſis, pacem inter se sanciunt Confluentiæ. Ann.* | 1 G F | 6 | 8 |

| Ann Chr. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 861. | 3 / 4 | 6 / 7 | 6 | *Balduinus Ferreus (paulo pòst primus Comes Flandriæ) Indithã filiam Caroli Franciæ Regis rapit. moxque cum eã fugit ad regnum Lotharij. Epistolæ Nicolai Papæ.*<br>*Normanni Monasterium S. Bertini, & totum pene Teruanense territoriũ incendunt. Meyerus. Mol.* | 2 E | 7 | 9 |
| 862. | 4 / 5 | 7 / 8 | 7 | *Synodus Aquisgrani, in fauorem Lotharij Regis, repudium vxoris suæ legitimæ Theutpergæ molientis, & VValdradam concupiscentis. cui interest Franco Tungrensis Episcopus. Sigeb Bar. quem vide. Nicolaus Papa epistolas ideo mittit in Gallias. & Balduinũ supplicẽ Carolo Regi cõmendat. Bar.* | 3 D | 8 | 10 |
| 863. | 5 / 6 | 8 / 9 | 8 | *Metensis Synodus mense Iunio; quâ repudiũ Theutpergæ probatur; VValdrada pellex à Lothario Rege ducitur. Sed Nicolaus Papa eã damnat: Guntharium & Theotgandum excõmunicat. Carolus Rex Franciæ Balduino Indithã filiam indulget, & omnem terram inter Scaldim, Somonam, & Oceanum iacentem. eumque Comitem Regni contra Danos creat. Meyer.* | 4 C | 9 | 11 |
| 864. | 6 / 7 | 9 / 10 | 9 | *Nicolaus Pontifex Romam citat Episcopos Galliarum ad Synodum. excusant illi se propter Normannorum excursiones. Rex item Lotharius literis eiusdem exagitatus demisse rescribit. Bar.* | 5 B A | 10 | 12 |
| 865. | 7 / 8 | 10 / 11 | 10 | *Arsenius Legatus Nicolai Papæ in Gallias veniens, pacem sancit inter Ludouicum Germaniæ, & Carolum Franciæ Reges. & Theutpergam thoro Lotharij restituit, VValdrada expulsa. Ann. Bar.*<br>*Franco Tungrensis Episcopus veniam à Nicolao impetrat, pro causa Rhocaldi Episcopi Suessioñ. pag. 163 D. Bar.* | 6 G | 11 | 13 |
| 866. | 8 / 9 | 11 / 12 | 11 | *Lotharius Rex oblitus iuramenti rursum cum VValdrada ab Italia reuocata coniungitur; ideoque ipsam excõmunicat Nicolaus, & Lothario regni priuationem minatur. Bar. Ann.* | 7 F | 12 | 14 |
| 867. | 9 / 10 † | 12 / 13 | 12 | *Nicolaus Papa moritur Idibus Nouembris. postquam ad Episcopos Germaniæ literas dedisset de Theutgaudi & Guntharij Archiepiscoporũ depositione; & Lothario Regi, ne Romã veniret, inhibuisset. Illi autẽ successit Hadrianus. Bar. Annales tamen & Regino ad sequentem annum referunt.* | 8 E | 13 | 15 |
| 868. | 1 | 13 / 14 | 13 | | 9 D C | 14 | 1 |
| 869. | 2 | 14 / 15 | 14 | *Lotharius cum apud Hadrianum Papam peierasset, Roma rediens, Placentiæ moritur, sexto Idus Augusti. Ann. Regino. Baronius tamẽ refert priori anno Carolus Rex Francorum Metas inuadit; inde Aquisgranum: vbi à Francone Tungrẽsi Episcopo Hilduinũ quẽdã presbyterũ ordinari facit. Reg.* | 10 B | 15 | 2 |
| 870. | 3 | 15 / 16 | 15 | *Carolus Franciæ, Ludouicus Germaniæ Reges Lotharij nepotis regnum inter se partiuntur. Reg. Ann.* | 11 A | 16 | 3 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 851. | 4 / 5 | 11 / 12 | 10 / 11 | | 20 D | 16 | 14. |
| 852. | 5 / 6 | 12 / 13 | 11 / 12 | *Theodoricus Episcopus Cameracensis corpus S. Vedasti Atrebati inuenit, & ad facilem translationem aptat, propter crebras incursiones Normannorum. Chron. Camer.* | 21 CB | 17 | 15 |
| 853. | 6 / 7 | 13 / 14 | 12 / 13 | *Normanni per Ligerim fluuiū Turonos veniunt, basilicā S. Martini incendunt. Synodus Suessionensis ab Hincmaro Archiepiscopo Rem. habetur. cui interfuere Theodoricus Cameracensis, & Emmo Nouiomensis seu Tornacensis Episcopi. Ann. Bar.* <br> *Fabula de Ioanna papissa. Vide Baron.* | 22 A | 18 | 1 |
| 854. | 7 / 8 | 14 / 15 | 13 / 14 | *Normanni qui per 20. annos regni Francorum fines per loca nauibus accessibilia vastauerant, in patriam reuertuntur. Ibi ciuili orta dissensione mutua se cade mactant. Ann.* | 23 G | 19 | 2 |
| 855. | 8 / 9 † 1 | 15 † 1 | 14 / 15 † | *Leo Papa 4. moritur 17. Iulij. Succedit Benedictus 3. Bar. Lotharius Imp. diuidit filijs suis regnum; Ludouico Italiam cum Imperio; Lothario regnum Lothariense inter Mosam & Rhenum. Ipse Monasterium Prumiense ingreditur, & paulo post moritur 27. Sept. Ann. Hircarius Episcopus Leodiensis moritur 3. Cal. Oct. Sup. pag. 155. D.* | 24 F | 1 | 3 |
| 856. | 1 / 2 | 1 / 2 | 1 | *Rabanus Archiepiscopus Moguntinus moritur 4. Februarij. Ann.* <br> *Franco fit Episcopus Leod. initio huius anni. Anselmus cap. 37 pag. 156.* | 25 ED | 2 | 4 |
| 857. | 2 / 3 | 2 / 3 | 2 | *Ludouicus Rex Germaniæ & Baioariæ cum Lothario Rege Lotharingiæ colloquitur Confluentiæ, mense Februario. Ann.* | 26 C | 3 | 5 |
| 858. | 3 † 1 | 3 • 4 | 3 | *Benedictus Papa moritur 16. Febr. Succedit Nicolaus. Bar.* <br> *Ludouicus Rex Germaniæ contra fratrem suum Carolum Regem Franciæ in Galliam venit, ob illius tyrannidem; qui Normannis omissis (contra quos pugnabat) fratri primò occurrit; mox recessit. Ludouicus victor in Germaniam ob tumultus redit. Ann.* | 27 B | 4 | 6 |
| 859. | 1 / 2 | 4 / 5 | 4 | *Synodus Tullensis, cui inter alios interest Franco Tungrensis Episcopus. Bar. & Pag. 163. D.* | 28 A | 5 | 7 |
| 860. | 2 / 3 | 5 / 6 | 5 | *Ludouicus Rex Germaniæ & Carolus frater eius Rex Franciæ, item Lotharius eorum nepos Rex Lothariensis, pacem inter se sanciunt Confluentiæ. Ann.* | 1 GF | 6 | 8 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- |
| 861. | 3 / 4 | 6 / 7 | 6 | *Balduinus Ferreus (paulo pòst primus Comes Flandriæ) Indithã filiam Caroli Franciæ Regis rapit. moxque cum eã fugit ad regnum Lotharij. Epistolæ Nicolai Papæ.* *Normanni Monasterium S. Bertini, & totum pene Ternanense territoriũ incendunt. Meyerus. Mol.* | 2 E | 7 | 9 |
| 862. | 4 / 5 | 7 / 8 | 7 | *Synodus Aquisgrani, in fauorem Lotharij Regis, repudium vxoris suæ legitimæ Theutpergæ molientis, & VValdradam concupiscentis. cui interest Franco Tungrensis Episcopus. Sigeb. Bar. quem vide. Nicolaus Papa epistolas ideo mittit in Gallias. & Balduinũ supplicẽ Carolo Regi cõmendat. Bar.* | 3 D | 8 | 10 |
| 863. | 5 / 6 | 8 / 9 | 8 | *Metensis Synodus mense Iunio; quã repudiũ Theutpergæ probatur; VValdrada pellex à Lothario Rege ducitur. Sed Nicolaus Papa eã damnat: Guntharium & Theotgandum excõmunicat. Carolus Rex Franciæ Balduino Inditham filiam indulget, & omnem terram inter Scaldim, Somonam, & Oceanum iacentem. eumque Comitem Regni contra Danos creat. Meyer.* | 4 C | 9 | 11 |
| 864. | 6 / 7 | 9 / 10 | 9 | *Nicolaus Pontifex Romam citat Episcopos Galliarum ad Synodum. excusant illi se propter Normannorum excursiones. Rex item Lotharius literis eiusdem exagitatus demisse rescribit. Bar.* | 5 B A | 10 | 12 |
| 865. | 7 / 8 | 10 / 11 | 10 | *Arsenius Legatus Nicolai Papæ in Gallias veniens, pacem sancit inter Ludouicum Germaniæ, & Carolum Franciæ Reges. & Theutpergam thoro Lotharij restituit, VValdrada expulsa. Ann. Bar.* *Franco Tungrensis Episcopus veniam à Nicolao impetrat, pro causa Rhotaldi Episcopi Suessioñ. pag. 163 D. Bar.* | 6 G | 11 | 13 |
| 866. | 8 / 9 | 11 / 12 | 11 | *Lotharius Rex oblitus iuramenti rursum eum VValdrada ab Italia reuocata coniungitur; ideoque ipsam excõmunicat Nicolaus, & Lothario regni priuationem minatur. Bar. Ann.* | 7 F | 12 | 14 |
| 867. | 9 / 10 / 1 | 12 / 13 | 12 | *Nicolaus Papa moritur Idibus Nouembris. postquam ad Episcopos Germaniæ literas dedisset de Theutgandi & Guntharij Archiepiscoporũ depositione; & Lothario Regi, ne Romã veniret, inhibuisset. Illi autẽ successit Hadrianus. Bar. Annales tamen & Regino ad sequentem annum referunt.* | 8 E | 13 | 15 |
| 868. | 1 | 13 / 14 | 13 | | 9 D C | 14 | 1 |
| 869. | 2 | 14 / 15 | 14 | *Lotharius cum apud Hadrianum Papam peierasset, Romã rediens, Placentiæ moritur, sexto Idus Augusti. Ann. Regino. Baronius tamẽ refert priori anno. Carolus Rex Francorum Metas inuadit; inde Aquisgranum: vbi à Francone Tungrẽsi Episcopo Hilduinũ quẽdã presbyterũ ordinari facit. Reg.* | 10 B | 15 | 2 |
| 870. | 3 | 15 / 16 | 15 | *Carolus Franciæ, Ludouicus Germaniæ Reges Lotharij nepotis regnum inter se partiuntur. Reg. Ann.* | 11 A | 16 | 3 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Loth. | Epi. Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 871. | 4. | 16 / 17 | 1 / 2 | 16 | *Papa Ludouicum Imp fratrem Lotharij Regis defuncti Romæ coronat Regem Francorum. Aim. Bar.* | 12 G | 17 | 4 |
| 872. | 5 † | 17 / 18 | 2 / 3 | 17 | *Hadrianus Papa moritur Cal. Nouemb. Succedit Ioannes 8. 14. Decēb. Bar.* | 13 F E | 18 | 5 |
| 873. | 1 | 18 / 19 | 3 / 4 | 18 | *Ludouicus Germaniæ Rex reddit Ludouico Imp. nepoti suo partem regni Lothariensis, quam in diuisione cum Carolo Caluo acceperat.* | 14 D | 19 | 6 |
| 874. | 2 | 19 / 20 | 4 / 5 | 19 | *Locustæ Gallias depopulantur. Regino. Ann. &c.* | 15 C | 1 | 7 |
| 875. | 3 | 20 / † | 5 / 6 | 20 | *Ludouicus Imp. & Rex Italiæ, frater Lotharij iunioris Regis Lotharingiæ moritur. Carolus Caluus Rex Francorum Italiam & imperium occupat. Salutatur Romæ Imp. 25. Decembris. Ann. Bar.* | 16 B | 2 | 8 |
| 876. | 4 | 1 | 6 / * / 1 | 21 | *Ludouicus Germaniæ Rex Francofurti moritur 28. Augusti. Carolus Caluus Imp. & Rex Franciæ frater eius, Aquisgranum occupat & Coloniam. Sed Ludouicus Ludouici defuncti filius cū Lotharigia expellit; partitoque cū fratribus suis regno, ipse Aquisgranum obtinet. Regino. Ann.* | 17 A G | 3 | 9 |
| 877. | 5 | 2 / † / 1 | 1 / 2 | 22 | *Carolus Caluus Imp. Romam 2. proficiscitur. Inde rediens Vercellis moritur, 6. Octob. Succedit in regno & imperio filius Ludouicus Balbus. Ann. Reg. Bar.* <br> *Ludouicus Rex Germaniæ & Austrasiæ Aquis hyemat. Ann.* | 18 F | 4 | 10 |
| 878. | 6 | 1 / 2 | 2 / 3 | 23 | *Eclipsis Lunæ 15. Octob. & Solis 29. eiusdem. Regino. Ann.* <br> *Ioannes Papa in Gallias venit. Trecensem Synodum habet. Ludouicum coronat Imp. Inde acceptis auxilijs in Italiam redit. Aim. Bar.* | 19 E | 5 | 11 |
| 879. | 7 | 2 † Vacat | 3 / 4 | 24 | *Ludouicus Balbus Imp moritur 10. Apr. feria 6. ante Pascha. Frodoard. Ludouicus Rex Germ & Austrasiæ Virdunum venit, vt Franciam occupet. Sed mox in regnum suum reuersus est accepta à filijs Balbi parte regni quam habebant in Austrasia, & Abbatia S. Vedasti Atrebati. Ann. Reg. Bar.* | 20 D | 6 | 12 |
| 880. | 8 | Imperium. | 4 / 5 | 25 | *Ludouicus Rex Austrasiæ, seu Lotharingiæ contra Normannos ad Schaldim iamdiu residentes pugnat in Carbonaria; & superat. Ann. Sigeb. Regino tamen videtur ad superiorem annum referre.* <br> *Carolus Crassus Italia occupata, Imperator à Ioanne Papa coronatur die Natali Domini. Bar. Reg.* | 21 C B | 7 | 13 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Loth. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 881. | 9 | 1 | 5 \| 6 | 25 | *Normannorum pars VVabalim fluuium ingressa, Neomagum occupat. sed à Ludouico Rege pressa abit. Pars alia per Mosam Traiectum, Leodium, Tũgros, Aquisgranum, Nonesium, Coloniam, Bonnam, Stabuletum, &c. vastat aut incendit. Ann. Reg. Addunt Sigeb. & Chron. Camer. tunc quoque Cameracum & Atrebatum incensa. Sed aptius fortè priore anno.* | 22 A | 8 | 14 |
| 882. | 10 \| 1 | 2 | 6 \| 1 | 27 | *Normanni die Epiphaniæ Prumiam Monasteriũ ingrediũtur; vicina vastãt. Treuiros capiũt Nonis April. in cœna Dñi, & cõburunt. VValonẽ Metẽs. Episcopũ occidũt. Interim Ludouicus Rex Germ. & Aust moritur, 13. Cal. Sep. Carolus Imp ex Italia redit, regnũ fratris init, & Norm. certis pactis è regno dimittit. Reg. Ann. Ioannes Papa moritur 15. Dec. Succ. Marinus, 19.* | 23 G | 9 | 15 |
| 883. | 1 | 3 | 1 \| 2 | 28 | *Hugo Lotharij Regis ex VValdradâ filius Lotharingiam non minus quã Normanni vastat. Reg.*<br>*Hincmarus Archiepisc. Remensis moritur, Succedit Fulco. Frod Bar.* | 24 F | 10 | 1 |
| 884. | 2 \| 1 | 4 | 2 \| 3 | 29 | *Marinus Papa moritur 18. Ianuarij. Succedit Hadrianus. Bar. Normanni in Franciam per Somnum fluuium (forte Somonam) irrumpunt. Mox ingenti pecunia à Carolomanno Rege accepta cum abirent, rursum intellectâ eius morte redeunt. Franci ideo Carolo Imp. se subdunt. Normanni Louanium veniunt; eos Carolus insequitur; frustra. Regino. Diploma Caroli pro Francone pag. 161. 162.* | 25 ED | 11 | 2 |
| 885. | 2 \| 1 | 5 | 3 \| 4 | 30 | *Godefridus Rex Normannorum, dolo in Batauia interimitur, cum pacem ante factam, instigante Hugone filio VValdradæ, rumpere moliretur. Hugo captus, oculis priuatur, & fit Monachus. Reg.*<br>*Hadrianus Papa moritur 9. Maij. Succedit Stephanus 5. Bar.* | 26 C | 12 | 3 |
| 886. | 1 \| 2 | 6 | 4 \| 5 | 31 | | 27 B | 13 | 4 |
| 887. | 2 \| 3 | 7 * | 5 \| 6* | 32 | *Normanni Louanio recedunt, & per Sequanam inuecti Parisios obsident. Henricum Ducem dolo occidunt. Tandem Carolus partem Galliæ, quæ iam Normandia dicitur, eis concedit. Inde in Germaniam abscedens, à primoribus suis exauctoratur, & Arnulphus nepos eius ei sufficitur ãno finiẽte. Reg.* | 28 A | 14 | 5 |
| 888. | 3 \| 4 | 1 | Arnulphus | 33 | *Carolus Imp. moritur 13 Ianuar. Regnum eius variè discerpitur: Berengarius Lombardiam Rodulphus Burgundiam. Odo Comes reliquam Franciã occupat. Reg. Bar. Normanni relictâ Lutetia Burgundiam vastant. Reg.* | 1 GF | 15 | 6 |
| 889. | 4 \| 5 | 2 | etiã regnat | 34 | *Hungari Pannonias occupant. Normanni Trecas incendunt. Virdunum, Tullum, vicinaque loca depopulantur. Reg.*<br>*Circa hunc annum Franco Episcopus Leod. Lobiensem Abbatiam sibi & successoribus suis Episcopis impetrat. Pag. 158. D. Fulc.* | 2 E | 16 | 7 |
| 890. | 5 \| 6 | 3 | in Lotharĩ | 35 | *Normanni iterum Parisios redeunt; vrbeque frustra impugnata in Britanniam Gallicam tendunt; quam & vastant. VVillibertus Coloniensis Episcopus moritur. Succedit Hermannus. Reg.* | 3 D | 17 | 8 |

# RES GESTÆ

| Anni Christ | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Loth. | Eps Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 891. | 6 † 1 | 4 | Arnulphus | 36 | Stephanus Papa moritur. Succedit Formosus. Normāni in regnū Lotharij redeunt, & prædātur. Mosam circa Leodinm trāsemnt; circū Aquisgranū vagantur. Pugnatur ad Gulid. 6. Cal. Iulij, die Sabbathi. Christiani superātur, cæso Sunderoldo Mogūtiæ Episcopo Rex Arnolphus è Bauaria rediens, iterum pugnat ad Louanium, & centum milia eorum sternit. Ann Reg.<br>Hoc est prælium cui Franco Episcopus Leod. interfuit. pag. 158. | 4 C | 18 | 9 |
| 892. | 1 2 | 5 | etiam in | 37 | Normanni, qui ad nauet remanserant, Mosam traijciunt, Bonnam veniunt, cuncta vastantes: inde Prumiam spoliant: cum Ardennam deprædantur. Denique multis cæsis ad classem redeunt, & cum magna præda transmarinas regiones repetunt. Regino. Megingaudus Comes ab Alberico interficitur.. Reg. An sit Maingolidus Huensis? | 5 BA | 19 | 10 |
| 893. | 2 3 | 6 | Lothar. | 38 | Fulco Remensis Archiepiscopus, & Primores Franci ab Odone deficiunt, & Carolum Simplicem Ludouici Balbi filium Regem creant. Fulco item ad Balduinum comitem Flandriæ scribit, eum arguens de vsurpatione monasterij. Regino tamen, Frod. & Bar. referunt hæc ad finem anni prioris. | 6 G | 1 | 11 |
| 894. | 3 4 | 7 | Zuenti- | 39 | Diploma Caroli Francorum Regis datum Franconi, anno 2. regni eius. Christi 894. Ind. 12 6. Cal. Oct. Attiniaci. Sup. pag. 160. 161. | 7 F | 2 | 12 |
| 895. | 4 5 | 8 | baldus. 1 | 40 | Arnolphus in VVormatiæ conuentu filium Zuentiboldum Regem Lotharingiæ creat. Reg. Ann. | 8 E | 3 | 13 |
| 896. | 5 6 | 9 | 1 2 | 41 | Arnulphus Rex secundo Romam venit, & à Formoso Papa coronatur Imp. Reg. | 9 DC | 4 | 14 |
| 897. | 6 † 1 | 10 | 2 3 | 42 | Formoso Papa mortuo, Bonifacius sedem tenet dies 15. mox Stephanus subrogatur. Bar.<br>Zuentiboldus Rex filiam Ottonis in vxorem accipit. | 10 B | 5 | 15 |
| 898. | 1 2 | 11 | 3 4 | 43 | Otto Francorum tyrannus moritur. Carolus Simplex pacifice regnat. Reginarius Dux à Zuentiboldo pulsus, Carolum Regem Franciæ Aquisgranū inducit, & Neumagum Zuentiboldus Leodinum ad Franconem Episcopum venit. Mosam transit. Pugna paratur. sed pax firmatur. Reg. Diploma Zuentiboldi datum Franconi. pag. 162. | 11 A | 6 | 1 |
| 899. | 2 3 | 12 | 4 5 | 44 | | 12 G | 7 | 2 |
| 900. | 3 4 | 12 † 1 | 5 † 1 | 45 | Arnulphus moritur. Succedit filius Ludouicus. Ann. MS. Zuentiboldus Rex Loth. suis odiosus repudiatur. Ludouicus frater eius in Theodonis villa Rex Loth. creatur. Zuentiboldus omnia vastat. Sed à regni primoribus prope Mosā in prælio occiditur Idibus Augusti. Regino. Fulco episcopus Remēsis factione Balduini Flandriæ comitis cæditur, ob Abbatiam S. Vedasti Attrebati. Frod. Bar. | 13 FE | 8 | 3 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi. Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 901. | 4 \| 1 | 1 | 46 | *Stephano Papæ succedit Theodorus, dies 20. Inde Ioannes 9. Bar.* *Hungari Longobardiam deuastant. Reg. Baronius tamen ad sequentem annum refert, ex Sigon.* | 14 D | 9 | 4 |
| 902. | 1 | 2 | 47 | | 15 C | 10 | 5 |
| 903. | 2 | 3 | 48 \| 1 | *Franco Episc. Leod. moritur. 5. Idus Ianuarij. Sigeb. 48. anno Episcopatus sui. Ansel. pag. 156. Fulcuinus tamen supra 50. ei assignat. Succedit Stephanus, qui vitam S. Lamberti polire voluit. pag. 165.* | 16 B | 11 | 6 |
| 904. | 3 | 4 | 1 | | 17 A G | 12 | 7 |
| 905. | 4 \| 1 | 5 | 2 | *Ioannes Papa moritur. Succedit Benedictus 4. Bar.* | 18 F | 13 | 8 |
| 906. | 1 | 6 | 3 | *Regino hic Chronicon suum finit. Continuat Appendix.* | 19 E | 14 | 9 |
| 907. | 2 \| 3 \| 1 | 7 | 4 | *Benedictus Papa moritur. Succedit Leo 40. diebus. Inde Christophorus 7. menses. Bar.* | 20 D | 15 | 10 |
| 908. | 1 | 8 | 5 | *Sergius Papa creatur. Bar.* *Ludouicus Germaniæ Rex dat diploma Stephano Leodiensi Episcopo 5. Cal. Febr. anno 8. regni, Christi 908. Ind. 11. Sup. pag. 168.* | 21 CB | 16 | 11 |
| 909. | 2 | 9 | 6 | | 22 A | 17 | 12 |
| 910. | 3 \| 1 | 10 \| 11 | 7 \| 8 | *Sergius Papa moritur. Subrogatur Anastasius. Bar.* | 23 G | 18 | 13 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lũæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 911. | 1 / 2 | 11 / 12 | 8 / 9 | | 24 F | 19 | 14 |
| 912. | 2 † 1 | 12 † 1 | 9 / 10 | *Moritur Anastasius Papa. Succedit Lando Sabinus. & paulo post Ioannes 10 Bar.* *Ludouicus Rex Germaniæ moritur 21. Iãuarij. in quo deficit apud Germanos stirps Caroli Magni. Sufficitur ergo electione Conradus. Bar. Auent. &c.* | 25 E D | 1 | 15 |
| 913. | 1 / 2 | 1 / 2 | 10 / 11 | *Broniense Cœnobium inchoatur à S. Gerardo. Sigeb. Chron. Myr.* | 26 C | 2 | 1 |
| 914. | 2 / 3 | 2 / 3 | 11 / 12 | | 27 B | 3 | 2 |
| 915. | 3 / 4 | 3 / 4 | 12 / 13 | *Diploma Regis Francorum Caroli Simplicis datur Stephano Leodiẽsi Episcopo, 8. Cal. Sept. Ind. 3. ãno 23 Caroli, sed à morte Odonis 18. Pag. 170.* | 28 A | 4 | 3 |
| 916. | 4 / 5 | 4 / 5 | 13 / 14 | | 1 G F | 5 | 4 |
| 917. | 5 / 6 | 5 / 6 | 14 / 15 | *Vngari Germaniam vastant, & regnum Lotharienſe. Adam. Reg.* | 2 E | 6 | 5 |
| 918. | 6 / 7 | 6 / 7 | 15 / 16 | | 3 D | 7 | 6 |
| 919. | 7 / 8 | 7 / 8 | 16 / 17 | *Conradus Rex Germaniæ moritur 23. Decembris. postquam sceptrum & insignia imperij ad Henricum Saxonem hostem suum deferri iussisset. Reg.* | 4 C | 8 | 7 |
| 920. | 8 / 9 | 8 † 1 | 17 / 18 † | *Henricus Dux Saxoniæ, Rex Germanorũ, & Imp. eligitur. Regnum Lotharienſe Carolus Rex Frãciæ tũc occupaſſe videtur; æmulo Giſleberto Duce Bullonienſi; & alijs pro Rege Hẽrico ſtãtibus. Stephanus Leodienſis Episcopus moritur, 14. Cal. Iunij. Pag. 171. B. De ſucceſſione contentio, inter Hilduinum & Richarium. Richarius Romam petit. Vide Pag. 172. 173 & Frodoardi Chron.* | 5 B A | 9 | 8 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 921. | 9 10 | 2 | | *Carolus Rex Franciæ pacem cum Henrico Rege Germaniæ facit. Frod. scilicet vt regnum Lotharienſe retineret.* <br> *Guibertus nobilis mundum relinquit, & cœnobium Gemblacenſe sequenti anno inchoat. Sigeb. Myræus.* | 6 G | 10 | 9 |
| 922. | 10 11 | 3 | 1 | *Richarius Roma redit. Herinæus Archiepiſcopus Remenſis moritur 2. Iulij, tertio die à conſecratione Roberti Regis. Cuius filius Hugo in regnum Lotharienſe adueniens Carolum ab obſidione Capramonus caſtri Giſleberti abigit. Tres ſoles viſi apud Cameracum. Frod.* | 7 F | 11 | 10 |
| 923. | 11 12 | 4 | 2 | *Robertus Rex cum Henrico Germaniæ Rege in regno Lotharienſi ad Rurã amicitiã ſancit. Magna pugna inter Carolũ & Robertũ Reges apud Sueſſionẽ, qua occiſus Robertus; Carolus victus. In locũ Roberti ſubrogatur Rodulphus Dux Burgundiæ. Carolus Rex carceri mancipatur. Normanni prope Atrebatum cæſi. Cameracũ male prouiſo conflagrat incendio. Frod.* | 8 E | 12 | 11 |
| 924. | 12 13 | 5 | 3 | *Giſlebertus Dux Lotharienſis Hannoniam & Cameraceſiũ vaſtat. Synodus Epiſcoporum Remenſis diœceſeos apud Troſleium, contra Iſaac Comitem, qui res Eccleſiæ Cameracenſis inuaſerat. Frod.* | 9 DC | 13 | 12 |
| 925. | 13 14 | 6 | 4 | *Rodulphus Rex ex Burgundia Cameracum petit; mox ſuper Moſam Giſlebertum Ducem Lotharienſem & Ottonem in amicitiam recipit. Normanni Rotomago egreſſi circa Somonam prædantur. Ambianum, & Atrebatum male prouiſo igne ſuccenduntur. Henricus Rex Germaniæ tandem etiam à Lotharienſibus recipitur. Frod.* | 10 B | 14 | 13 |
| 926. | 14 15 | 7 | 5 | *Initio anni Rodulphus Rex Nordmannos apud Atrebatũ in quodam ſaltu obſides, eoſque caſtra ſua oppugnãtes cæde afficit: paulò poſt pacem cum eis facit. Lunæ Eclipſis Cal. Apr. Sabbatho ſancto. Ebrardus quidam ab Henrico Rege in Lotharingiam Gubernator mittitur; qui Principes Lotharienſes inter ſe ſociat. Frod.* | 11 A | 15 | 14 |
| 927. | 15 16 | 8 | 6 | | 12 G | 16 | 15 |
| 928. | 16 + 1 | 9 | 7 | *Ioannes Papa in carcere moritur. Succedit Leo 6. Bar. Heribertus Comes munitionem filiorum Rotgarij Moritaniam, ad Scaldim in Hannonia diruit. Henricus Rex in Lotharingiam venit; Boſonem, Giſlebertum, & Ragenariũ placat. Frod.* <br> *Ratherius Lobienſis monachus fit Epiſcopus Veronenſis. Sigeb. Aegid.* | 13 FE | 17 | 1 |
| 929. | 1 + 1 1 | 10 | 8 | *Leo Papa carcere conſumitur. Sufficitur Stephanus. Bar.* <br> *Carolus Simplex Rex Francorum Peronæ in carcere moritur, relicto filio Ludouico, qui tunc ap[u]d Regem Angliæ auunculum ſuum profugus verſabatur. Simultas inter Herbertum Veromanduorum, & Hugonem Andegauorum Comites oritur.* | 14 D | 18 | 2 |
| 930. | 1 2 | 11 | 9 | *Lotharienſes cum Comite Giſleberto Duaginum oppidum capiunt, ſtantes à partibus Hugonis. Frod.* | 15 C | 19 | 3 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 931. | 2 3 † 1 | 12 | 10 | *Stephano Papæ mortuo succedit Ioannes. Bar.*<br>*Arnulphus Comes Flandriæ Moritaniam ad Scaldim capit; & Atrebatum. Frod. Sigeb. Rodulfus Rex cum Hugone Comite Atrebatum obsidet. Heribertus Comes cum auxilio Lotharienfium accurrit. Fiunt induciæ. Artaldus fit Archiepiscopus Remensis. Frod.* | 16 B | 1 | 4 |
| 932. | 1 2 | 13 | 11 | *Arnulphus seu Arnoldus* Baioariæ *Dux contra Hugonem Italiæ Regem Veronam venit; sed repellitur. Tunc & Ratherius Episcopus Veronensis, qui eum vocarat, Papiam relegatur. Sigeb. Bar. Aegid. pag. 176. C.* | 17 AG | 2 | 5 |
| 933. | 2 3 | 14 | 12 | Richarius *Tungrensis Episcopus castellum quoddam, in pago Porcinē apud Archcias, in Ecclesiæ suæ terra situm, euertit. Frod.*<br>*Henricus* Rex *Germaniæ Hungaros regnum suum populantes, penè ad internecionem delet. Frod.* | 18 F | 3 | 6 |
| 934. | 3 4 | 15 | 13 | *Arnulfus Flandriæ Comes filiam Heriberti Veromandui sumit vxorem. Frodoardus.* | 19 E | 4 | 7 |
| 935. | 4 5 | 16 | 14 | *Circa hunc annum* Richarius *Episcopus* Leodiensis *monasterium* S. Petri *à Normannis destructum instaurat, & 30. Canonicos illic constituit. Sup. pag. 172. C.* | 20 D | 5 | 8 |
| 936. | 5 † 1 | 17 † 1 | 15 | Rodulphus Rex *Franciæ moritur. Succedit Ludouicus* Caroli Simplicis *filius ab Angliâ reuocatus. Henricus* Rex *Germaniæ moritur 2. Iulij. Succedit* Otto *primus filius. Lunæ Eclipsis pridie non. Sept. Ioãne defuncto Leo 7. Papa constituitur. Frod.* | 21 CB | 6 | 9 |
| 937. | 1 2 | 1 2 | 16 | *Hungari* Rheno *transito Franciam grauiter infestant. Frodoard.*<br>*Hoc anno primùm* Ottonem *coronatum vult Bar. ex Wittch.* | 22 A | 7 | 10 |
| 938. | 2 3 | 2 3 | 17 | Ludouicus *Franciæ* Rex *Guisuam castrum in finibus* Morinorum *restaurare nititur; & cum Arnulpho Flandriæ Comite consilia communicat. Frod.* | 23 G | 8 | 11 |
| 939. | 3 4 † | 3 4 | 18 | *Lotharienses plerique* Regi *Ludouico se tradunt,* Otto Rex *eos reducit. Frod.*<br>*Defuncto* Leoni *Papæ sufficitur* Stephanus. | 24 F | 9 | 12 |
| 940. | 1 | 4 5 | 19 | Otto Rex *suppetias fert Hugoni & Heriberto* Comitibus *Francis contra* Ludouicum Regem *Henrico fratri suo regnum* Lotharienfe *committit. Frodoard. Mox Henrico expulso,* Otto *fit Dux Lotharienfis. App. Reg.* | 25 ED | 10 | 13 |

# RES GESTÆ.

| Anni Chris. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis. | Cyclus Lun. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 941. | 2 | 5 6 | 20 | *Episcopi Remensis diœceseos apud Suesionem conuenientes, Hugonem filium Heriberti Comitis Archiepiscopum Remensem legitimum decernunt; moxque Remis consecrant, Artaldo exauctorato. Frod.* | 26 C | 11 | 14 |
| 942. | 3 | 6 7 | 21 | *Otto Germanorum & Ludouicus Francorum Reges pacem faciunt. & Ludouicus Rex à suis recipitur. Frod.* <br> *Circa hunc annum S. Gerardus Broniensis Romam profectus, priuilegium Abbatiæ Broniensi à Stephano Papâ impetrat. Vita c. 15.* | 27 B | 12 | 15 |
| 943. | 4 + 1 | 7 8 | 22 | *Stephano Papa mortuo succedit Marinus. Bar.* | 28 A | 13 | 1 |
| 944. | 1 2 | 8 9 | 23 | *Otto Dux Lotharienſium moritur. Conradus in Ducatum succedit. Otto Rex Aquisgranum venit, rursum à Ludouico Rege Francorum dissentiens. Frod. App Reg. Ratherius ex Italia Lobias reuertitur, benigne à Richario Episcopo adhuc superstite receptus. Fulcuin.* | 1 G F | 14 | 2 |
| 945. | 2 3 | 9 10 | 24 + 1 | *Richarius Leodiensis Episcopus moritur, 10. Cal Augusti. Otto Rex Episcopatum Hugoni Abbati S. Maximini nolenti dat, & ordinari facit Episcopum. Frodoardus, & Sup. pag. 173. 174.* | 2 E | 15 | 3 |
| 946 | 3 4 + 1 | 10 11 | 1 2 | *Marinus Papa diem obit. Succedit Agapitus. Bar. Frod.* <br> *Otto Rex cum Ludouico Rege Francorum Remos capit, & Artaldum Archiepiscopum restituit. Frod.* | 3 D | 16 | 4 |
| 947. | 1 2 | 11 12 | 2 + 1 | *Hugo Episcopus Leodiēsis moritur 3. Idus Apr. vel 9. Cal. Febr. pag 174. Succedit Farabertus. Ludouicus Rex Aquisgrani Pascha cum Ottone Rege celebrat. Inde ab Arnulpho Comite Flandriæ inuitatus Atrebatum venit. Monasteriolum castrum ad mare obsidet frustra Frod.* | 4 C | 17 | 5 |
| 948. | 2 3 | 12 13 | 1 2 | *Synodus in Eglehem, 7. Idus Iunij, iussu Agapiti Papæ cōgregata, pro discordijs inter Ludouicum Regem Franciæ, & Hugonem comitem; item Artaldum & Hugonem Remorum Archiepiscopos. Interfuere Farabertus Tūgrensis, & Fulbertus Cameracensis. Frod. & sup. pag. 175.* | 5 B A | 18 | 6 |
| 949. | 3 4 | 13 14 | 2 3 | *Gerberga vxor Ludouici Regis Franciæ Aquisgranum ad Ottonem Regē, fratrem suum venit; vbi Pasca cum eo celebrat. Frodoardus.* <br> *Diploma Ottonis datum Episcopo Leod. Faraberto, Indictione 7. anno Christi 949. non 944. regni Ottonis XIV. non XVI.* | 6 G | 19 | 7 |
| 950. | 4 5 | 14 15 | 3 4 | *Pax inter Ludouicum Regem & Hugonem Comitem, annitentibus Conrado Duce Lotharienſium Legato Regis Ottonis, Adelberone Episcopo Metensi, & Fulberto Cameracensi Frod.* <br> *Circa hæc tempora Ratherius Lobiensis cum Brunone fratre Regis Ottonis agebat: Fulc.* | 7 F | 1 | 8 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 951. | 5 / 6 | 15 / 16 | 4 / 5 | *Hugo Comes Francus Aquisgrani Pascha cum Ottone Rege celebrat; & ab eo gratè excipitur. Conradus Dux Loth. castra Rageneri comitis Hannoniæ obsideri iubet. Vnde bellum. Otho Rex Italiā adit. & cum eo tunc forte Ratherius monachus Lobiensis. Frod. & sup pag. 182. D.* | 8 E | 2 | 9 |
| 952. | 6 / 7 | 16 / 17 | 5 / 6 | | 9 D C | 3 | 10 |
| 953. | 7 / 8 | 17 / 18 | 6 + | *Ragenerus Haginoensf. Comes Conradū Ducem Lotha. ad Mosam prælio vincit. Mortuo VViefrido Coloniæ Archiepiscopo, succedit Bruno, cui frater Otto Rex Regnum Lothariense committit. Hic Faraberto Episcopo Leodiēsi 6. Cal. Nouembris mortuo, Ratheriū Lobiensem sufficit. Frod. Vita Brun. Fulc. Sup pag. 176. D.* | 10 B | 4 | 11 |
| 954. | 8 / 9 | 18 / 19 | 1 | *Conradus Dux Loth. Hungaros contra Ragenerum in Hannoniam adducit. Et licet eos prope Traiectum ad Mosam deseruisset, illi tamen Hasbaniā vastant, Carbonariam petunt, Lobias succendunt, Cameracum oppugnant, Basilicam S. Gaugerici comburunt. Dein per Veromanduos & Remos in Italiam abeunt. Frod. Fulc Chron. Cam. Mol. 2. Apr. Ludouicus Rex Francorum moritur. Succedit filius Lotharius puer. Frod.* | 11 A | 5 | 12 |
| 955. | 9 10 + | 19 / 20 | 2 | *Ottho Rex Hungaros à præda redeuntes, mactat. Rursus alios è patria erūpentes pene ad internecionem delet. In eo prælio Conradus Dux pœnitens occiditur, sicut à Deo petierat. Frod. Mol. Dum Ratherius Natiuitatem Domini Lobijs celebrat, fit in eum conspiratio Leodij. Fulcuinus. Agapito Papæ succedit Ioannes 12. Bar.* | 12 G | 6 | 13 |
| 956. | 1 | 20 / 21 | 3 * / 1 | *Ratherius Leodiensi Episcopatu pellitur. Subrogatur Baldricus, Raginerio Comite Montensi seu Hannoniæ ānitente Sup. pag. 177. A. & 187. Sigeb.* | 13 F E | 7 | 14 |
| 957. | 2 | 21 / 22 | 1 / 2 | *Bellum inter Brunonem Episcopum Col & Ragenarium Comitem Hannoniæ, item inter Balduinum Flandriæ & Rotgarium, ob castrum Ambtanēse. Bruno Raginerium in exiliū trans Rhenū mittit & cum Lothario nepote suo Francorum Rege colloquitur prope Cameracum. Frod. Sigeb. refert ad annum 959.* | 14 D | 8 | 15 |
| 958. | 3 | 22 / 23 | 2 / 3 | *Ratherius post biennium fermè suæ depositionis in Italiam redit; & epistolam ad Ioannem Papam scribit, quam habes suprà pag. 179. Bruno Archiepiscopus Col. ei tandem Veronensem Episcopatum reddi fecit. Fulcuinus. S. Gerardus fundator Broniensis moritur 3. Oct. Sup pag. 187. C.* | 15 C | 9 | 1 |
| 959. | 4 | 23 / 24 | 3 + / 1 | *Baldricus Episcopus Leodiensis moritur 12. Cal. Maij. Substituitur Eraclius seu Euracrus. Sup. pag. 187. 188. Sig.* <br> *Bruno Archiepiscopus è Francia rediens, Tungris reliquias S. Euergisli Coloniam transfert. Vita c. 37. & sup. pag. 67. Lotharius Rex Francorum Coloniæ Pascha cum Brunone auunculo celebrat. Frod.* | 16 B | 10 | 2 |
| 960. | 5 | 24 / 25 | 1 / 2 | *Dum S. Bruno in Francia agit, Robertus quidam ei inimicus Namurcum & Immo Capremontem muniunt. Bruno eos obsidet; pactisque inducijs, Coloniam redit. Frod.* | 17 A G | 11 | 3 |

# RES GESTÆ.

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Ger. | Anni Imperij Ottonis secundi. | Epi Leod. | Res Gestæ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 961. | 6 | | 25 / 26 | | 2 / 3 | Otto Rex à Iohanne Papa contra Berengariū accitus, VVormatiæ comitia celebrat, Ottonē filiū Regem designari, & Aquisgrani, coronari curat, eique Germaniā, sub tutela VVillelmi Moguntini Episcopi, cōmendat. (Hinc numerātur anni Regni Ottonis 2.) Ipse cum exercitu in Italiam venit, & Papiæ cōsistit. Eclipsis Solis 16. Cal. Iunij. App. Reg. | 18 F | 12 | |
| 962. | 7 | 1 | 26 / 27 | | 3 / 4 | Initio anni Otto Romæ coronatur Imp. à Ioanne Papa. Reg. Frod. Synodus Meldensis. Artaldo priore anno mortuo, Odalricus fit Remensis Archiepiscopus. Frod. S. Guibertus fundator Gemblacēsis moritur 10. Cal. Iunij. Sigeb. | 19 E | 13 | |
| 963. | 8 | 2 | 27 / 28 | | 4 / 5 | Otto Imp. perfidia Ioannis Papæ offensus, Leonem quemdam ei sufficiurat. Vide Bar.<br>Circa hunc annū Eueracrus Episcopus Leodiensis Turonis ad sepulchrū S. Martini antea miraculosè sanatus, Ecclesiam S. Martini Leodij fundat. Sup. Pag. 192. 195. | 20 D | 14 | |
| 964. | 9 † 1 | 3 | 28 / 29 | | 5 / 6 | Tumultus Romanorum in Ottonem ob depositum Ioannem Papam. Qui Romam reuersus, moritur pridie Idus Maij. Romani Benedictum Papam creant. Otto Leonem reducit, Benedicto expulso Vide Bar. | 21 CB | 15 | |
| 965. | 1 / 2 † | 4 | 29 / 30 | | 6 / 7 | Otto Imp. redit in Germaniā, venitque post Pascha Coloniā. Ibi Gerberga Regina Franciæ soror eius, & Lotharius Rex Gerbergæ filius occurrūt. Arnulphus Flandriæ comes moritur. Lotharius Rex Franciæ Flandriam ingressus, proceres eius sibi subijcit. Frod. Bruno Archiepiscopus Colon. moritur 11. Octob. Leone Pseudo-Papa mortuo, eligitur Ioannes 13. Bar. | 22 A | 16 | 8 |
| 966. | 1 | 5 | 30 / 31 | | 7 / 8 | Otto Imp. cum Natalem Domini Coloniæ fine anni prioris celebrasset, & cuncta Lothariensis regni negotia disposuisset, per autumnum in Italiam redit. App. Reg. Eraclius seu Eueracrus Episcopus ad Ratherium Lobiēsem, Veronæ tunc agentem, scribit. Pag. 190. & Ratherius post redijt, magno Lobiensis cœnobij malo. Fulcuinus. | 23 G | 17 | 9 |
| 967. | 2 | 6 | 31 / 32 | | 8 / 9 | Otto Rex filius Imp. dispositis in Lotharingia & Germania rebus ad Patrem Ottonem Romam tendit. vbi circa finem anni coronatur à Papa Imperator. App. Reg. Bar.<br>Eueracrus templum S. Pauli Leodij inchoat. Pag. 195. D. | 24 F | 18 | 10 |
| 968. | 3 | 7 | 32 / 33 | 1 | 9 / 10 | Otto Imp. Capuam cum Ioanne Papa venit. Bar. | 25 ED | 19 | 11 |
| 969. | 4 | 8 | 33 / 34 | 2 | 10 / 11 | Nicephorus Græcorū Imp. prætextu nuptiarū Theophaniæ priuignæ suæ cū Ottone iuniore, Ottonis Legatos occurrētes trucidat. In vltionē Otto Imp. Calabriā & Apuliā occupat. Nicephorus tumultu populi occiditur. Succedit Ioānes. VVitikind. Eclipsis Solis 22. Decemb. de qua forte loquitur Anselmus Sup. Pag. 189. A Vnde Eueracrus tunc erat in Italia. | 26 C | 1 | 12 |
| 970. | 5 | 9 | 34 / 35 | 3 | 11 / 12 † | Ioannes Imp Græcorū Theophaniā mittit, quæ Ottoni 2. copulatur. Auent.<br>Eueracrus Leodium redit ex Calabria, cum Episcopo Leone Græco. Monasterium S. Laurentij inchoat. & paulo post moritur 6. Cal. Nouemb. Pag. 198. 199. | 27 B | 2 | 13 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 971. | 6 | 10 | 35 36 | 1 | Otto Imp. in Germaniam redit. Episcopatum Magdeburgensem fundat. Adam. Notkerus fit Episcopus Leodiensis magno ciuitatis bono; cuius pene fundator dici potest. Nam illam muris cinxit; ædificijs decorauit; S. Lamberti templum renouauit. Mosam in vrbem induxit, literarum studium inuexit, &c. Ans. c. 50. & seq. | 28 A | 3 | 14 |
| 972. | 7 † 1 † | 11 | 36 37 | 1 2 | Ioannes Papa moritur 6. Sept Succedit Domnus qui & 19. Dec. moritur Succedit sequenti die Benedictus. Bar. | 1 GF | 4 | 15 |
| 973. | 1 | 12 † 6 | 37 † 13 | 2 3 | Otto Imp moritur, 7. Maij. feria 4. ante festum Pentecostes. VVitich Succedit filius Otto 2. iam ante Rex & Imp. coronatus. & ab illa coronatione ãni tã regni quãimperij eius deducũtur, vt hic habet. Raginerus iunior & Lãbertus filij Ragineri Longicolli (quẽ Bruno relegauerat) Guarnerum & Rainaldum prælio vincunt ad Peronam vicum Hannoniæ, ibidemque castrum Buxudem (Boussoy non Bossut) ædificant. Sigeb. | 2 E | 5 | 1 |
| 974. | 2 † 1 | 7 | 13 14 | 3 4 | Benedictus 6. Papa moritur. Succ. Bonifacius inuasor. Vide Bar. Ratherius quondam Veronæ & Leodij Episcopus moritur. Sig. Fulc. Otto 3. nascitur, cuius postea à pueritiæ moderator fuit Notkerus. Pag. 206. C Diploma Ottonis Imp. datum Notkero Episcopo, anno 974. non 994 Indict. 2 Imperij Ottonis 7. regni 14. Pag. 208. | 3 D | 6 | 2 |
| 975. | 1 * 1 | 8 | 14 15 | 4 5 | Benedictus Bonifacium pseudo Papam Romá expellit. Ipseque succedit dictus 7. Bar. Godefridus Dux Virdunensis & Arnulfus Comes Buxudem castrum filiorum Longicolli destruũt, & Comitatũ Montẽsẽ occupãt. Meyer. VVasseb | 4 C | 7 | 3 |
| 976. | 1 2 | 9 | 15 16 | 5 6 | Filij Ragineri Longicolli auxilio Caroli, fratris Lotharij Regis Francorum, lacessunt bello Godefridum atque Arnulfum Comites; victoria ancipiti. Sigeb. Appendix Frod. ait id factum, 13. Cal. Maij feria 3 maioris hebdomadæ, Indictione 4. | 5 BA | 8 | 4 |
| 977 | 2 3 | 10 | 16 17 | 6 7 | Carolus frater Lotharij Regis, & Hugo Capetus Dux Francorum filios Ragineri Longicolli generos suos in Comitatum Montensem vi reducunt, expulsis Arnulfo & Godefrido. Otto Imp Carolo, fratri Regis, Ducatum Lotharingiæ (qualis hodie est) concedit, vt ab insolentijs desisteret, fratremque Lotharingiæ Regem ad pacẽ hortaretur. Sigeb. Nangius. Chr. Cam. | 6 G | 9 | 5 |
| 978. | 3 4 | 11 | 17 18 | 7 8 | Lotharius Rex Francorum inopinato Aquisgranum venit & occupat. fugato Ottone Imp. vicinaque loca vastat. Otho collecto exercitu Franciam ingreditur, populaturque. sed rediens ad Axonam fluuium magnum detrimentum passus est. Sigeb Nangius. | 7 F | 10 | 6 |
| 979. | 4 5 | 12 | 18 19 | 8 9 | Notkerus templum S. Crucis Leodij per Robertum Præpositum ædificari curat; & consecrat 23. Octob. Ans. c. 52. Vltiam. qui addit templum quoque S. Michaëlis sequenti anno consecratum 2. Maij. die Dominico. | 8 E | 11 | 7 |
| 1080. | 5 6 | 13 | 19 20 | 9 10 | Otho Imp. & Lotharius Francorũ Rex ad Charũ Lutzẽburgi fluuiũ pacẽ faciunt. & Otho regni Lothariẽsis partẽ Aquilonarẽ retinet, relicta meridionaliore Carolo fratri Lotharij, vt diximus. Otho in Italiã vadit. Sigeb. Nãgius. Notkerus Episcopus scribit vitã S. Landoaldi 13. Cal. Iulij anno 980. Indict. 8 Ottonis Imp. post mortẽ patris ãno 8. Episcopatus sui anno 9. Vita Lãdoal. Diploma Othonis 2. datũ Notkero, ãno imperij eius 13. regni 19. 8. Id. Ian. Recte ãnno antẽ Christi nõ 981. Indict. 6. sed 980. Ind. 8 Pag 209. | 9 DC | 12 | 8 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 981. | 6 / 7 | 14 | 10 / 11 | Priore item anno Notkerus Capramontem destruxit. quem anno Christi 960. diximus ab Immone quodam munitum. Vide Pag. 201. Vltram. | 10 B | 13 | 9 |
| 982. | 7 / 8 | 15 | 11 / 12 | | 11 A | 14 | 10 |
| 983. | 8 / 9 | 16 † | 12 / 13 | Otto Imp. 2. 15. Iulij contra Saracenos & Græcos dimicans in Apulia vincitur; & capitur. sed mox non agnitus exiguo lytro euadit. Bar. Alij tamen ad annum priorem referunt. Inde Romam rediens, mærore animi moritur 7. Dec. Herm. Lamb. Mar. Bar. | 12 G | 15 | 11 |
| 984. | 9 † 1 | 1 | 13 / 14 | Otto 3. coronatur Aquisgrani. Benedictus Papa moritur 10. Iulij. Succedit Ioannes 14. <br> Lotharius Rex Francorum iterum Lotharingiam inuadit, Virdunum & Comitem Godefridum capit. Sigeb. | 13 F E | 16 | 12 |
| 985. | 1 † 1 | 2 | 14 / 15 | Ioannes 14. fame necatur. Inuadit iterum sedem Bonifacius, tenetque menses 4. tum moritur. Eligitur Ioannes 15. Bar. <br> Lotharius Rex Virdunum & Godefridum reddit, pace cum Ottone facta. Sigeb. Otto Imp. diplomate Comitatum Hoyensem Notkero confirmat, paulo ante datum S. Lamberto ab Aufrido vltimo comite. Sup. Pag. 215. | 14 D | 17 | 13 |
| 986. | 1 / 2 | 3 | 15 / 16 | Lotharius Rex Francorum moritur 2. Martij. Succedit filius eius Ludouicus. Sigeb. | 15 C | 18 | 14 |
| 987. | 2 / 3 | 4 | 16 / 17 | Ludouicus Rex Franc. moritur, & deficit stirps Caroli. Hugo Capetus regnū inuadit, & consecratur. vt & filius eius Robertus. Nang. Huius stirps etiamnum regnat. Erluinus primus Gemblacensis Abbas moritur. Sigeb. <br> Templum S. Ioannis Euangelistæ Leodij à Notkero dedicatur 1. Maij. die Dominica. Vltram. & Sup Pag. 205. | 16 B | 19 | 15 |
| 988. | 3 / 4 | 5 | 17 / 18 | | 17 AG | 1 | 1 |
| 989. | 4 / 5 | 6 | 18 / 19 | | 18 F | 2 | 2 |
| 990. | 5 / 6 | 7 | 19 / 20 | Carolus Dux Lotharingiæ ab Hugone Capeto capitur, & carceri mancipatur. Sigeb. Templum S. Dionysij Leodij consecratur 12. Martij. Vltram & sup. pag 205. <br> Fulcuinus Abbas historicus Lobiensis moritur. Succedit Harigerus Scriptor Leodiensis historiæ. Chr. MS. Sigeb. | 19 E | 3 | 3 |

| Ann. Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 991. | 6 7 | 8 | 20 21 | *Carolus Dux, Aureliæ in carcere moritur. Succedit in ducatum Lotharingiæ filius Otto, Sigeb. Nangius hunc Ottonem Ludouicum vocat.* | 20 D | 4 | 4 |
| 992. | 7 8 | 9 | 21 22 | *Hugo Synodo Rhemis congregata, Arnulfum Remensem Archiepiscopũ in ordinem redigi curat, & Gerbertum substitui Sigeb. Vide Bar.* | 21 CB | 5 | 5 |
| 993. | 8 9 | 10 | 22 23 | *Circa hæc tempora Harigerus Abbas Lobiensis scribit Gesta Pontificum Leodiensium, impulsu Notkeri Episcopi.* | 22 A | 6 | 6 |
| 994. | 9 10 | 11 | 23 24 | | 23 G | 7 | 7 |
| 995. | 10 11 | 12 | 24 25 | *Gerbertus à Leone Legato Apostolico Sede Rhemensi priuatur, & Arnulfus restituitur. Aim. Bar.* | 24 F | 8 | 8 |
| 996. | 11 † 1 | 13 | 25 26 | *Ioannes 15. Papa moritur. Succedit Gregorius 5. Bar. Otto Rex Italiam petit. Gerbertum Rauennæ ordinari curat Episcopum. Inde Romam venit, vbi pacatis tumultibus coronatur Imp à Gregorio Papa. Inde in Germaniã reuertitur. Bar. Cum Otone Romã profectus est Erluinus Cameracẽsis Episcopus, qui tunc etiã à Gregorio Papa consecratus est. Chron, Camer.* | 25 ED | 9 | 9 |
| 997. | 1 2 | 14 | 26 27 | *Otto 3. Imp. diplomate concedit Notkero quædam bona, pro fundatione Monasterij S. Ioannis in Insula nouiter ab eo constructi: anno 997. Ind. 10. regni eius 14. imperij 1. 5. Id. Apr. Pag. 210. Fit ibi mẽtio Syluestri Papæ, quem tamen Baronius, 2. ab hinc anno primum sedisse vult.* | 26 C | 10 | 10 |
| 998. | 2 3 | 15 | 27 28 | *Hugo Rex Galliæ moritur. Succedit Robertus filius. Bar.* | 27 B | 11 | 11 |
| 999. | 3 † 1 | 16 | 28 29 | *Gregorius Papa moritur 18. Febr. Succedit Gerbertus, dictus Syluester 2. annitente Otone Imp. Bar.* | 28 A | 12 | 12 |
| 1000. | 1 2 | 17 | 29 30 | | 1 GF | 13 | 13 |

# RES GESTÆ.

| Anni Chris. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1001. | 2 / 3 | 18 | 30 / 31 | | 2 E | 14 | 14 |
| 1002. | 3 / 4 | 19 † / 1 | 31 / 32 | *Otto Imperator in Italia obit x. Cal. Febr. Intestina eius Augustæ, corpus Aquisgrani sepelitur. Contr. Schafna. Marianus Scotus MS.* *Succedit Henricus Dux Baioarius, qui consecratus est 7. Idus Iunij die Dominico Marianus Scotus MS.* *Balduinus Comes Flandriæ Arnulfum Comitem Valentianensem Valentianis expellit. Chron. Camerac. l. 1.* | 3 D | 15 | 15 |
| 1003. | 4 † / 1 | 1 / 2 | 32 / 33 | *Defuncto Syluestro Papa, eligitur Ioannes 18 Hoc etiam 31. Oct. mortuo, sufficitur Ioannes 19. Bar.* *Henricus Rex & Imp. Balduino mandat, vt Valentianas Arnulfo reddat. frustra. Chr. Cam.* | 4 C | 16 | 1 |
| 1004. | 1 / 2 | 2 / 3 | 33 / 34 | *Henricus Rex contra Balduinum monet, Valentianas obsidet, fretus auxilio Roberti Franciæ Regis, & Roberti Normanniæ Ducis. frustra. Sed assumpto secum Notkero Episcopo Leodiensi rursum Flandriã vastat, Gandauã inuadit, Balduinumque vt Valentianas reddat cogit. Pag. 207. 208. & Chron. Camer.* | 5 B A | 17 | 2 |
| 1005. | 2 / 3 | 3 / 4 | 34 / 35 | *Ottone Duce Lotharingiæ filio Caroli mortuo, datur Ducatus Godefrido Virdunensi. Sigeb.* *Henricus Rex in Italiam tendit: ibique Rex Longobardorum coronatus redit. Baron.* | 6 G | 18 | 3 |
| 1006. | 3 / 4 | 4 / 5 | 35 / 36 | | 7 F | 19 | 4 |
| 1007. | 4 / 5 | 5 / 6 | 36 † / 1 | *Notkerus Leodiensis Episcopus moritur 4. Idus Aprilis, die Iouis in Cœna Dñi Ioannes vltramosanus. rectè. Succedit Baldricus. pag. 221. 222.* | 8 E | 1 | 5 |
| 1008. | 5 / 6 | 6 / 7 | 1 / 2 | *Duo diplomata Henrici Regis data Baldrico Episcopo primum Coloniæ, Cal. Iulij. Alterum Treuiris pridie Idus Septemb. vtrumque anno 1008. Henrici 7. Indict. 6. Pag. 224. 225.* | 9 D C | 2 | 6 |
| 1009. | 6 † / 1 | 7 / 8 | 2 / 3 | *Ioannes Papa 19. moritur 15. Cal. Aug. Subrogatur Sergius 4. pridie Cal. Sept. Bar.* | 10 B | 3 | 7 |
| 1010. | 1 / 2 | 8 / 9 | 3 / 4 | | 11 A | 4 | 8 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi. Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lũæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1011. | 2 \| 3 | 9 \| 10 | 4 \| 5 | *Henricus* Rex *Nouiomago Leodium venit, ibique Pascacelebrat. Inde Bambergam se confert ad dedicationem Episcopalis Basilicæ à se erectæ. Chron. Camer. Ditmarus. Scaffnaburgensis tamen ad sequentem annum refert, & Lambertus paruus, quod videtur verius.* | 12 G | 5 | 9 |
| 1012. | 3 \| 4 | 10 \| 11 | 5 \| 6 | *Henricus* Rex *Godefridum Ardennæ comitem ad Louanium obsidendum mittit. frustra. Sigeb.* *Florinense monasterium à Gerardo Cameracensi Episcopo absoluitur. Chr. Camer. & Sup Pag.* 223. *A.* B. | 13 F E | 6 | 10 |
| 1013. | 4 \| † \| 1 | 11 \| 12 | 6 \| 7 | *Sergius Papa 4. moritur. Succedit Benedictus 8. Ambigit tamen Baronius an hoc, an priore anno.* *Baldricus Episcopus Leod. pugnat ad Hugardim contra Lambertum Louanij Comitem, & vincitur. Sigeb. Pag. 228. vbi pro 3. anno Episcopatus Baldrici, lege 6. vt habent alia exemplaria.* | 14 D | 7 | 11 |
| 1014. | 1 \| 2 | 12 \| 13 | 7 \| 8 | *Baldricus Episcopus inchoat Cœnobium S. Iacobi Leodij 7. Cal. Maij. Sigeb. Pag. 233. Henricus* Rex *Romam profectus initio anni coronatur Imp. à Benedicto Papa. Ditm. Bar. Moritur Arnulphus Comes Lossensis. & Lambertus Louaniensis pacem cum Baldrico facit. Pag. 235 &c.* | 15 C | 8 | 12 |
| 1015. | 2 \| 3 | 13 \| 14 | 8 \| 9 | *Godefridus Dux Comitatum Montensem populatur. contra quem Raginerus Montensis tum patruo Lamberto Louaniensi pugnat ad Florinas, vbi Lambertus occumbit. Chr. Camer. Sigeb. Baldricus Episcopus præsente Heriberto Archiepiscopo Colon. templum S. Lamberti à Notkero structum dedicat 5. Cal. Nou. & 3 post die S. Bartholomæi. Pag. 223. D. Vltram.* | 16 B | 9 | 13 |
| 1016. | 3 \| 4 | 14 \| 15 | 9 \| 10 | | 17 A G | 10 | 14 |
| 1017. | 4 \| 5 | 15 \| 16 | 10 \| 11 † 1 | *Baldricus Episcopus contra Theodoricum Frisiæ inuasorẽ tendens vna cũ Godefrido Duce Ardennæ; moritur 4. Cal. Augusti. Pag. 240. A. Succedit VVolbodo, vir sanctissimus. Quidã tamen Codices referũt ad annũ sequẽtem non improbabiliter, vt patet ex fine VVolbodonis.* | 18 F | 11 | 15 |
| 1018. | 5 \| 6 | 16 \| 17 | 1 \| 2 | | 19 E | 12 | 1 |
| 1019. | 6 \| 7 | 17 \| 18 | 2 \| 3 | *Henricus Imp. Pasca celebrat Leodij, & VVolbodoni Episcopo Monasterium S. Iacobi perficiendum cõmendat. Quod & fecit. VVolbodo item hoc anno processiones Cleri secundarij ad Maiorem Ecclesiam instituit. Ans. c. 67. 68. Vltramosanus.* | 20 D | 13 | 2 |
| 1020. | 7 \| 8 | 18 \| 19 | 3 \| † | *VVolbodo, Paschate Coloniæ cum Henrico Imp. (quem sibi infensum tunc placauerat) celebrato, Leodium redit, & 11. Cal Maij, feria 5. moritur. Ergo hoc anno littera Dominicali B. & quidem mense 30. Episcopatus sui. Anselmus sup. Pag. 249. A. 253 A. Aegidius tamen refert ad annũ sequentem. pag. 255. Vacat potius sedes vno anno, & amplius.* | 21 C B | 14 | 3 |

| Ann. Chris. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | RES GESTÆ | Cyclus Solis | Cyclus Lunæ | Indictiones |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1021. | 8 / 9 | 19 / 20 | 1 | *Baronius vult hoc anno deceßisse S. Heribertũ Colon. Episcopũ 16. Martij, & Succeßisse Piligrinum. Quod confirmat VVolbodonem adhuc hoc ãno vixisse. vt asseris Contractus; & Aegid. Sup. Pag. 255. A. Tamen quia litera Dominicalis obstat; malo suspicari vacasse sedem. Tu expende. Sufficitur sub finem anni Durandus.* | 22 A | 15 | 4 |
| 1022. | 9 / 10 | 20 / 21 | 1 / 2 | *Henricus Imp in Italiam contendit. Bar. Circa hunc annum scribit Durandus Episcopus Epistolam illam contra Berengariũ Pag. 261. non ad Henricũ, sed ad patrem eius Robertum Franciæ Regem. Neque enim Durandus ad annum 1035. potuit pertingere. & forte sequenti ãno misit occasione colloquij Henrici Imp. cum Roberto Rege Franciæ.* | 23 G | 16 | 5 |
| 1023. | 10 / 11 | 21 / 22 | 2 / 3 | *Synodus Aquisgrani, cui & Henricus Imp. interfuit. & in quã Durandus Episcopus contra Piligrinum Colon. Archiepiscopum contendit de Porzeto Monasterio. Inde Imperator ad Euosium Lutzenburgi vicum cum Roberto Francorum Rege colloquitur. Chron. Cameracense, & ex eo Sigeb.* | 24 F | 17 | 6 |
| 1024. | 11 † / 1 | 22 / 23 † / 1 | 3 / 4 | *Benedictus Papa 8 moritur 3. Cal. Martij. Succedit Ioãnes 20. 30 Apr. Bar Henricus Imperator moritur 3. Idus Iulij. sepelitur Bambergæ Succedit Conradus. qui hoc anno priuilegium dat Durando Episcopo. Legiæ, 6 Nonas Octobris, anno regni sui 1. Indictione 8. (quæ scz incipit à Septembri huius anni, iuxta Imperatorum priscorum morem) Vide pag. 264.* | 25 E D | 18 | 7 |
| 1025. | 1 / 2 | 1 / 2 | 4 † / 1 | *Durãdus Episcopus Leodiensis ab VVolbodone decessore suo diuinitus percussus, quod bona Cœnobij S. Laurentij abstulisset, moritur 10. Cal. Febr. Ergo nõ priore anno, vt vult Aegidius Pag. 260 hoc enim pugnat contra diploma Conradi. Succedit Reginardus primò per Simoniam.* | 26 C | 19 | 8 |
| 1026. | 2 / 3 | 2 / 3 | 1 / 2 | | 27 B | 1 | 9 |
| 1027. | 3 / 4 | 3 / 4 | 2 / 3 | *Conradus Rex coronatur Imp. à Ioanne die Paschatis. Scaffn. Bar.* | 28 A | 2 | 10 |
| 1028. | 4 / 5 | 4 / 5 | 3 / 4 | *Poppo Abbas Stabulensis resignat Reginardo Episcopo curam Monasterij S. Laurentij, exactis à prima fundatione annis 57. Reginardus Stephanum Abbatem Virduno accitum præficit. Pag. 267 B. & 268.*<br>*Conradus Imp. ex Italia reuersus filium Henricum Aquisgrani declarat Regem. Diplomata. Spang.* | 1 G F | 3 | 11 |
| 1029. | 5 / 6 | 5 / 6 | 4 / 5 | *Reginardus Episcopus post 4. sui Episcopatus annum Romam vadit. Episcopatum simoniace acceptum in manus Ioannis Papæ resignat; & legitimè recipit. Pag. 270. 271.* | 2 E | 4 | 12 |
| 1030. | 6 / 7 | 6 / 7 | 5 / 6 | *Reginardus Episcopus nouum & amplius templum S. Laurentij prope Leodium inchoat. Pag. 272. C.* | 3 D | 5 | 13 |

| Anni Christ. | Pont. Rom. | Reges Ger. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1031. | 7 / 8 | 7 / 8 | 6 / 7 | *Reginardus Episcopus Ecclesiam S. Nicolai in mõte publico Leodij dedicat, Calendis Augusti, die Dominico. Pag. 267. A.* | 4 C | 6 | 14 |
| 1032. | 8 / 9 | 8 / 9 | 7 / 8 | | 5 B A | 7 | 15 |
| 1033. | 9 / 10 † | 9 / 10 | 8 / 9 | *Eclipsis Solis 3 Cal. Iulij. Inde 21 die Robertus Rex Francorum moritur. Succedit filius Henricus Bar. Ioannes Papa moritur 6. Idus Nouemb. Succedit Benedictus 9. Vide Bar.* | 6 G | 8 | 1 |
| 1034. | 1 | 10 / 11 | 9 / 10 | *Ecclesia Monasterij S. Laurentij Leodij dedicatur, præsentibus Ioanne Portuensi Episcopo Legato Apostolico, & Piligrino Coloniẽsi; anno Episcopatus Reginardi 10. Pag. 273.* | 7 F | 9 | 2 |
| 1035. | 2 | 11 / 12 | 10 / 11 | *Reginardus pontem Leodij supra Mosam ædificat. Pag. 275. C.* | 8 E | 10 | 3 |
| 1036. | 3 | 12 / 13 | 11 / 12 | | 9 D C | 11 | 4 |
| 1037. | 4 | 13 / 14 | 12 / 13 | *Gothelo Dux Lotharienſium cum Reginardo Episcopo Leod. Odonem Campaniæ Comitem Lotharingiã infestantem prælio superat, & occidit. Pag. 276. Sigeb.* <br> *Piligrinus Archiepiscopus Colon. moritur 25. Aug. Succedit Hermannus Marian. & Contr.* | 10 B | 12 | 5 |
| 1038. | 5 | 14 / 15 | 13 / 14 † | *Reginardus Episcopus Leod. moritur 5. Decemb. anno Episcopatus sui 13. completo, vel. 14. inchoato, regni Conradi 15. Pag. 277.* | 11 A | 13 | 6 |
| 1039. | 6 | 15 † / 1 | 1 | *Conradus Imp. moritur 5. Iunij, feria 3. Pentecostes. apud Traiectum Frisiæ. Contract. & alij. Succedit filius eius Henricus 3. Nithardus fit Episcopus Leodiensis. Pag. 278. D.* | 12 G | 14 | 7 |
| 1040. | 7 | 1 / 2 | 2 | *Diploma Henrici datum Nithardo, huius anni characteribus optime notatum. Pag. 279. 280.* | 13 F E | 15 | 8 |

| Annus Christi. | Pont. Rom. | Imp. Rom. | Epi Leod. | RES GESTÆ. | Cyclus Solis. | Cyclus Lunæ. | Indictiones. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1041. | 8 | 2 · 3\|3 | 3 | | 14 D | 16 | 9 |
| 1042. | 9 | 4\|4 | 4 † 1\|1 | *Nithardus Episcopus Leod. cum 4. circiter annis præfuisset, moritur, 9. Cal. Sept. Pag. 279. B. Succedit VVazo, seu Guaso.* | 15 C | 17 | 10 |
| 1043. | 10 | 5\|5 | 2\|2 | *Primo anno VVazonis ingens fames oritur, & durat per 6. annos, in qua VVazo insignem exercuit charitatem. Pag. 293. B. & Hermannus.* | 16 B | 18 | 11 |
| 1044. | 11 * 1\|1 | 6\|6 | 3\|3 | *Gozzilo Dux Lotharienfium moritur. & Gozziloni filio ducatum relinquit. Sed alter eius filius Godefridus eundem ab Imp. petit, nec obtinet. Ideoque rebellans Lotharingiam vastat. Contr.* *Benedictus Papa pellitur. Schisma oritur. Tandem Gregorius 6. creatur. Vide Bar.* | 17 A G | 19 | 12 |
| 1045. | 2 | 7\|7 | 4\|4 | *Godefridus rebellioni suæ diffidens, & Imperatori se offerens carceri mancipatur. Contractus.* | 18 F | 1 | 13 |
| 1046. | 2\|3 * 1\|1 | 8\|8 | 5\|5 | *Henricus Rex Vltraiecti Pasca celebrat. Pentecosten Aquisgrani. vbi Godefridũ Ducẽ relaxat. & VVidgerũ Rauennæ Episcopũ ex cõsilio VVazonis Episcopatu priuat. Inde Romã veniẽs Gregoriũ Papã abdicat, & Clementẽ 2. sufficit à quo & coronatur Imp. ipso Natali Dñi. Interi Henricũ Frãc. Regem Aquisgranũ inuadere moliẽtẽ VVazo cohibet. Cõtract. Pag. 297. 299.* | 19 E | 2 | 14 |
| 1047. | † | 9\|9 | 6\|6 | *Clemens Papa, 9. sedis suæ mense moritur 9. Oct. Bar. Henricus Imp. VVazonem de successore consulit. Anselmus cap. 106.* *Godefridus Dux iterum rebellans, Virdunum incendit. VVazo Virdunenses pecunia recreat, & arma mouet. Contr. Pag. 293. & seqq.* | 20 D | 3 | 15 |
| 1048. | 1 | 10 | † | *Poppo Episcopus Brixiensis Romam ab Imp. missus, creatur Papa, vocaturque Damasus 2. Bar.* *VVazo sexto Episcopatus anno moritur, 8. Iulij, cùm octaua Solemnitatis Petri & Pauli (6. Iulij) fuisset feria 4. Anselmus c. 109.* | 21 C B | 4 | 1 |

Hucusque Anselmus.

*Cum quo & nos Chronicon finimus, idem sequenti Tomo, Deo fauente, continuaturi.*

# ANNOTATIO
## DE CHRONOLOGIA REGVM
## FRANCORVM MEROVEADARVM.

IN veterum Epiſcoporum Tungrenſium ordinandâ ſerie, ne fluctuarem, id mihi negotij propoſui, vt quibuſdam eorum interuallis ad certos aliquos ſtabilis cuiuſdam Epochę titulos relatis, antecedentium & conſequentium veritatem eruerem. Non potui ad Supputationem à Chriſto nato (quæ maximè vulgaris eſt) confugere, quòd ea in antiquis hiſtorijs ante 750. circiter Chriſti annum non vſurpetur. Ergo ad Regum Francorum Epochas recurrendum fuit. Ita reſtitutionem Epiſcoporum Tungrẽſium ex Chlodouæi Regis baptiſmo, ſancti Domitiani ætatem ex Childeberti & Chariberti Regum temporibus, ſancti Amandi ex Dagoberti, S. Remacli ex Sigeberti, ſancti Theodardi ex Childerici, ſancti Lamberti denique exilium ex Theodorici regno, & Ebroini tyrannide eruimus. Sed cur iſtos Regum annos his potius quam illis Chriſti annis affigeremus, tunc quidem non aperuimus, ne Lectorem turbaremus; commodiùs id in hac Tabularum calce tractaturi. Iam ergo debito hoc nos exſoluere conabimur, eo libentius, quo vtilius eſſe ſcimus (etſi intricatius) & ad aliorum etiam Epiſcoporum hiſtorias, imo & Galliarum Annales tam ſacros quam profanos contexendos, viam ſternere proniorem. Et quia hac in re Scriptorem Gregorio Turonenſi antiquiorem melioremúe nullum nouimus, eum quantum in nobis eſt, proximè ſequi inſtituimus, non triennio tardius, quod plerique recentiores faciunt, inſequi. 1.

*DE ANNO MORTIS S. MARTINI. Quatuor ſententiæ.*

IMPRIMIS, quia annus mortis S. Martini, eſt Gregorio velut Index temporum, vt rectè Scaliger; tempus illius accuratè diſcutiendum eſt. De illo igitur quatuor ſunt celebriores omnino ſententiæ. PRIMA Ioſephi Scaligeri, qui eum cum anno Chriſti 395. componit; probatque ex litera Dominicali G. quæ in 11. Nouembris eius anni, quo tranſijt Martinus, incurrit, vt vult Gregorius. Et confirmari poteſt, ex hiſtoriâ apud eundem Turonenſem, quâ Ambroſius abſens dicitur de exceſſu Martini diuinitus admonitus: quod ante annum 397. factum oportuit, cum eius Aprili Ambroſium fato functum conſtet. SECVNDA eſt eorum, qui ex Gregorio, Martini exceſſum ad Conſulatum Cæſarij & Attici referunt; cuius nullam video rationem, niſi auctoritatem Gregorij id iterùm aſſerentis. TERTIA mortem hanc cum anno Chriſti 400. componit. QVARTA denique eſt Eruditiſsimi Baronij, qui eam cum anno Chriſti 402. concurrere vult: tum ex Seueri Sulpitij ſententiâ, affirmantis S. Martinum à Cõſulatu Euodij, ſeu anno Chriſti 386. 16. annos ſuperuixiſſe: tum ex Sigeberto, qui in Chronico, idem ex Proſpero quoque euincere ſe putat: de- 2.

*Lib. 6. de Emend. temp.*
*Lib. 1. ca. 48.*
*Lib. 1. Mir. S. Mart. c. 5.*
*Lib. 1. c. 48. & lib. 1. Mir. S. Mart. c. 3.*
*Annal. to 5.*
*Sulp. in Dial.*

nique

nique ex anno mortis Chlodouæi primi Regis, qui eſt, ex ſententia Turonenſis, à tranſitu S. Martini 112. à Chriſto autem nato, iuxta Aimoinũ & Sigebertum. 514.

3. Ego inter tot nobiles adeo Muſicos, Chronologicũ agere fidicinem, non audeo. Cantabo tamen vt potero, anſer licet inter olores. Placet imprimis TERTIA ſententia, his præſertim argumẽtis. Primò, quia eo Chriſti anno 400. vndecima Nouembris fuit Dominica, vt notat Gregorius. Secundo, quia omnino videtur hæc eſſe ſententia Gregorij ipſius, etſi in Conſulatu Cæſarij & Attici deceptus ſit. Nec ſine fundamento. Nam cùm ex antiquis Turonẽſis Eccleſiæ monumentis tanquam indubitatum ſupponeret, Martinum 11. Nouembris die Dominicâ deceſiſſe, annum Chriſti certum hinc ſe poſſe colligere (vt verè poterat) exiſtimauit. Ad Computum ergo Eccleſiaſticum, quem, vt in literis bene verſatus Epiſcopus, ignorare non poterat, ſe cõtulit; & mortem illam cum anno Chriſti Dionyſiano (quo iam tùm in Cyclis Paſcalibus priuatim vtebatur Eccleſia) 400. concurrere, ex litera dominicali primum deprehendit. Inde ad Proſperi Chronicon primò obuium, & paſsim in Gallia tritum recurrẽs, & in eo annum Chriſti 400. conſiderans, animaduertit è regione illius Cæſarium & Atticum Conſules notari, vt & ſecundum annum Arcadij Imp. Martinum ergo ijs Conſulibus, & 2. Arcadij anno deceſsiſſe, de ſuo fidenter aſſeruit. Interim non animaduertit (nec tempora illa ferebant) annos Chriſti, qui in Chronico illo (vt & in Hieronymi) notantur, ſolido triennio Epocham Chriſti Dionyſianam præcurrere. Quod tamen iam paſsim quâ tacitè quâ expreſsè notãt pene omnes doctiſsimi Chronographi, Scaliger, Sethus Caluiſius, Deckerius noſter, adeoque Phœnix huius æui Baronius, dum ab anno Chriſti 284. ſeu primo Diocletiani Imp. vulgata Euſebij, Hieronymi, & Proſperi Chronica triennio tardius inſequitur; & quidem, vt ex certiſsimis characteribus demonſtrari poteſt, veriſſimè. Gregorius itaque ex litera dominicali optimè collegit Martinum tranſijſſe anno Chriſti 400. Sed quod Proſperianam à Chriſto nato ſupputationem, eamdem cum Dionyſianâ exiſtimauit, ex ſæculi ſui bona fide deceptus eſt. Ex animi autem ſui ſententiâ, noſtram omnino opinionẽ exprimere voluit. Sicut & Sigebertus in Chronico, dum ad annum ſuum Chriſti 402. Martini mortem ex Proſpero Pithœano refert. Notandum enim, primum annum Chronici Sigebertiani 381. in Chronico Proſperi eſſe 382. Vnde ſi Proſper Aeram Chriſti Dionyſianam triennio toto anticipat, vti iam vidimus; neceſſum eſt & Sigebertum biennio anticipare. Itaque qui Sigeberto erit annus Chriſti 402. erit nobis ac Dionyſio, ſeu vulgari Eccleſiæ Epochæ, 400. quo tam ex noſtrâ, quam ex Gregorij Sigebertique mente, Martinus exceſſerit. Quod idem probat annus quintus Arcadij, quem pro ſe ex Proſpero Pithoeano citat Sigebertus. Is enim in Proſpero vulgari cum anno Chriſti 403. concurrit, qui eſt Dionyſianus quadringenteſimus. Vnde ſi Gregorius Dionyſianam à Chriſto ſuppu-

*Sententia Authoris.*

*Eſt etiam ſententia Greg. Turonenſis.*

*Proſperi Chronicon Epochã Dionyſij triennio anteuertit. Libris de Emend. temp. Seth. in Chron. Deck. in Velif.*

*Eſt etiam ſentẽtia Sigeberti.*

*Quomodo comparãdi anni Sigebertiani cũ Dionyſianis.*

tationem diuersam à Prosperianâ animaduertisset, dicere debuiesst, Martinum mortuum anno Christi iuxta Dionysiũ 400. qui est Prospero 403. vt Sigeberto 402. Nam hi omnes vnus & idem sunt, & à diuersis tantum capitibus arcessuntur.

Tertio, Martinum anno illo Dionysiano 400. decessisse, & quidem ex Gregorij mente, probatur: Ipse enim libro 1. mirac. S. Martini, c. 32. annum Sigeberti Regis Austrasiæ secundum, vocat à transitu S. Martini 163. & Eufronij Turonensis Episcopi septimum. Atqui 2. annum Sigeberti Regis cum anno Christi Dionysiano 563. concurrere, infrà demonstrabo certissimè, ex initio Childeberti filij huius Sigeberti, quod Gregorius plurimis characteribus insigniuit. Ergo S. Martinus obierit ãno Christi 400. Denique idẽ patet ex fine Chlodouæi Regis primi, quẽ ãno Christi exeũte 511. obijsse, à Martini autem transitu, 112. inchoato scilicet, mox ex Gregorio ostendemus. 4.

*Argumenta opiniorum contrariarum eue dantur.*

Nec Scaligeri argumenta nobis officiũt. Nam primò litera dominicalis G. æquè à me stat. Secundo anni insequentium Regum optimè in nostra opinione consentiunt; in Scaligerianâ minimè, vt fatetur ipsemet, in figendo initio Sigeberti primi Regis Austrasiaci. Ambrosij autem visionẽ nihil moratur Baronius, planeque fictã existimat. SECVNDA opinio solâ Gregorij auctoritate male acceptâ nititur. & nos eam satis interpretati sumus. QVARTA vero Baronij sẽtẽtia firmioribus asseritur argumẽtis: imprimisq; Sulpitij testimonio; quod si solũ esset, sanè peruinceret. Sed cũ argumentũ ex litera dñicali omnino præferendũ sit; dicendũ Seuerũ, sexdecim istos ãnos, quos à Treuirẽsi Martini itinere ad eiusdẽ excessum cõputat, nõ ab Euodij Cõsulatu labẽte, seu ãno Christi 386. arcessere, sed ab anno 385. quo Euodius designatus erat Cõsul ex fœdere inter Maximũ & Theodosiũ Valentinianũq; Impp. inito. vt satis innuunt Prosper & Sigebertus in Chronicis, & ipse etiã Seuerus in fine historiæ; dũ illud Martini iter statĩ sub exordia Maximi referunt. Consulẽ ergo nõ creatũ, sed designatũ Seuerus intelligit; seu potius, qui postea fuit Cõsul, vt supra etiã indicauimus. Sigebertũ vero, quẽ & hic Baronius pro se citat, paulo ante explicuimus, magisq; paulò post explicabimus. Et vero qui Sigeberti Chronicõ duobus ãnis Epochã Dionysianã ãteuertere in omnibus alijs agnoscunt; debent & in ãno mortis S. Martini agnoscere; vel cur nõ agnoscãt, edisserere. Interim iterũ Lectorẽ moneo, vt bienniũ illud, quo Sigebertus Dionysij supputationẽ anticipat, præ oculis sẽper habeat. Sic enim illius Chronicõ non tã intricatũ experietur, quã plerique videri volūt. Ita qui illi est annus 381. nobis & Dionysio erit 379. Qui 385. nobis 383. Qui 453. in Attilæ expeditione, nobis vt omnibus erit 451. & ita in ceteris. vsque ad annum Christi 700. vel 750. circa quem sensim in supputationẽ vulgarem relabitur, vt quæ tunc communiter vsurpari cœperit. Quamuis eum sæpius in alios impingere anachronismos dissimulandum non sit. 5.

*Disp. c. 5 §. 68.*

*DE TEMPO-*

ANNVM autem excessus Chlodouæi primi Francorum Regis Christia- 6.

ni

ni, tria maxime certum faciunt: Vocladensis pugna, annus à transitu S. Martini 112. & insequentium Regum, posterorum eius, initia exitusque. Vocladensem pugnam optimè ad annum Christi Dionysianum 407. refert lumen historię Baronius, ex Isidoro; qui Alarici Gothorum Regis mortem in eâ pugnâ contigisse vult anno regni ipsius 23. Anastasij Imp. 17. & denique Aerâ Hispanicâ 545. Qui omnes characteres notant annum Christi 407. Et de duobus quidem vltimis nemo iure dubitauerit. Tertiũ autem etiam probabit, qui in Concilio Agathensi, habito 3. Idus Septembris Messalâ Consule, seu anno Christi 506. videbit expresse notatum annum Alarici 22. Sed & idem validè confirmat Cassiodori Chronicon, dũ Venantio & Celere Coss. victoriam Theodorici Italiæ Regis aduersus Francos, paulo post cæsum Alaricum consignat. quos Consules in Indictionem primam incurrere, seu annum Christi 508. ex Marcellino discimus. Ergo præcedenti anno, scilicet 407. in Vocladensi pugnâ ciciderat Alaricus. Iam vero ex Gregorio, Aimoino, Hincmaro, Sigeberto, & alijs constat Chlodouæum mortuum, anno ab eâ pugnâ quinto, qui ab autumno anni Christi 511. ad autumnum anni 512. fluit. Ergo eo interuallo mori debuerit. Notaui autem in antiquis membranis Monasterij sanctę Genouefæ Parisijs (vbi Chlodouæus sepultus est) eius depositionem recoli 21. Nouembris, aut circiter, neque enim præcisè memini. Ergo Chlodouæi mors cum exeunte anno Christi 511. comparanda erit, quinto anno ineunte à pugnâ illa Vocladensi.

*Re Chlodovaei I. Regis.* *Annus pugn. Vocladensis.* *Tomos Conci* *Greg. l. 2. c. vlt. Aim. l. 1. fin. Hincmar. v. ii Remig. Sigeb Chron.*

7. Rursum idem probat annus à transitu S. Martini 112. quo excessum Chlodovæi consignat Gregorius. Annus mortis S. Martini, est Christi 400. vt iam fuse probauimus. Ergo 112. illius currit ab 11. Nouembris ãni 511. ad 11. Nouembris 512. Ergo eo spatio mortuus est Chlodouæus. Mortuus est autem circa 21. Nouembris, vt dixi; ergo anno Christi 511. exeunte, ineunte autem S. Martini 112. & per decem circiter dies tantum inchoato. Nam cur minus annum illum 112. completum intelligam cum Sigeto & alijs, facit imprimis mos Gregorii, qui labentes vt plurimum annos intelligit, non completos, vt existimat Scaliger. Quod mecum facile notabit, quisquis Gregorium attentè excusserit. & consequentia multa peruincunt. Deinde, si in annum Christi 512. mortem Chlodouæi differo, ãnos insequentium Regũ loco suo luxari necessum est. Luxabuntur enim anni 23. regni Theodorici Metensium Regis & Chlodouæi filij; quem ãte ver anni Christi 534 mortuum bene probat Baronius ex Cassiodori epistolis. Luxabuntur item 37. illi, quos Gregorius ab excessu Chlodouæi ad excessum Theodoberti filij eiusdem Theodorici fluxisse vult, vt & 29. alij quos ab huius Theodoberti transitu, ad Sigeberti Regis Austrasiaci, nepotis illius, interitũ supputat; qui si labentes capiãtur, liquidissimè fluunt; si cõpleti, maximè turbãt, vt videre potes in Tabulis. Luxabitur denique initiũ Childeberti Iunioris, Sigeberti filij, quod in annũ Christi exeũtem 575. & quidẽ die Natali Dñi incidere, validissimè paulo post asseritur.

*Scal. de Emend. temp. lib. 6 fin.*

Qui

Qui omnes Characteres cùm in alijs sententijs minimè conspirent, in nostrâ autem maximè; vt illas summopere conuellunt, ita hanc mirificè stabiliunt. Atque hinc etiam probatum manet, quod tertio loco statueramus; insequentium Regum tempora mortem Clodouæi in exitum anni Christi 511. necessario reijcere. Et mox clarius ostendetur.

*Quomodo intelligendi Aimoinus & Sigebertus in anno mortis Chlodouæi.*

Scio Aimoinum & Sigebertum in annũ 514. transitũ Chlodouæi reijcere; sed vt dixi, qui Sigeberto est 514. nobis & Dionysio est 512. Atque ita vno tantum anno ab illo diuidimur; & quidem, quia eum completum accipit, nos inchoatum, ex supra allatis rationibus. Aimoinus vero forte à fine Chronici Prosperiani supputans, Dionysium triennio pariter anteuerterit. Nam certe, qui Prospero esset annus Christi 514. nobis & Dionysio est 511. Hinc Epistola Hormisdæ Papæ ad Chlodouæum, quam Hincmarus in vitâ S. Remigij recitat, iure plerisque fabulam olet, vt quæ triennio post obitum Chlodouæi scripta fuisset. Et Gregorius Turonẽsis, magnus licet Chlodouæi Encomiastes, eius ne per vmbram quidem meminit. Nisi quis Symmachi eam potius quam Hormisdæ esse velit; vt in Tabulis monuimus. 8.

*Quando cœperit Chlodouæus*

Maneat ergo fixum Chlodouæum vitâ functum, anno Christi 511. circa 21. Nouembris; à morte Martini 112. decem circiter diebus inchoato. Præfuit autem 30. annos ex Gregorio & alijs; cœperit ergo anno christi Ineunte 482. vel exeunte 481. & annus eius 15. quo baptizatus est, cum anno Christi 496. concurret. vt in Tabulis statuimus, quibus & sequenti anno restitutionem Tungrensis Episcopatus, & aliorum Belgicorum consequenter assignauimus. Rursum quia ætatem eius 45. annis definit idem Gregorius; natus fuerit anno Christi 466. exeunte. 9.

*Quando cœperit Childericus pater Chlodouæi.*

*Turon. l. 2. c. 12.*

Vnde & initium patris eius Childerici conijcere possumus. Nam Childericus, minimum vno anno ante Filij generationem, cum Basinâ vxore ad se è Thuringiâ profugâ cohabitauerit. Ergo Basina anno circiter Christi 465. ad eum venerit. Iam ante eius aduentum, Childericus regnum armis ab Ægidio receperat; igitur circa annũ Christi 464. Rursum exulauit Childericus in Thuringia vsque ad 8. annum labentem, vt expresse Gregorius. Ergo sic perueniemus ad initium anni 457. Et quia vno alterоúe anno Francis imperare debuerit, antequam ob insolentiam regno eijci posset: omnino rerũ potiri cœperit anno Christi 456. vel 455. vt etiam aduertit Sigonius. Et sanè ab anno 456. ineunte, ad completum 481. anni sunt omnino 26. quot ei assignat Sigebertus.

*TEMPVS 4. FILIORVM CHLODOVAEI.*

DEPREHENSO fine Chlodouæi, facile insequentium Regum anni stabilientur, si labentes non expleti capientur. Chlodouæum igitur exceperunt 4. filij, Chlodomer Aureliæ, Childebertus Parisijs, Theodoricus Metis, seu in Austrasiâ, Chlotharius Suessione. Et in Chlodomeri quidẽ regno nullus nobis hactenus character occurrit. IN CHILDEBERTI autẽ, hic modo se offert. In Concilio Aurelianẽsi 5. habito 5. Cal. Nouẽb. annus 38. Childeberti cõparatur cũ Indictione 13. In nostra opinione 38. ãnus Chil- 10.

*Tomo 2. Cõcil.*

deberti

deberti fluit à fine Nouemb. anni Christi 548. ad finem Nouembris 549. Concilium igitur illud habitum est 28. Octobris, anno 549. Atqui ab huius Septembri currit more Græcorum Indictio 13. aptissime. Non igitur hic error est in Indictionis notatione, vt sciscit Scaliger. Nec Paulinus iste, post cuius consulatum anno 12. dicitur celebratum hoc Concilium, est ille Iustiniani collega notatus in Fastis anno Christi 534. sed alius quidam tam Concilijs Gallicanis celebratus, quam Fastorum reliquijs hodiernis ignotus; & cuius consulatus, ex Aurelianensi 3. Synodo, in annũ Christi 537. seu Childeberti 26. incurrit; triẽnio vtiq; serius quã cõsulatus illius Collegæ Iustiniani; ad cuius etiam distinctionem dicitur iunior; vt docte ante nos Baronius annotauit, etsi triennio altero tardius quam nos; ex inità à se Francorum Regum Chronologià, quæ nostram triennio toto subsequitur. Rursus ad hunc Childebertum extat Pelagij Papæ primi epistola, data 15. post Consulatum Basilij. Theodoricvs autem Austrasiæ Rex anno 23. regni sui moritur. ipso exordio anni Christi 534. vel fine 533. vt bene ostendit Baronius ex Cassiodoro. Huic successit Theodobertus filius, qui anno regni 14. decessit, à morte Chlodouæi 37. Gregor. Tur. l. 4. finiente. Ergo exeunte anno 547. Ab huius excessu ad Sigeberti interitum annos 29. supputat idem Gregorius ibidem; nimirum inchoatos, vt solet, aptissime ad successionem Childeberti, qui in locum Sigeberti Patris coronatus est, ipso Natali Christi, anno 575. effluente, vt mox ostendam. Vide tabulas. Denique Chlotharivs mortuus à Gregorio dicitur anno regni 51. semper inchoato vel labente. A fine Nouembris anni Christi 511. quo patrem eius Chlodouæum decessisse statuimus, ad finem Decembris anni 561. habes annos 50. completos, & primum mensem 51. quo Chlotarium transijsse Tabulæ nostræ decernunt. Idque Filiorum illius ingressus euincit.

*Lib. 6. de emend. temp. fin.*

*Baron. an. Christi 540.*

*Baron. anno Christi. 530.*

11. Nam profecto regnum hos tenuisse Ianuario anni Christi 562. satis indicat Gregorius libro hist. 6. cap. 14. vbi annum ineũtem Childeberti Regis 7. comparat cum 21. ineũte Chilperici & Gunthrãni, filiorũ Chlotharij, & quidem mense Ianuario. Ergo hi regnum iniuerant iam inde à Ianuario anni Christi 562. Nam annum Childeberti 7. cum anno Christi 582. æqualiter inire, mox demonstrabitur. Rursus idem Gregorius libro 5. cap. 25. annum 3. Childeberti confert cum Chilperici & Gunthramni 17. & cap. 27. annum huius 4. cum illorum decimo octauo; & ita in cæteris. Vnde etiam Sigebertus Childeberti pater anno regni 14. (ad finem scz vergente) dicitur interijsse: & annus eius secundus cum anno à transitu S. Martini 163. seu Christi 563. ab eodem Gregorio coiungitur. vt supra. Ex quibus omnibus facile intelligimus, in Concilijs Valẽtino & Lugdunensi primo sub Gunthramno Rege habitis, aut Indictionum notationes, aut Regis ipsius annos esse vitiatos, cùm in nullius sententiâ omnes simul aptari possint.

*Initium 4. filiorum Lotharii.*

12. Venio iam ad Childeberti Regis annos, quos Gregorius Turonensis

*De initio*

CHILDEBERTI REGIS AVSTRASIAE.

ijs characteribus insigniuit; vt si soli essent, reliquã Francorum Regum Chronologiam stabilire possent. Primum, refert lib. 5. cap. 1. Childebertum regnum inijsse *die Natalis Dominici, & quidem vix lustro ætatis vno peracto.* Idemque repetit lib. 8. c. 4. vbi & addit; *natum cum die sancto Paschæ baptizatum die Pentecostes, Regem eleuatum die sancto dominicæ Natiuitatis.* Ergo ab hoc die anni eius ordiendi. Rursum libro 5. cap. 17. notat, Anno 2. Childeberti fuisse dubietatem Pascæ; & Gallos quidem illud 14. Cal. Maias celebrasse, Hispanos vero 12. Cal. Aprilis. Quod omnino Cyclo Lunæ 8. Solis 26. conuenit, ac proinde anno Christi 577. cum quo 2. annus Childeberti comparandus. Præterea libro 6. cap. 25. ait; anno 8. eiusdem, diē ante Calendas Februarias fuisse dominicam. Ergo litera dominicalis erat C. plane ad annum Christi 583. Quo & Mauritius iniuit imperium. Ad hæc, libro 9. cap. 2. refert mortem Radegundis Reginæ, ad eum annum quem sub finem libri 8. cap. 43. vocauerat Childeberti 12. Atqui Radegūdem 14. Augusti, feriâ 4. decessisse testatur eius Vita fidelissima; ergo anno Christi 587. litera Dominicali E. Denique libro 10. cap. 23. scribit, anno 15. Regis huius dubietatem Pascæ contigisse, aliosque in Gallijs celebrasse Lunâ 15. alios Lunâ 22. Rursum eodem anno *terræmotum fuisse 18. Cal. mensis quinti, die quarto*; hoc est 14. Iunij, seu 18. Cal. Iulij (qui Gregorio semper est quintus, numerat enim à Martio primo mense Pascali, more Gallorum antiquo; non Aprili, vt explicat Scaliger) feriâ 4. Demum *Eclipsin factam Solis, mense octauo*, seu Octobri *mediante*. Atqui omnes hi Characteres Cyclum Solis produnt 11. Lunæ 2. seu annum Christi 590. quo 14. Iunij, seu 18. Cal. Iulij erat feria 4. litera Dominicali A. Igitur annus Childeberti 15. est Christi 590. quo etiam bene notat Turonēsis, cognominem suũ Gregoriũ Romanũin Pōtificem electũ. Miror itaq; hic halucinationem Scaligeri, qui hisce characteribus, annum Christi 588. indicari decernit; & 18. Cal. mensis quinti, interpretatur 18. Augusti. Addi posset Turonensem in fine operis pariare annum Childeberti 19. cum Gregorij Papæ quinto; qui est Christi 594. ordinationis illius 21. Qui omnes numeri integri sunt in nostrâ sententiâ; tantumque annus Gunthranni 31. in 33. vertendus, vt ex præcedentibus deducitur clarissimè; & pro anno à transitu Martini CCXVIII, legendum CXCIIII.

DE FINE CHILDEBERTI ET INITIO FILIORVM EIVS. *Aim. Lib 3 ca. 85.*

PORRO Childebertum mortuum anno 4. postquam Burgundicum Gunthramni patrui regnum accepisset, testatur Appendix ad Turonēsem, cap. 16. Quod & confirmat Aimoinus, additque id contigisse paterni seu Austrasiaci regni 23. ætatis autem ipsius Childeberti 25. Quod non subsistit. Annus 23. regni Childeberti in Austrasia, iniret cum anno Christi 598. Quartus autem eiusdem in Burgundiâ cum 597. Sed neutrum verum esse, certo infertur ex lemmate Epistolarum Gregorij Papæ. Nam sexta Epistola Indictionis 14. data est ad hunc Childebertum Francorum Regem; rursumque Epistola 58. eiusdē Indictionis, Theodorico ac Theodoberto Regibus Childeberti filijs & hæredibus inscribitur. Ergo hac In- 13.

dictione 14. quæ cum anno Christi 596. concurrit, Childebertus obijt, & regnum ipsius filij susceperunt. vt bene ante nos statuit Baronius, etsi diuersam à nostrâ Chronologiæ rationem iniuerit. Obijt autem in vere, vt ex ijsdem Gregorij Epistolis, & annis filiorum colligitur: & quidem anno regni Burgundiæ à morte patrui 3. non 4. nisi forte vno anno cum patruo regnauerit; aut nisi Gunthramnus anno regni sui 32. non 33. mortuus sit. Recte tamen addere videtur Aimoinus, anno ætatis 25. Nam Turonensis expressè testatur eum coronatum die Natali domini, exeunte anno Christi 575. *vix lustro ætatis vno iam peracto*; id est, vt existimo, quinto adhuc ætatis eius anno labente. Vnde 25. eius exibit in Pascate anni Christi 596. quo tempore eum excessisse statuimus. Nam Childebertum in die sancto Pascæ natum, fidem facit (vt dixi) Greg. Tur. l. 8. c. 4. Rursus Childebertum filijs regnum reliquisse anno Christi 596. satis innuit ipsa etiam Appendix ad Turonensem cap. 21. & 23. dum Phocæ Imperatoris initium refert ad annum 7. Theodorici filij Childeberti. Nam Mauritium Imp. à Phoca occisum, 23. Nouembris, anno Christi 602. nimis constat.

14. Lotharivm vero secundum, Regem Parisiorum, regnum adijsse anno Christi 584. & quidem mense circiter Septembri vel Octobri, satis indicat Turonensis lib. 6. c. 46. dum mortem patris eius refert ad annum Childeberti nonum, qui cum Christi 584. concurrit. Rursum Appendix illius, cap. 38. & 43. ait, Theodoricum Burgundiæ Regem, &, cæso ante annum fratre Theodoberto, etiam Austrasiæ, anno regni 18. mortuum, ac Lotharium Parisiorum Regem eius regna occupasse anno regni sui 30. Concurrit 30. annus Lotharij, cum 18. Theodorici, vltimo trimestri anni Christi 613. vt videre potes in Tabulis. Ergo Lotharius regnum iniuit, Octobri circiter anni 584. Theodoricus autem vere anni 596. quo patris eius mortem fiximus. Præterea Harigerus supra, pag. 82. C. annum huius Lotharij 40. componit cum Heraclij Imp. quartodecimo. quod idem habes in vita S. Landoaldi, ab eodem Harigero, etsi nomine Notkeri, cõscripta. Constat autem annum Heraclij Imp. 14. fluere à 27. Martij anni Christi 623. ad 27. Martij anni 624. Ergo annus Lotharij quadragesimus cũ eo interuallo, saltem aliqua sui parte, concurrere debet. Quod in hac nostra opinione cõgruere Tabulę fidem faciunt, in quibus annus iste Lotharij 40. ab Octobri circiter anni 623. ad Octobrem 624. deducitur, sicque media sui parte cum 14. anno Heraclij componitur. Denique obijt Lotharius anno regni sui 45. scilicet inchoato. Ergo Nouembri vel Decembri anni Christi 628. anno Monarchiæ suæ Frãcicæ 16. item inchoato vt volunt Appendix Turon. cap. 56. & Aimoinus libro 4. cap. 16.

*Tempvs Lotharii iunioris.*

*Apud Sur. 19. Martij.*

15. Lotharium Dagobertvs filius excepit. Cuius annum 9. in Christi 637. incurrere, supra Disp. c. 6. §. 97. ex S. Amandi in Episcopatum Traiectensem ingressu collegimus. Anno regni vndecimo vt VVinidorum excursiones inhiberet, Sigebertvm filium suum bimulum Austrasiæ Regem creauit. Appendix ad Turon. cap. 75. & Aimoinus lib. 4. c. 26. In-

*Regnvm Dagoberti.*

*Sigeberti.*

de anno 16. regno simul & vita defunctus est. anno Christi 644. 19. Ianuarij. Vnde consurgit regnum filij eius CHLODOVAEI. vt etiam S. Audoënus Rotomagensis Archiepiscopus confirmat. Ait enim se & S. Eligiũ consecratos Episcopos, *14. die mensis tertij* (id est Maij, vt etiam explicat Auctor vitæ Audoëni) *Dominicâ Rogationum, anno tertio Chlodouæi iuuenculi adhuc Regis.* Erat igitur Cyclus Solis 11. litera Dominicalis A. Cyclus Lunæ 1. Ergo annus Christi 646. Cum quo tertius Chlodouæi Regis optimè componitur, si primus à 19. Ianuarij anni 644. deducitur. Vt autem Sigeberti Chlodouæique fratrum initia clara sunt, ita exitus perobscuri. Chronicon Sigeberti refert SIGEBERTI Regis mortem ad annum Christi 656. qui, ex biennij prædicti anticipatione, erit nobis & Dionysio 654. Idque confirmat Baronius, dum ait multorum esse opinionem, Sigebertum Dagoberto patri superfuisse annos decem solidos, ad vndecimum vsque. Cùm enim Dagobertus functus sit anno 644. 19. Ianuarij; sanè si Sigebertus initium vndecimi à morte patris non excesit, planè Calendis Februarij, anno 654. desierit. Sed & Vignierius in Chronico Burgũdiæ ait in monumentis Cœnobij S. Michaëlis in Lotharingiâ, legi, eum vitâ exutum anno regni 16. vel 17. Atqui Tabulæ nostræ ad annum Christi 654. exhibent annum Sigeberti 16. ex quo scꝫ à Patre Rex Austrasiæ creatus est. Denique eum lem annum exigit Episcoporum nostrorum Chronologia, ac S. Theodardi præsertim; qui cum biennio tantum præfuerit, sub Sigeberto Rege creatus, & sub Childerico nepote ac successore eius martyrio absumptus (vt narrat eius Vita) & quidem anno Christi 655. vt vidimus: prorsus cogit, vt mortem Sigeberti Regis anno Christi 654. affigamus. Quod idem mox confirmabunt duodecim anni Childerici successoris illius.

*ET CHLODOVAEI. In vita S. Eligij apud Sur. 1. Dec. l. 2. c. 2.*

*Bar. tom. 8. anno 657.*

*Vignier. ad annum 658.*

*Apud Sur. 10. Sept.*

16. CHLODOVAEVM vero Sigeberti fratrem regnasse vult Appendix ad Turon. c. 91. annos 18. Aimoinus 16. Sigebertus 17. quod & Vita Bathildis Reginæ vxoris illius adprobat. Et ergo sequor medio tutissimus. Obierit ergo Chlodouæus adulto anno Christi 660. Succesit ei Maior natu Lotharius filius, annos, omnium consensu, quatuor; ac proinde anno Christi 664. extinctus. Huic, annitente S. Leodegario alijsque Principibus, Childericus frater sufficitur, iam antè nouem annis in Austrasiæ regno expletis. quibus cum triennium in Franciâ addiderit, duodecim in vniuersũm annos rerum potitus fuerit; vt pleraque MS. confirmant; quæ secutus videtur Sigebertus in Chronico, etsi duodecim illos annos soli regno illius Francico malè attribuat. Interijt ergo Hildericus anno Christi 667. post Pasca, vt habet Vita S. Leodegarij fidissima. Et succesit frater eius THEODORICVS.

*FINIS CHLODOVAEI ET INITIVM FILIORVM EIVS.*

*Apud Sur. 2. Octob.*

17. CVIVS exordium certissime stabilit character ex morte S. Audoeni petitus, iuncto S. Philiberti Gemmeticensis exilio, & Ebroini tyrannide. Habet Vita S. Audoeni eum corpore solutum 9. Cal. Septembris, seu 24. Augusti, die dominico. Ergo anno à Christi Natiuitate 676. seu (vt loquitur

*TEMPVS THEODORICI intricatum. Apud Sur. 24. Augusti.*

quitur vita) ab eiusdem *Incarnatione* 677. quo litera Dominicalis erat E. è regione diei 24. Augusti posita. Iam S. Philibertus Gemmeticensis Abbas refertur in Vitâ, ab exilio rediisse anno exilij octauo euoluto, & ineunte nono; viuo adhuc Audoeno. Ergo quam citissime, vere anni 676. cuius Augusto Audoënum excessisse iam vidimus. Recedamus à vere anni 676. per octo superiores annos, ad initium noni. plane in exordium anni 668 (vt minimum) incurremus; quo relegari debuerit Philibertus. Relegatus autem est, quod Ebroinum Luxouiensi monasterio egressum, & Franciam perturbantem, Apostatam appellasset. Igitur Ebroinus, qui tũ Austrasiorum auxilio Francos armis impetebat, superiori anno, scilicet 667. Luxouium deseruerat: eodemque Theodoricus, cæso fratre Childerico, regnum iniuerat. aptissimè ad rationes nostras. Sed & idem satis afferunt tempora in longo Leodegarij martyrio notata, si accuratè expédantur; vt & septennale solidum S. Lamberti nostri exilium; & mors denique ipsius Ebroini, quam anno penè toto Audoeni præuertisse, indicãt Appendix ad Turonensem, Aimoinus, Vita S. Philiberti, Leodegarij, & Audoëni. Nec silendum hic S. Eligij Nouiomensis seu Tornacensis Episcopi vaticiniũ, ab Audoëno in eius vitâ relatũ; quo filiorum Chlodouæi sortem satis apertè prædixit: Lotharium, scz natu maximum, breui defunctâ matre Bathilde moriturum; nec diu post alterum è duobus (Childericum videlicet) regno priuatum iri: Tertium vero (Theodoricum) magnâ potẽtia fruiturum. Quod in hac nostrâ opinione cõpletum vides. quæ Lothario quatuor annos, Childerico in Franciâ tantum tres, Theodorico autem 23. solidos attribuit. *Apud Sur. 20. Augusti.* *Godesch. c. 4.* *Apud Sur. 1. Decemb. l. 2. c. 31*

18. Scio Appendicem ad Gregorium cap. 101. Theodorico tantum 14. annos assignare. Aimoinus lib. 4. c. 48. nouemdecim illi dat; aut vt alia lectio habet XXI. Sed omnino XXIII. legendum, vel XXIV. (inchoatos, scz. non, vt Appendix. XIV.) euincit hoc argumentum. Certum est exordiũ Childeberti, filij huius Theodorici, à fine anni 694. arcessendum, vt paulo post demonstrabo; Inter hunc vero & patrem Theodoricum, regnauit Chlodouæus annos 4. vt vult Appendix c. 101. etsi Aimoinus l. 4. c. 48. tantum duos dicat. Ergo initium illius ad finem anni 690. referendũ est, quo & pater eius Theodoricus obierit. Ergo Theodoricus ad initium anni regni sui 24. pertigerit. & fauet Sigebertus in Chronico, dum à fine Lotharij filij Chlodouæi iunioris, ad finem huius Theodorici, annos interserit 26. solidos; etsi eos male partiatur. Nam duodecim attribuit Frãcico Childerici regno, & Theodorici 14. vt Appendix vitiata; cũ illi tres tantum, huic 23. expletos largiri debuisset, e argumentis superius allatis. Atque hæc magnam confusionem tollunt historię Belgicæ Francicæq;, vt expertus sum. *Quot annos THEODORICVS regnauerit.*

19. Childebertvm vero Theodorici filium, regnum iniisse sub finem anni 694. hic character euincit. Referunt Pontacus & Scaliger in Eusebiũ, in vetustissimo Eusebij Codice Bongarsiano legi, *Anno quinto Childeberti,* *REGNVM CHILDEBERTI vltimi.*

*Pipino iubẽte* (seu regente) *fuit Pascha 10. Cal. Aprilis; Ascensio Domini Cal. Maij.* Erat igitur Cyclus Solis 8. Lunæ 16. ac proinde annus Christi 699. cum quo, potiore ac posteriore sui parte, comparatus annus quintus Childeberti, initium eiusdem in finem anni Christi 694. necessario reijcit. vt fecimus. Huius anno 2. passum S. LAMBERTVM rectè notauit Aegidius Monachus, supra pag. 122. C. forte ex veteribus quibusdam fidisque monimentis; etsi annum Christi 700. de suo male addiderit, velut hariolando. Mortuum porro Childebertum anno Christi 711. fidem facit Fragmentũ breueante Annales Pithoei; anno regni 17. vt etiam monet Aimoinus l. 4. c. 49. Vnde in Appendice cum legitur XIII. reponendum XVII.

Atque hæc de Regum Francorum temporibus dicta sufficiant. Cetero- 20
rum enim qui sequuntur initia exitusque distinctè concipiuntur Annalibus Pithœanis. Quorũ exemplar castigatius, pleniusque Pithœano habui ex Monasterio S. Laurentij Leodij. Quod etiam, si vita aut otium suppetet, aliquando dare poterimus. Interim, mi Lector, hæc boni consule; & si quos errores notaueris, benigne interpretare, memor fragilitatis tuæ: meque monere ne graueris. Corrigentur in secunda & ampliori editione. Vale. Leodij, è Collegio nostro. 15. Aprilis. Dominicâ Palmarum. 1612.

ÆGIDIVS BOVCHIER.
*Societatis* IESV.

# ERRATA IN DISPVTATIONE HISTORICA.

PAginâ 5. lineâ penultimâ marginali; lib. 33. lege *lib. 53.* Pag. 7. lin. 26. vndecim, lege, *decem.* (*Nã Laudunensem postea S. Remigius instituit.*)
Pag. 9. lin. 1. marg. hist. lege, *vrbibus.*
Pag. 12. ad. singulos §§. repone numeros hos, *14. 15.*
Pag. 16. lin. 16. 75. lege, *73. iuxta Aegidium, 75.*
Pag. 26. lin. 19. 348. lege, *347.*
Pag. 27. lin. 11. Barborũ, lege, *Barbarorum:* Ibid. lin. 27. 367. lege, *357.*
Pag. 28. lin. 10: Biennio. lege, *Anno.*
Pag. 29. lin. 35. sexagesimo tertio, lege, *sexagesimo sexto.*
Pag. 51. lin. 25. 29. Maij. lege, *30. Maij.* Ibidem, lin. 32. Nemo, quod memin. lege, *Nemo veterum, quod mem.*

## IN TABVLIS,

AD annum Christi 520. Adde: *Vignier in Chronico Burg. ad annum Christi 509. ex D. Begatij Commentarijs.*
Ad annum Christi 534. lin. 4. 534. lege, *530.* Ad annum 624. Pag. 28. lege *Pag. 82.*
Ad annum 639. repone ante omnia hanc sententiam: *Dagobertus filium suum Sigebertum bimulum, Regem Austrasiæ creat; sub tutoribus Chunberto Coloniensi Archiepiscopo; & Adagisilo palatij Rectore. App. c. 75. Aim. l. 4. c. 26.*
Ad annum 654. lin. 3. don mus, lege, *domûs.*
Ad annum 697. lin. 5. 8. Cal. lege, *7. Cal.*
Ad annum 801. lin. 4. Martyrium. lege, *Eleuatio.*
Ad annum Christi 830. pro 850. repone, *830.*
Ad annos 831. 832. in linea Episcoporum Leodiensium. ita lege. 21. 22. 22. †.

*Alia quæ modo non occurrunt; tu Lector, benignè corrige.*

# ADDENDA ET CORRIGENDA IN PRIMO TOMO GESTORVM PONTIFICVM TVNGRENSIVM, Traiectensium & Leodiensium.

PAg. 9. *litera* C. Petrus Cluniacensis, lib. 1. epist. 2. & alij. *addantur ista verba*: Horum trium pōtificum gesta habes in vita Eucharij primi Archiepiscopi Treuirorum. Extat in peruetusto codice pergameneo Romano charactere antiquo doctè & grauiter scripta in bibliotheca monasterij S. Laurentij prope Leodium. Cui consentiunt antiquissima martyrologia.

*Pag. 10. lit.* D. Ne quid vel exiguum illius codicis pereat, annotabuntur. *addantur ista.* præter alios auctores refert quoque mortem & resuscitationem Materni codex Laurentianus M.S. in vita Eucharij, de quo ante mentionem fecimus.

*Pag. 12.* C. Quidue vitandum esset, insinuarent. *addantur hæc in medio pagina maiusculis literis* ANNOTATIONES. *& loco annotationis ponantur hæc verba.* Miraculosam obligationem & solutionem populi Treuirensis, habes quoque prope de verbo ad verbum in vita Eucharij, de qua supra §. Inter hæc omnis illa sæuientium turba.

*Pag. 13. B.* Nos nihil immutauimus. *Subijciatur hæc annotatio* Resuscitationem filij Albanæ viduæ habes etiam in vita S. Eucharij § Nā erat in eodem spectaculo quædam vidua.

*Pag. 14. A.* Languores omnes curabant. *Subijciatur in medio.* ANNOTATIONES. *& loco annotationis initio sequentis linea hæc verba* Refert somnium hoc Senatori diuinitus immissum, vita antedicta Eucharij § Postea quidam nobilis eiusdem vrbis senator.

*Pag. ead. D.* anno Domini septuagesimo quinto. *addantur ista.* Quinto Idus Decembris, iuxta codicem Laurentianum: quanquam video Molanum & Baronium notare natalem S. Eucharij 6. Idus.

*Pag. ead.* D. Apud Surium tomo primo. *addantur & hæc* Et ex manuscripto codice Laurentiano pene de verbo ad verbum correspondentem.

*Pag. ead.* D. Et Valerium Materno. *addantur hæc.* Qui suo errore fecit vacillare Baronium in martyrologio 29. Ianuarij.

*Pag. ead.* D. Quarto Kalendas Februarij spiritum cœlo reddidit. *addantur hæc.* Adstipulatur codex Laurentianus.

*Pag.* 22. *B.* Seuerinus, Florentius *adde* Martinus.

*Pag. 38. B.* Peracto tandem colloquio. *addantur hæc in medio pagina.* Additio Ægidij. *Deinde initio sequentis linea.* Acceptaque licentiā. *& qua sequuntur vsque ad.* Energumenos. *Et subijciantur hæc.* Hactenus Ægidius.

*Pag. 43. B.* Ne me contingat. *addantur hæc duo.* vobiscum vestra.

*Pag.*

*Pag. 45. A. post illa verba.* Ab vtroque sexu increuit. *addantur hæc.* At vir Domini, necessarijs sepulturæ secum delatis, ab orientali Tungrensi, Ecclesiæ porta, pedes egreditur, ac tramite recto, Traiectense petit oppidum. Tunc &c.

*Pag. 125. C. post illa verba.* Nihilque indecens quod inultum. *addantur hæc.* prætereat, &c.

*Pag. 144. C. post verbum.* ANNOTATIONES, *ponantur loco primæ annotationis hæc verba.* Hoc capite vides D. Hubertum dedicâsse ecclesiam collegiatam S. Petri Leodiensis; deinde aliam in Brabantia: consecrasse quoque altare S. Albini in eadem ecclesia, cuius collationem Præpositus sancti Petri etiamnum habet, & ego in ea qualitate nuper contuli illud ingenuo adolescenti, Gaspari Pacquier, S. Theologiæ in vniuersitate Louaniensi baccalaureo. Consecrauit proculdubio & plures ecclesias & altaria per suam diœcesim: de quibus modò nihil certi habemus, nisi quòd pastor ecclesiæ parochialis de Emal, idemque decanus Concilij Traiectensis, vir pius & eruditus, certos nos facit illum consecrâsse ecclesiam in honorem B. Mariæ virginis: eiusque rei euidens extare testimonium insculptum marmori in muro lateris aquilonaris chori, his versibus, sic propemodum vt hîc habes, exaratis.

BASILICAM SACER, HAC HVGBT' EPS OLIM
SERVITIO DNI, PLO SPECTANTE, SACRAVIT,
QVIPPE DECEBRIS ERANT IN PM SOLE KÆDÆ,
ANNOR. DNI DCCGENTI AC IIDENI.

*Annotatio prima quæ hanc sequi debet, erit secunda: & secunda, tertia: & tertia, quarta.*

*Pag. 279. B.* Mutatis in H. & D. *addatur* erroneè.

*Pag. 305. C.* Pedibus eius aduoluisse, *addantur ista.* & inde suspicionis notam videntibus præbuisset.

CORRIGENDA.

*Pag. 4. C.* sentẽtia *cor.* substantia
*Pag. 20. A.* hic *cor.* hunc.
*Pag. 28. B.* persuaque. *cor.* persuasaq;
*Pag. 42. C.* Leodiensis. *cor.* Colon.
*Pag. 62. B* iudicium. *cor.* inditium, *& alibi sæpius.*
*Pag. 69. C.* anni 3585. *cor.* 1585.
*Pag. 81. B.* Anno Cõstãtis 181. *cor.* 23.
*Pag. 92. D.* Protentuosis *cor.* Portentuosis.
*Pag. 97. B.* lectulumq; *cor.* loculũq;
*Pag. 109. D.* pannis. *cor.* prunis
*Pag. 121. D.* Anselm. *cor.* Stephanus.
*Pag. 122. B. similiter*

*Pag.ead.D.* septuagesimum *cor.* septingentesimum.
*Pag.*151.*C.* VolquinoNormensium *cor.* Folquino Morinensium.
*Pag.ead.D.* vicesimus *cor.* trigesimus
*Pag.* 152. *B.* quæ. *cor.* Quas.
*Pag. ead. D.* addita lege. *cor.* edita.
*Pag.*156. *D.* nostro. *cor.* nostros.
*Pag.* 171. *A.* Domini. *cor.* Deum.
*Pag.* 179. *A.* Harigeri. *cor.* Ratherij.
*Pag.* 193. *B.* substituerunt. *cor.* substiterunt.
*Pag.* 214. *B.* libertati. *cor.* liberato.
*Pag.* 215. *A.* seruitutis. *cor.* seruitio
*Pag.* 250. *C.* Imperator. *cor.* Imperatori.
*Pag.* 265. *A.* Herbero. *cor.* Heriberto
*Pag.*285. *A.* religiosū. *cor.* irreligiosū
*Pag. ead. C.* corporis. *cor.* capitis.
*Pag.* 306. *B.* Bartholomei *quod habetur in margine, cor.* Crucis.
*Pag.* 310. *A.* quadragesimo octauo Idus *cor.* quadragesimo octauo, octauo idus.
*Pag.* 389. *B.* mirabiliter. *cor.* mirabantur

*Sunt & alia plura errata minutiora corrigenda, vt vbi æ pro a sæpè confunduntur: vel vbi a dipthongus pro vocali e ponitur, vel è contrà, vocalis pro dipthongo: vel vbi vna consonans pro alia ponitur: vel vbi vna litera in dictione aliqua deest, vel superfluit: quæ sigillatim non corrigimus; quia vel lector legendo illa non aduertet, atque ita non retardabitur: vel si aduertat, facilè per se corriget.*